This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lh 8. 430.



BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).

4 Oct. 1882.



Q. HORATIVS FLACCVS

RECENSVIT

CODICVM SELECTORVM VARIAS SCRIPTVRAS

ADDIDIT

FRANCISCVS PAVLY

PHIL. DR.

LIPSIAE

SVMPTIBVS LIBRARIAE HAHNIANAE

A. MDCCCLV

Lh 8.430

OCT 4 1882
Salisbury fund.

CAROLI · KIRCHNERI

VIRI · DE · HORATIO · MERITISSVMI

MANIBVS

PRAEFATIO

Cum ante hos quinque fere annos Antiphontis oratoris Attici fragmentorum collectione quam institueram uix non ad finem perducta, eandem a Baitero et Sauppio uiris clarissimis in Oratorum Atticorum tom. II confectam esse audirem, haesitanti mihi unde nouam dissertationis scribendae materiem sumerem auctor fuit et suasor FRIDERICVS RITSCHELIVS, uir de me facile omnium meritissimus, ut relictis quibus eo usque totus fere deditus fueram Oratorum Graecorum studiis, ita Horatio manum admouere inciperem, ut in commentariis Cruquianis quidquid adhuc lateret ad emendanda Horatii poemata quoquo modo faciens praecipue in scripturis Blandiniis ibi passim allatis quam diligentissime colligerem examinaremque. Blandiniorum enim codicum inprimis uetustissimi scripturas nimis ab Horatii editoribus neglegi aliorumque codicum multo minus fide et auctoritate dignorum immerito posthaberi et uix fieri posse ut eum qui aliquando nouae earum collectionis negotium subiisset operae laborisque consumpti paeniteret RITSCHELIVS aeque sibi persuasum habebat atque idem monuerant et singulis locis probauerant Carolus Lachmannus (cfr. Mus. Rhen. Nou. a. 1845 p. 615), Paldamus (cfr. Mus. Rhen. Nou. a. 1848 p. 632) alii. — Diligenter igitur excussis commentariis illis Cruquianis

postquam quae inde et ad poetam sui similiorem reddendum et ad crisin Horatianam certiore et firmiore fundamento constituendam redundare uidebantur in 'Quaestionibus Horatianis Criticis' (Bonnae, formis F. P. Lechneri a. MDCCCLI) ex parte exponere conatus sum: idem RITSCHELIVS et auctor fuit ut hanc nouam Horatii editionem pararem et egregius deinceps uirium mearum exstitit adiutor; eiusdemque uiri praeclaris et praeceptis et subsidiis dandum erit quidquid in hac poetae Venusini editione profecisse iudicabor.

In adornanda igitur hac Horatii editione propositum mihi fuit, primum ut, quas ex codice Blandinio uetustissimo omniumque quotquot hucusque innotuerunt optimo Cruquius nobis seruauit uarias scripturas omnes congererem, deinde ut, quo locis, quibus egregio illius auxilio destituti sumus, aliunde quam fieri posset maxime certam salutem pararem, ex ingenti codicum turba paucos eligerem, qui '*trutina*, ut ita dicam, *Blandinia pensati*' praeter reliquos summa auctoritate et fide digni uiderentur; nisi hac uia et ratione fieri non posse ratus, ut quae post summi Bentleii maxime egregiam operam in crisi Horatiana rediit ratio quam dicunt eclectica (cfr. quae Kirchner in nouae Sermonum editionis p. XIV de quinque Horatianarum editionum periodis disseruit) eaque uati Venusino minime salubris solidiore firmioreque fundamento nixae tandem aliquando cedere cogeretur. Qua de re idem sensit, ni fallor, editionis Weidmannianae a. 1851 auctor, quem eundem Mauricium Hauptium esse ferunt, qui in 'obseruationibus criticis' p. 35 '*a Blandinio uetustissimo sine summa necessitate discedendum non esse*' dixerat; a quo uiro celeberrimo si praefatio et apparatus criticus addita essent, sine dubio hanc meam sententiam confirma-

rent. Quare in textu quem uocant constituendo ipsius editione pro fundamento usus sum. Mirum autem in modum mecum facit, qui anno superiore Horatii opera omnia edidit Godofredus Stallbaumius (Lipsiae apud Bernhardum Tauchnitz); etenim non solum multis locis poetae ex Blandinio uetustissimo genuinam scripturam restituit, sed etiam de tribus meorum codicum, Orelliano B, Turicensi, Gothano altero idem fere atque ego facit iudicium. Iuuat igitur hic apponere, quae uir clarissimus praefationis pag. LXXII rectissime dicit: 'Perquam, inquit, memorabile est, in tanta codicum copia et multitudine nondum effici potuisse, quod in aliis scriptoribus plurimis effectum esse constat, ut quanam illi cognatione ac necessitudine inter sese contineantur, accuratius perspectum habeatur. Itaque in critica factitanda hoc tantum relinquitur, ut diligenter animaduertatur, quinam libri praeter ceteros bonitate sua atque integritate emineant, quo possit ad horum quasi normam et legem dirigi atque gubernari ueri rectique iudicium. Bonum factum uero, quod hac uirtute nonnulli saltem adeo excellunt, ut ceteris omnibus sine dubitatione palmam praeripere iudicandi sint'. Horum autem in numerum refert Blandinios, inprimis uetustissimum, Dessauiensem s. Anhaltinum, Argentoratensem primum, Orellii Bernensem B et Turicensem, Santogallensem, Gothanum alterum. Tum addit: 'His igitur libris et si qui alii iis sunt propius affines in conformanda Horatii oratione ita censemus plurimum tribui oportere, ut nec deteriores libri plane contemnantur, quandoquidem nec illi uitiis plane immunes sunt et hi interdum eas offerunt lectiones, quas, si res suis momentis ponderentur, nemo

temere infitietur omnes habere ueritatis numeros. Quamquam illud utique tenendum uidetur, deterioribus libris maiore cum cautione quam emendatioribus et castigatioribus utendum esse'. Illis duumuiris subiungere possim alios, qui nuperrime ad Blandinios codices singulis locis redierunt, ut Dillenburger in tertia Horatii editione (Bonnae sumptibus Adolphi Marci a. MDCCCLIV) cfr. praef. p. XVII. Sed de his nunc quidem tacere placet et redire illuc unde abii.

Primum igitur, ut codicis Vetustissimi condicio et indoles animo adumbrari, ne dicam, informari posset, quaesiui, quot quibusque locis eiusdem scriptura a Cruquio nobis seruata esset; ipsum enim hunc codicem temporum iniquitate periisse infra enarrabitur satisque notum est. Huc igitur praeter eos locos quibus diserte a Cruquio '*Vetustissimus*' nominatur referendi sunt ii, quibus aut '*quattuor Blandinios*' aut '*omnes codices*' Messenius antestatur; addendi sunt e tertio et quarto Carminum libro ii, ubi '*tres Blandinii*' citantur; hi enim libri non dubium est quin in uno Blandinio defuerint, non tamen in Vetustissimo, quia hic saepe, quattuor autem numquam afferuntur. At quod Stallbaumius Vetustissimum aliis locis '*quartum*' uocari ex Cruquii adnotatione ad Serm. (Sat.) I, 1 (uers. 108) scripta colligit in eo uir clarissimus uereor ne falsus sit, ut ipse recte 'multum falsos esse' putat, 'qui eum, quem Cruquius dixerit *primum*, putarint fuisse antiquissimum'. De iis quae supra scripsi ut quisque sibi ipse iudicium facere posset, optimum uisum est ubi Cruquius codices suos commemorat ipsa eius uerba afferri; quae ut recte intelligerentur, infra posui uniuersum eius apparatum criticum, qualem descripsit Kirchner l. l. p. XXVII:

1. Codices Blandinii s. Blandiniani quattuor, ex bibliotheca Blandinia, Benedictinorum S. Petri in monte Blandinio Gandaui, quo Roma perlati erant. Illa autem bibliotheca a Belgis tumultuantibus a. 1568 plane perdita et exusta est (u. Comment. ad I. Sat. 1 praef.). Hos libros uenerandae uetustatis (in Epilogo ad lectorem) ante septingentos annos (i. e. saec. VIIII) scriptos esse ait unumque eorum omnium Antiquissimum appellat, cui et ipse et Bentleius, Cuninghamius, alii plurimum auctoritatis tribuunt.

2. Codex Diuaei, uetustus, magni habendus.

3. Codex Siluius, Gualteri Siluii.

4. Codices Buslidiani duo, gymnasii Louaniensis, uterque mutilus.

5. Codex Carrionis, mutilus.

6. Codex Martinii, praestans, optimae notae.

7. Codex Tonsanus, ex bibliotheca Tonsana, Sermonum libros tantum continuisse uidetur.

8. Codex Maldeghemius solos carminum libros complexus.

9. Codex Nannii, cuius pluribus locis mentionem facit ad I Serm. 4, 25. 110. 6, 39. II Serm. 2, 65. 3, 283 et alibi. Verisimile est, hunc codicem a Petro Nannio Alcmariensi quocum una Cruquius Louanii fuerat aut ab eius heredibus in ipsius manus peruenisse. Diuersum fuisse ab uetustissimo illo codice, quem Nannius in bibliotheca Blandinia repertum peruolutauerat, inde colligitur, quod ipse in Miscellan. l. III c. 25 (Gruteri Lampas tom. I p. 1261) in hoc codice nil nisi carminum libros se inuenisse testatur.

Sed restituta ubi per Blandinium uetustissimum licet poetae genuina manu sat multi loci restant aliunde me-

dicinam exspectantes. Primum enim ipsum Vetustissimum uitiis et lituris non caruisse, multaque a secunda manu mutata fuisse, prima haud raro penitus deleta, ipse Cruquius pluribus locis testis est locupletissimus; quo accedit, quod Cruquius non ut debebat integrum codicem descripsit sed singulis tantum locis uarias eiusdem scripturas nobis seruauit; denique quod ubi laudantur *unus — alter — tertius — quartus* Blandinius, uel *unus — tres — reliqui*, uel *duo — alteri duo*, in dubio relinquitur, a qua parte steterit Vetustissimus.

His locis ut quam optime fieri posset consulerem praeter tres reliquos Blandinios ex ingenti codicum numero paucos elegi, Vetustissimo quam plurimum affines. Profectus hac in re a praeclara Vetustissimi scriptura *fugio campum lusumque trigonem* Serm. I, 6, 126 et inde suspicatus Codicem Gothanum alterum qui omnium quotquot innotuerunt codicum unus eandem scripturam praebet, cum omnes reliqui habeant *fugio rabiosi tempora signi* nondum ea auctoritate frui, qua par esset, adii FRIDERICVM RITSCHELIVM ut mihi huius codicis copiam faceret; quem quidem mihi obsecutum esse ea qua me semper amplexus est animi beniuolentia non est quod moneam. Neque minus grata mihi fuit Christ. Val. Rostii Gothani, uiri clarissimi, liberalitas, qua mihi paucos abhinc menses eundem codicem huc transmisit, ut denuo collationem instituere possem.

Nec opinio me fefellit. Est enim altera huius codicis pars, quae Sermones et Epistulas continet (cfr. Kirchneri Nouas Quaestiones Horatianas p. 22 sqq.), non solum ex antiquissimo et optimo sed etiam ad uetustissimum Blandinium uel proxime accedente codice descripta. Cuius rei non solum Serm. I, 6, 126 sed etiam multae aliae

scripturae ita argumento sunt, ut eas enumerandi negotio nunc quidem *) me supersedere posse putem. Plura congessi olim dissertationis pag. 17 sq. et quod ibidem suspicatus sum, codicem Gothanum medium quendam tenere locum Vetustissimum inter et tres reliquos Blandinios, id nunc magis etiam mihi persuasum est perquam probabile esse. 'Verum igitur sensit Stallbaumius, si 'Gothanus 2., inquit, nobis quidem nescio quam cognationem cum Blandinio quarto s. antiquissimo habere uisus est.' Diligenter igitur bis codicem Gothanum (quem in adnotationibus littera A signaui) contuli, uarias eius scripturas enotaui eumque in Sermonibus et Epistulis ducem secutus sum praesertim ubi de Blandiniis nil nobis proditum est. In Carminibus uero, Epodis, Arte poetica, e Turicensis (B) codicis auctoritate iudicium plerumque feci quem denuo diligentissime contulit Baiter in tertia Orelliani Horatii editione; sed cum in hoc quoque codice multa deesse uidissem, denuo alteram Gothani partem contuli, cuius cum Turicensi uel in uitiis summa est cognatio, id quod iam olim in quaestionibus meis probaui copiosiusque quisque sibi ipse ex scripturarum utriusque codicis comparatione facile persuadebit (cfr. Kirchneri Nouas Quaestt.). Bene igitur facit Stallbaumius, qui eundem Turicensem inter praestantissimos numerat l. l. p. LXXII. Addidi his Orellii Bernensem b (quem ipse D littera signaui) codicem praestantissimum et Gothano aeque ac Turicensi auctoritate supparem; porro, quem illo *minoris* auctoritatis iudico Bernensem antiquissimum B (a me C littera signatum); deinde scripturas uarias quas repperi in duabus schedis a Ritschelio mihi traditis (R littera signatis), quae

*) Longius in hisce alias exspatiabor.

quin optimi codicis fragmenta sint ego quidem nullus dubito; denique Cruquii et Orellii editiones, ubi hi uiri de suis codicibus tacent *).

Ut nunc quasi in conspectu codices meos ponam quos praeter Blandinios secutus sum:

A est codex Gothanus 2 quem descripsit Kirchner in Nouis Quaestionibus Horatianis pag. 22—26.

B est Turicensis; uid. ibid. p. 54 et 55.

C est Orellii Bernensis B; uid. Orellii praefationem et Kirchnerum l. l. p. 8 sq.

D est Orellii Bernensis b (Nr. 21); uid. Orellii praefationem.

(R sunt schedae Ritschelianae.)

Ex omnibus reliquis qui hucusque innotuerunt codicibus nullum esse propter eandem cum Blandinio affinitatem illis auctoritate parem neque ullum propter maiorem eos superare pro certo non affirmauerim; de noua autem collatione codicum qui Parisiis exstant nimis multum sperari et uix ullum Gothano et Turicensi parem inter eos esse ex iis scripturis suspicari, ne dicam, colligere licet, quas Ritschelio intercedente Henricus Keilius ex iis mihi excerpsit et ad me transmisit. Nisi igitur codices meliores aliquando et ad Blandinium uetustissimum propius accedentes inuenti erint, a nostris codicibus in emaculandis Horatii poematis proficiscendum erit. At ne hisce quidem subsidiis criticis solis genuinam poetae manum posse instaurari, immo accedat ubique necesse esse

*) His subsidiis aliquando addenda erunt quae apud ueteres Grammaticos et scholiastas passim laudantur Horatiana; quae colligendi et emendatius edendi negotium gauderem si fontibus reclusis mox subire possem; a quo breui talis collectio exspectari poterat Carolum Kirchnerum proximis hisce diebus nuntius allatus est subita morte nobis esse ereptum.

rationem 'qua, ut Ritschelii uerbis utar, (Prolegomen. ad Trinum. p. LX) quod suapte uirtute praestet et in artis praecepta linguaeque leges et poetae ingenium conueniat deligamus et praeter testium quantumuis uetustorum reuerentiam probemus' non est quod moneam. Sed utendum non abutendum est ratione; abuti autem inprimis ii uidentur, qui id summo opere agunt, ut poetae opera omnibus numeris absoluta et perfecta reddant neque adduci se patiantur, ut interdum etiam bonum dormitasse Horatium credant; in quod uitium post Peerlkampum etiam alii multi incurrisse iudicandi sunt. Uti igitur summi Bentleii quo nemo fere de Horatio magis meritus esse censendus est haud paucas recepi coniecturas (adnotationes autem fere omnes adscripto eius nomine indicaui, ut quisque statim thesauros Bentleianos adire posset) ita et aliorum emendationes saepe recepi et ipse quoque periculum non nusquam feci, ut adnotationes quemque docebunt. A causarum expositione uberiore qua rationem rederem a me uel receptorum uel reprobatorum nunc quidem abstinui etsi inuitus; item quem iam ex parte confeci indicem locupletissimum scriniis mandatum reliqui, ne etiam amplius quam iam factum est hoc uolumen augeretur; spero tamen quod illa exspectant aliud tempus haud longe afore. —

Orthographiae rationem institui quoad fieri posset ad aetatis Horatianae normam; qua in re perquam difficili duces mihi fuerunt praeter codices, editiones Bentleiana et Weidmanniana et Wagneri de Orthographia Vergiliana liber; neque tamen alios fontes, quotquot cognitos habui quorumque copiam mihi parare potui, non adii. Quodsi hic illic mihi ipsi non constare uidebor (mutaui enim etsi raro quam initio secutus eram sententiam) aequos iudices et qui sciant quam sit omnis talium

rerum disquisitio difficilis ac lubrica, non nimis me uituperaturos confido.

Paucis locis, qui corrupti mihi uidebantur, quos tamen certa ratione sanare non poteram, in scriptoris uerbis litteris inclinatis praefixo obelo usus sum. Ubi sententia incipit litteris maiusculis, id, ut Cruquio quasi monumentum in libello meo exigerem, factum est, qui eodem modo in sua editione indicauit *κυρίας δόξας*, quas uocant, quamquam multae eum fugerunt.

Denique continuum per singula poematum genera uersuum numerum in dexteram paginarum partem addidi, quo et citandi et euoluendi conferendiue negotium facilius redderetur; in codice A per Sermones et Epistulas idem factum uidi.

Restat nunc, ut bibliopolae honestissimo et de nostris litteris egregie merito gratissimum animum testificer, quod a typorum chartarumque elegantia nihil decoris libello deesse uoluit, et addam quae ex altera collatione alterius codicis Gothani partis, instituta illa cum iam primus Carminum liber et libri secundi carmina nouem prelo exissent suo quaeque loco addendae sunt scripturae uarietates:

Carminum I, 1. Mecenatem alloquitur Horatius (in odis seu carminibus *ab alt. m.*) — 4 collegisse — 7 mobilium — 10 de *om.* — 12 condicionibus — 13 dimoueas — 24 permittus — 26 inmemor — 29 hederae — 33 polimnia — 35 inseris.

Carmen II. Ad Augustum (proseutice tetracolos *ab alt. m. sed quae similia usque ad Carm. II, 5 inscriptionibus adscripta sunt deinceps omnia omittam ut leuiuncula*) — 38 rubente — 48 damae — 59 uitioque — 67 candentis humeros — 69 maius — 76 multus — 82 quirini.

Carmen III ad nauem Virgilii — 91 pater regat — 94 Virgilium — 95 incolumem — 96 dimidium animae — 99 conmisit — 104 uolt — 107 turgidum *sed littera* g *non deleta, ab alt. m. adscripta est* b *littera* — 109 nequiquam — 124 perrupit Acheronta — 125 arduū est.

Carmen IIII. Ad Sestium quirinum — 129 feris — 133 inminente — 136 Volcanus — 137 inpedire — 139 inmolare — 140 agnam . . hedo — 143 inchoare — 148 licida.

Carmen V. Ad pirram — 150 urget — 153 quotiens — 161 intemptata — 162 uuida.

Carmen VI. Ad Agrippum — 171 duplicis . . Vlixei — 179 merionē.

Carmen VII. Ad Plancum — 185 mitilenen — 186 Ephesum — 189 urbem — 193 dicit — 197 ac Tiburtini lucus et praeceps anio et uda — 199 *nouum carmen non incipit* — 200 nec — 201 perpetuos — 206 ter — 211 auspice Teucro.

Carmen VIII. Ad lydiam — 217 omnis — 218 te] o . . . sibarim — 222 *et* 223 equitat . . temperat — 231 uirilis.

Carmen VIIII. Ad thaliarchum — 234 nec iam] etiam (*sic!*) — 245 fors — 246 cumque — 255 direptum.

Carmen X. Ymnus mecurii — 270 relicto — 273 animas laetis.

Carmen XI. Ad leuconem — 279 temptaris — 281 quae.

Carmen XII. Ad se loquitur — 285 eroa — 286 sumes — 287 recinit — 294 celerisque — 297 parentum — 299 aut terram — 307 beluis — 311 nobiles — 313 humor — 315 q, sić uoluere — 326 incomptis — 330

marcelli . . omnis — 334 data fatis — 337 inminentis — 338 domitos — 341 latum reget.

Carmen XIII. Ad lydiam meretricem — 346 cerea — 350 manent . . humor — 352 penitus *om.* — 354 humeros inmodice — 357 audies — 362 inrupta — 363 diuulsus.

Carmen XIIII. Allegorice Bruto — 380 ludibria.

Carmen XV. De uaticinio prothei — 386 Helenam — 393 heu — 397 nequiquam — 400 grauis — 401 gnosii — 405 iam lertiaden . . . excidium — 406 gentis — 407 inpauidi — 408 et — 411 noscis — 414 inmemor

Carmen XVI. Palinodia gratidie q̄ est tindaris — 424 adriano — 428 sic — 440 inprimeret — 443 temptauit — 448 obprobriis.

Carmen XVII *inscript. om.* — 453 tutum — 456 colubras — 457 edilia — 461 dimetuentur dispietas — 462 hinc — 470 semeleus — 473 nemale — 474 iniciat — 475 scindet — 476 inmeritam.

Carmen XVIII. Ad Varum — 478 Catilli — 481 increpat — 483 ac — 485 Euchius — 487 passareu.

Carmen XVIIII in Glicera de amore — 494 iubet . . Semele — 500 uoltus — 503 et uersis — 506 turaque.

Carmen XX. Ad mecenatem — 511 datur — 513 care — 518 tu.

Carmen XXI. Ymnus ad chorum in dianam et apollinem — 525 coma — 528 Gragi — 530 demon — 535 cesare || In Persas.

Carmen XXII. Ad aristium fuscum laus innocentiae — 541 syrtas — 548 expeditis — 550 Daunia.

Carmen XXIII. In Cloen — 561 uitat hinnuleo — 565 mollibus — 566 aduentus.

Carmen XXIIII. Trenus in Quintilium ad Virgilium (a Virgilio *ab alt. m.*) — 574 lugubris — 585 quid si..... num.

Carmen XXV. Exprobratio in lydiam — 594 ictibus — 597 faciles — 599 metuo longa ... nocte — 609 edera uirentė — 612 hebro.

Carmen XXVI. Ad musas de lamio elio — 617 tiridaten — 621 Piblea — 622 prosint.

Carmen XXVII. Ad conuiuas suos — 629 acinacis — 630 inpium — 633 uultis — 636 uolnere — 637 uoluptas — 642 ah — 643 laborabas carypdi — 647 inligatum.

Carmen XXVIII. Ad Architen geometrem — 649 arenae — 653 aerias temptasse — 633 mors — 644 uia semel — 666 est *om.* — 667 et .... densantur — 674 esperiis — 678 negligis inmeritis — 679 conmittere fors et — 683 festines.

Carmen XXVIIII. Ad Iccium — 696 coemptos .. nobiles — 699 hiberis.

Carmen XXX. Ad uenerem de glicera — 701 gnidi — 703 ture.

Carmen XXXI. Eutice ad Apollinem — 711 opimae .. feraces — 719 exiccet culillis — 726 at.

Carmen XXXII. Ad lyram suam — 729 poscimur — 736 nauem.

Carmen XXXIII. Ad Albium 751 — apulis — 754 inpares — 759 adriae.

Carmen XXXIIII. Ad se de epicurea secta — 767 tonantis.

Carmen XXXV. Proseutice ad fortunam — 786 regum — 793 anteit serua — 795 neque — 802 fugiunt — 815 diffingas retusum *om.* in.

Carmen XXXVI. Eucharistice ad numidam — 817 thure — 824 pueritiae.

Carmen XXXVII. Ad sodales de uictoria augusti.

Carmen XXXVIII. Ad puerum suum

Q. Oracii flacci carminum liber primus explicit. Incipit secundus eiusdem.

In fine libri secundi ab alt. m. scripta sunt haec: Oracii flacci carminum liber secund. explicit. Incipit liber III eiusdem.

Haec fere sunt addenda: emitto igitur nunc librum et uiris quibus rectum de his rebus et aequum iudicium est si operam meam quamuis incohatam non improbari comperiam non erit quod amplius optem.

Dabam Augustae Treuirorum

Calendis Iuniis a. CIↃIↃCCCLV.

Q. HORATIVS FLACCVS.

Q. HORATII FLACCI
CARMINVM
LIBER PRIMVS.

CARMEN I.

Maecenas atauis edite regibus,
o et praesidium et dulce decus meum,
sunt quos curriculo puluerem Olympicum
conlegisse iuuat, metaque feruidis
euitata rotis palmaque nobilis
terrarum dominos euehit ad deos;
hunc, si mobilium turba Quiritium
certat tergeminis tollere honoribus;
illum, si proprio condidit horreo
quidquid de Libycis uerritur areis.

I Q. Horatii Flacci odarum liber primus. Ad Maecenatem. Alium alio teneri studio, se uero Lyricorum uersuum scribendorum *Cruquiana.* Ad Maecenatem *B. om. CD.* — 1. 2 *hos uersus ut duo postremos carminis seiungit, G. Hermannum secutus, Godofredus Stallbaumius in editione Tauchnitziana a.* 1854 — 3 Olympicum *Cruquiana.* ‘*Sex mei Codd.* Olympicum, *et sic semper* Troicus *cet.*’ *Orellius* — 4 collegisse *Cruquiana, Orelliana* 3 — moetaque *B* — 5 et uitata *C* — 6 euehere *Bentleii coniectura* — 7 nobilium *BD.* mobilium *C.* ‘mobilium. *sic habent* 4. *cod. Blandinii. reliqui, nobilium*’ *Cruquius*

gaudentem patrios findere sarculo
agros Attalicis condicionibus

numquam dimoueas, ut trabe Cypria
Myrtoum pauidus nauta secet mare.
luctantem Icariis fluctibus Africum
mercator metuens, otium et oppidi

laudat **rura** sui; mox reficit ratis
quassas, indocilis pauperiem pati.
est qui nec ueteris pocula Massici
nec **partem** solido demere de die

spernit, nunc uiridi membra sub arbuto
stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae.
multos castra iuuant et lituo tubae
permixtus sonitus bellaque matribus

detestata. manet sub Ioue frigido
uenator tenerae coniugis inmemor.
seu uisa est catulis cerua fidelibus,
seu rupit teretes Marsus aper plagas.

me doctarum ederae praemia frontium
dis miscent superis, me gelidum nemus.

12 conditionibus *Cruquiana.* condicionibus *Orelliana* 3 — 13 nunquam *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — ‘dimoueas. *demoueas*, *legit Lambinus: quod etsi non improbem, tamen seruo antiquam lectionem, tum propter consensum omnium codicum scriptorum, tum quod parum interesse uideam*’ *Cruquius.* demoueas *C.* dimoueas *B D* — 14 myrtorum *C* — 15 icareis *B* — 17 rura] tuta *Acidalius probante Bentleio* — rateis *Cruquiana.* rates *Orelliana* 3 — 24 permistus *Cruquiana.* permixtus *Orelliana* 3 — 26 immemor *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 29 ederae *Cruquiana.* hederae *Orelliana* 3 — 32 sacer nunc populo *B* (‘*Sed talia in posterum iam non enotabo, quippe quae ad meae Curae consilium nequaquam faciant*’ *Orellius*) — 33 polymnia *B* (*C*?). polyymnia *C.* poliymnia *D.* ‘nec Polyhym-

Nympharumque leues cum Satyris chori
secernunt populo, si neque tibias

Euterpe cohibet nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.
quodsi me lyricis uatibus inseres,
sublimi feriam sidera uertice.

CARMEN II.

Iam satis terris niuis atque dirae
grandinis misit pater et rubente
dextera sacras iaculatus arcis
terruit urbem,

terruit gentis, graue ne rediret
saeculum Pyrrhae noua monstra questae,
omne cum Proteus pecus egit altos
uisere montis,

piscium et summa genus haesit ulmo,
nota quae sedes fuerat columbis,

nia. *sic habent cod. Bland. uetustissimi' Cruquius.* Polymneïa *Cruquiana* — 35 inseris *D Cruquiana.* inseres *BC.* 'inseres. *sic habent duo Bland. et cod. Carr.' Cruquius* — memet *B*

II Ad diuum Augustum, de ira uindictaque deorum propter necem Iulii Caesaris. *Cruquiana.* Ad diuum Augustum *C.* ad Augustum *D.* AD AVG. *B m. alt.* — 38 rubente *BCD Cruquiana.* rubenti *Fea* — 39 arceis *Cruquiana.* arces *Orelliana* 3 — 41 genteis *Cruquiana.* gentis *C.* gentes *Orelliana* 3 — 44 monteis *Cruquiana.* montis *BCD* — 45—49 '*Non potui a me impetrare, ut Horatio uersus relinquerem totius carminis maiestate indignissimos' Meinekius in praefatione editionis alterius pag. III. Cfr. Buttmannum in Mythologi uol. II p.* 364

et superiecto pauidae natarunt
aequore damae.

uidimus flauum Tiberim retortis
litore Etrusco uiolenter undis
ire deiectum monumenta regis
templaque Vestae,

Iliae dum se nimium querenti
iactat ultorem, uagus et sinistra
labitur ripa Ioue non probante u-
xorius amnis.

audiet ciuis acuisse ferrum,
quo graues Persae melius perirent,
audiet pugnas uitio parentum
rara iuuentus.

quem uocet diuom populus ruentis
imperi rebus? prece qua fatigent
uirgines sanctae minus audientem
carmina Vestam?

cui dabit partis scelus expiandi
Iuppiter? tandem uenias precamur
nube candentis umeros amictus,
augur Apollo;

siue tu mauis, Erycina ridens,
quam Iocus circum uolat et Cupido;

47 super iacto *B* — 48 dammae *BCD*. damae *Cruquiana* — 49 tiberim rethortis flauum *B* — 54 ultorum *B* — 57 ciuis *C*. ciueis *Cruquiana*. ciues *Orelliana* 3 — 65 partis *C*. parteis *Cruquiana*. partes *Orelliana* 3 — expiandum *B* — 67 candenteis *Cruquiana*. candentis *BC*, *D pr. m. Bentleius*. 'candenteis *habent omnes scripti cod.*' *Cruquius* — humeros *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 70 circumuolat *Cruquiana* — 75 Marsi *e coniectura Tanaquilis Fabri Bentleius* — 76 Vul-

siue neglectum genus et nepotes
respicis, auctor

heu nimis longo satiate ludo,
quem iuuat clamor galeaeque leues,
acer et Mauri peditis cruentum
uoltus in hostem;

siue mutata iuuenem figura
ales in terris imitaris, almae
filius Maiae, patiens uocari
Caesaris ultor:

serus in caelum redeas diuque
laetus intersis populo Quirini,
neue te nostris uitiis iniquum
ocior aura

tollat. hic magnos potius triumphos,
hic ames dici pater atque princeps,
neu sinas Medos equitare inultos
te duce, Caesar.

CARMEN III.

Sic te diua potens Cypri,
sic fratres Helenae, lucida sidera,

tus *Cruquiana.* uoltus *Orelliana* 3 — 81 caelum *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 82 Quirini *BCD.* ‘*cod. Carr. habet* Quirino, *sed o, mutatam in i, indicat et superscriptio τὸ Romano, et aperta litura*’ *Cruquius* — 84 ocyor *Cruquiana* — 85. 86 heic *Cruquiana.* hic *Cruquius in adnotatione*

III ‘Ad nauem qua Virgilius Athenas uehebatur’. *Cruquiana.* Ad nauem Vergilii Athenas profecturi *D.* Ad nauem

uentorumque regat pater
obstrictis aliis praeter Iapyga,

nauis, quae tibi creditum
debes Vergilium, finibus Atticis
reddas incolumem precor
et serues animae dimidium meae.

illi robur et aes triplex
circa pectus erat, qui fragilem truci
conmisit pelago ratem
primus, nec timuit praecipitem Africum

decertantem Aquilonibus,
nec tristis Hyadas, nec rabiem Noti,
quo non arbiter Hadriae
maior, tollere seu ponere uolt freta.

quem mortis timuit gradum,
qui siccis oculis monstra natantia,
qui uidit mare turbidum et
infamis scopulos Acroceraunia?

nequiquam deus abscidit
prudens Oceano dissociabili
terras, si tamen inpiae
non tangenda rates transiliunt uada.

qua uirgilius athenas nauigauit. Nauem prosequitur qua uirgilius athenis uehebatur *B* — 91 pater regat *B* — 94 Virgilium *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 96 et] ut *D pr. m.* — 99 commisit *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 102 tristeis *Cruquiana*. tristes *Orelliana* 3 — 104 uult *Cruquiana* — ‘freta. *cod. Carr. habet* fretam’ *Cruquius* — 105—108 ‘*Hos quoque uersus Peerlkampius Horatio abiudicauit, cuius rationes cum nondum a quoquam refutatas uiderim, suspecta uerba uncis inclusi*’ *Meinekius in praef. p. III.* — 106 siccis] rectis *Bentleius* — 107 turbidum *B*. ‘*Bland. cod. omnes habent turbidum cum Mart. et Carr.*’ *Cruquius. Bentleius.* turgidum *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 108 infameis *Cruquiana.* in-

AVDAX omnia perpeti
gens humana ruit per uetitum nefas.
audax Iapeti genus
ignem fraude mala gentibus intulit:

post ignem aetheria domo
subductum macies et noua febrium
terris incubuit cohors,
semotique prius tarda necessitas

leti corripuit gradum.
expertus uacuum Daedalus aera
pinnis non homini datis;
perrupit Acheronta Herculeus labor.

nil mortalibus arduist.
caelum ipsum petimus stultitia, neque
per nostrum patimur scelus
iracunda Iouem ponere fulmina.

CARMEN IIII.

Soluitur acris hiems grata uice ueris et Fauoni,
trahuntque siccas machinae carinas,

fames *Orelliana* 3 — 109 nequiquam *Cruquiana.* nequicquam *Orelliana* 3 — 110 dissociabilis *Bentleius* — 111 impiae *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 121 lethi *Cruquiana* — 123 pennis *Cruquiana*, *Orelliana* 3. *uid. uers.* 2478 — 124 ᶜperrupit Acheront. *cod. Bland. Mar. Carr. hic habent, perrupit Acheronta, sine particula que' Cruquius.* perrupitque *D alt. m.* — 125 arduist] ardui est *B D Bentleius*, *Orelliana* 3. ᶜ*quattuor Bland. habent,* nil mort. ardui est' *Cruquius.* arduum est *Cruquiana.* arduist *editio Weidmanniana a.* 1851. *Cfr. C. Lachmanni comment. ad Lucret. p.* 66

IIII ᶜ *In inscriptione uulgati codices aliqui habent ad P. Sextium. sed legendum esse ad L. Sextium, ubi* (uti) *habent cod. Bland., iam*

ac neque iam stabulis gaudet pecus aut arator igni,
nec prata canis albicant pruinis.

iam Cytherea choros ducit Venus inminente luna,
iunctaeque Nymphis Gratiae decentes
alterno terram quatiunt pede, dum grauis Cyclopum
Volcanus ardens urit officinas.

nunc decet aut uiridi nitidum caput inpedire myrto,
aut flore, terrae quem ferunt solutae;
nunc et in umbrosis Fauno decet inmolare lucis,
seu poscat agnam siue malit haedum.

PALLIDA Mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
regumque turris. o beate Sesti,
uitae summa breuis spem nos uetat incohare longam.
iam te premet nox, **fabulaeque Manes,*

et domus exilis Plutonia; quo simul mearis,

certum est ex Dione, qui scribit a. 730. *Augustum sese abdicasse consulatu, inque suum locum substituisse L. Sestium Bruti studiosissimum. uide comment. Sigonii in fastos et triumphos Rom. Ex Blandinio codice antiquissimo, non sine magna molestia, restitui hanc oden diuisis suis modis et numeris, a nemine adhuc obseruatis nec cognitis., quod sciam. quae hunc in modum distingui et legi debet,* διαρτήτως. Soluitur acris hiems grata uice | Veris et Fauoni: | Trahuntque siccas machinae carinas | Ac neque iam stabulis gaudet pecus, | Aut arator igni, | Nec prata canis albicant pruinis | Iam Cytherea choros ducit Venus | Imminente Luna | Iunctaeque Nymphis Gratiae decentes | Alterno terram quatiunt pede, | Dum graueis Cyclopum | Vulcanus ardens urit officinas. | Nunc decet aut uiridi nitidum caput | Impedire myrto, | Aut flore, terra quem ferunt solutae | Nunc et in umbrosis Fauno decet | Immolare lucis: | Seu poscat agnam siue malit haedum | Pallida mors aequo pulsat pede | Pauperum tabernas, | Regumque turres . o beate Sesti, | Vitae summa breuis spem nos uetat | Inchoare longam | Iam te premet

nec regna uini sortiere talis,
nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet iuuentus
nunc omnis et mox uirgines tepebunt.

CARMEN V.

Quis multa gracilis te puer in rosa
perfusus liquidis urguet odoribus
grato, Pyrrha, sub antro?
cui flauam religas comam,

simplex munditiis? heu quotiens fidem
mutatosque deos flebit et aspera

nox; fabulaeque manes, | Et domus exilis Plutonia: | Quo simul mearis, | Nec regna uini sortiere talis: | Nec tenerum Lycidam mirabere | Quo calet iuuentus | Nunc omnis: et mox uirgines tepebunt'. *Cruquius.* Ad L. Sextium de uerno tempore *Cruquiana. om. B* — 131 ac] at *Cruquiana* — 135 graueis *Cruquiana.* graues *Orelliana* 3 — 136 Volcanus *Cruquiana, Orelliana* 3 — urit] uisit *ex uno codice suo Bentleius* — 137 impedire *Cruquiana, Orelliana* 3 — 140 'seu poscat agnam. *sic habent duos (?) codices Bland. quos secutus sum. Carr. codex habet, Seu poscat agnam siue malit haedos' Cruquius, qui idem ex Blandinio antiquissimo supra exscripsit* haedum. agna ..... haedo *Cruquiana, Orelliana* 3 — 142 turreis *Cruquiana.* turres *Orelliana* 3 — 143 inchoare *Cruquiana, Orelliana* 3. incoare *B* — 144 fabulaeque manes *Cruquiana, Orelliana* 3. *Meinekius corruptelae signum* (†) *apposuit uid. p. IIII* — 148 lucidam *B altera parte litterae* u *erasa.* Lucidã *Cruquiana*

V Ad Pyrrham. *Cruquiana. om. B* — 150 urget *Cruquiana, Orelliana* 3 — 153 quoties *Cruquiana, Orelliana* 3. quotiens *B*

nigris aequora uentis
emirabitur insolens,

qui nunc te fruitur credulus aurea,
qui semper uacuam, semper amabilem
sperat, nescius aurae
fallacis. miseri, quibus

intemptata nites. me tabula sacer
uotiua paries indicat uuida
suspendisse potenti
uestimenta maris deo.

CARMEN VI.

Scriberis Vario fortis et hostium
uictor, Maeonii carminis alite,
quam rem cumque ferox nauibus aut equis
miles te duce gesserit.

nos, Agrippa, neque haec dicere, nec grauem
Pelidae stomachum cedere nescii,
nec cursus duplicis per mare Vlixei,
nec saeuam Pelopis domum

156 emirabitur] ut mirabitur *Bentleius maluit* — 161 intemptata *D.* interpretata *B.* intentata *Cruquiana* — 162 ‘uuida *secutus sum in hac uoce codices Bland. et Diuaei. ceteri habent humida*’ *Cruquius.* uuida *Orelliana* 3

VI Ad M. Vipsanium Agrippam *Cruquiana.* Adloquitur Vipsanium Agrippam *B* — 167 qua rem *Bentleius* — 170 Peleidae *Cruquiana* — 171 duplicis ‘*id est uersuti et callidi* ..... *Quam quidem sententiam etsi non improbem, tamen consensum, quos uidi, scriptorum codicum in τῷ dupliceis nolui uili facere*’ *Cruquius.* duplices *D pr. m.* duplicis *Cruquiana, Orelliana* 3. reducis *malebat Bentleius* — Vlyssei *Cruquiana* — 177 ‘*Canoris nugis*

conamur, tenues grandia, dum pudor
inbellisque lyrae Musa potens uetat
laudes egregii Caesaris et tuas
culpa deterere ingeni.

quis Martem tunica tectum adamantina
digne scripserit, aut puluere Troico
nigrum Merionen, aut ope Palladis
Tydiden superis parem?

nos conuiuia, nos proelia uirginum
sectis in iuuenes unguibus acrium
cantamus, uacui, siue quid urimur,
non praeter solitum leues.

CARMEN VII.

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
aut Epheson, bimarisue Corinthi
moenia, uel Baccho Thebas uel Apolline Delphos
insignis, aut Thessala Tempe;

sunt quibus unum opus est intactae Palladis urbem
carmine perpetuo celebrare et

qui delectantur, habebunt qua animum oblectent stropham huius carminis quartam: reiecit eam iam Peerlkampius, sed male damnauit idem uersus quattuor postremos' quibus recisis iustam carminis conclusionem desideres' Meinekius p. V — 179 Merionem *B* — 180 'Tydiden *sic habent tres cod. Bland.' Cruquius.* Tydeiden *Cruquiana* — 182 sectis] strictis *Bentleius coniecit*

VII Ad Munatium Plancum de Tiburtina regione. *Cruquiana.* om. *B* — 185 Mitylenen *Cruquiana.* Mytilenen *Orelliana* 3 — 186 Ephesum *BD Cruquiana* — 188 insigneis *Cruquiana.* insignes *Orelliana* 3 — 189 urbem] arces *cum Lambini aliquot et optimo suo Reginensi Bentleius*

undique decerptam fronti praeponere oliuam;
plurimus in Iunonis honorem

aptum dicet equis Argos ditisque Mycenas:
me nec tam patiens Lacedaemon
nec tam Larisae percussit campus opimae
quam domus Albuneae resonantis

et praeceps Anio ac Tiburni lucus et uda
mobilibus pomaria riuis.
albus ut obscuro deterget nubila caelo
saepe Notus neque parturit imbris

perpetuo, sic tu sapiens finire memento
tristitiam uitaeque labores
molli, Plance, mero, seu te fulgentia signis
castra tenent seu densa tenebit

Tiburis umbra tui. Teucer Salamina patremque
cum fugeret, tamen uda Lyaeo

191 undique decerptam 'quos legi codices scriptos, omnes habent: Vndique decerptam fronti praeponere oliuam' Cruquius. decerptae frondi *auctore Erasmo Lambinus* — 192 'plurimus in Iunonis honorem. *Ita si scripsit Horatius, certe ἀκύρως locutus est. Non dubito quin recte Oudendorpius* honore *correxerit' Meinekius l. l.* — 193 dicit *Cruquiana.* dicet *BD* — diteisque *Cruquiana.* ditesque *Orelliana* 3 — 194 nec *B D Cruquiana.* neque *Bentleius* — 195 Larissae *Cruquiana, Orelliana* 3. Larisae *editio Weidmanniana et Meinekius* — 'percussit *sic legitur in omnibus scriptis cod. et uera est lectio contra Nebrissensem, qui in eo Terentii ..... uult perculsit esse Latinum .....' Cruquius* — 197 ac] et *Cruquiana* — 'Tiburni luc. *sic habent quattuor codices Blandinii ex quibus propter antiquitatem restituendus est Virg. cum Seruio 7. Aeneid.* (*uers.* 671) Fratris Tiburni dictam cognomine gentem' *Cruquius.* Tiburni *Orelliana* 3. Tiburti *ex Vergilii eodem loco alii.* Ac tiburtini lucus et praeceps anio et uda *B* — 198 pomeria

tempora populea fertur uinxisse corona,
sic tristis adfatus amicos:

'quo nos cumque feret melior fortuna parente,
ibimus, o socii comitesque.
nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro:
certus enim promisit Apollo

ambiguam tellure noua Salamina futuram.
o fortes peioraque passi
mecum saepe uiri, nunc uino pellite curas:
cras ingens iterabimus aequor.'

CARMEN VIII.

Lydia, dic, per omnis
te deos oro, Sybarin cur properes amando

B, D pr. m. ' *cod. Carr. habet pomoeria' Cruquius* — 199 *Nouum hinc carmen incipit in B D* — deterget ' *sic omnes Bland. Carr. Mald. Sil. Busl. sed Mart. habet detergit' Cruquius* — 200 nec *B* — imbreis *Cruquiana.* imbres *Orelliana* 3 — 201 perpetuos *D.* perpetuo *tres habent Blandinii' Cruquius, B Bentleius* — 206 tamen] ter *B* — 208 tristeis *Cruquiana.* tristes *Orelliana* 3 — affatus *Cruquiana, Orelliana* 3 — 211 auspice Teucro *B D Cruquiana.* auspice Phoebo *malebat Bentleius.* ' *codicum lectionem futilibus ratiunculis ab Orellio defensam cedere iussi praeclarae emendationi Bentleianae* Teucro duce et auspice Phoebo' *Meinekius l. l. p. V*

VIII Ad Lydiam, de Sybari. *Cruquiana. om. B* — 217 omneis *Cruquiana.* omnes *Orelliana* 3 — 218 te] Ho *B pr. m.* hoc *corr. B* — Sybarim *Cruquiana, C.* sibarim *B* — properas *Diomedes p.* 509., *Victorinus p.* 2533., *Fortunatianus p.* 2683. *et* 2703. *haud improbat Bentleius*

perdere, cur apricum
oderit campum, patiens pulueris atque solis.
cur neque militaris
inter aequalis equitat, Gallica nec lupatis
temperat ora frenis?
cur timet flauum Tiberim tangere? cur oliuum
sanguine uiperino
cautius uitat, neque iam liuida gestat armis
brachia, saepe disco,
saepe trans finem iaculo nobilis expedito?
quid latet ut marinae
filium dicunt Thetidis sub lacrimosa Troiae
funera, ne uirilis
cultus in caedem et Lycias proriperet cateruas?

CARMEN VIIII.

Vides ut alta stet niue candidum
Soracte, nec iam sustineant onus
siluae laborantes, geluque
flumina constiterint acuto.

222 aequales *Cruquiana*, *Orelliana* 3 (*explicat autem Cruquius:* ‘aequaleis. *aetatibus et studiis pareis. cod. Maldeg. habet militares*’.) — 222 et 223 equitet ... temperet *CD Cruquiana.* equitat ... temperat *B Bentleius* — 231 uiriles *B.* uirilis *Cruquiana*, *Orelliana* 3. ‘ *cod. Bland. antiquiss. habet expresse supra notatum uirileis esse accusatiui casus ...*’ *Cruquius*

VIIII Ad Thaliarchum, hiemem uoluptati aptam. *Cruquiana. om. B* — 236 acuto? (*D*) *Cruquiana* — 239 depone *B* — 241—244 ‘ *Haec si quis paullo attentius legat nec dulci uerborum sono se decipi patiatur, perinepte dicta esse intelleget. Tota enim sententia eo redit, ut tempestas postquam detonuerit detonuisse dicatur. Talia qui ab Horatio scripta esse serio sibi persuadent, honori*

dissolue frigus ligna super foco
large reponens, atque benignius
deprome quadrimum Sabina,
o Thaliarche, merum diota.

permitte diuis cetera: qui simul
strauere uentos aequore feruido
deproeliantis, nec cupressi
nec ueteres agitantur orni.

QVID sit futurum cras fuge quaerere, et
quem fors dierum cumque dabit, lucro
adpone nec dulcis amores
sperne puer neque tu choreas,

donec uirenti canities abest
morosa. nunc et campus et areae
lenesque sub noctem susurri
composita repetantur hora,

nunc et latentis proditor intimo
gratus puellae risus ab angulo
pignusque dereptum lacertis
aut digito male pertinaci.

poetae, quem tantopere admirantur, detrahunt, statuantque necesse est, poetam aliorum censorem fuisse seuerissimum, eorum quae ipse scripsisset lenissimum'. Meinekius p. VI — 243 deproelianteis *Cruquiana.* deproeliantes *Orelliana* 3 — 245 'Fors *legendum est ex omnibus scriptis antiquis' Cruquius.* fors *BD Bentleius.* sors *Fea, editio Weidmanniana* — 246 cumque *Cruquiana.* cunque *Orelliana* 3 — 247 appone *Cruquiana, Orelliana* 3 — dulceis *Cruquiana.* dulces *Orelliana* 3 — composita *Cruquiana, Orelliana* 3 — 255 'dereptum *legendum est ex duobus codicibus Bland., non direptum, ut uulgo' Cruquius.* direptum *B, corr. D*

CARMEN X.

Mercuri, facunde nepos Atlantis,
qui feros cultus hominum recentum
uoce formasti catus et decorae
more palaestrae,

te canam, magni Iouis et deorum
nuntium curuaeque lyrae parentem,
callidum quidquid placuit iocoso
condere furto.

te, boues olim nisi reddidisses
per dolum amotas, puerum minaci
uoce dum terret, uiduus pharetra
risit Apollo.

quin et Atridas duce te superbos
Ilio diues Priamus relicto
Thessalosque ignis et iniqua Troiae
castra fefellit.

tu pias laetis animas reponis
sedibus uirgaque leuem coerces

X Ad Mercurium *Cruquiana. om. B* — 257 Mercuri facunde, nepos *B Cruquiana* — 265 boueis *Commentator Cruquii et Cruquius in sua adnotatione.* boues *Cruquiana* — 269 Atreidas *Cruquiana.* Atridas *Orelliana* 3 — 270 relicto *Cruquiana*, *Orelliana* 3. relicta *editio Weidmanniana* 1851 *et Meinekiana* — 271 igneis *Cruquiana.* ignes *Orelliana* 3 — 273 animas laetis *B* — 275 et 276 superis deorum gratus et imis Aurea turbam *B*

XI Ad Leuconoen Mathematicam *Cruquiana. om. B* — 277 'quaesieris scire *ex scriptis Bland. et Mart. codice coniunctim legenda sunt, quaesieris scire. nefas enim per se ponitur per tmesim ut est in Bland. .....' Cruquius* — 278 Leuconoe] '*codex Mart. habet Leucothoë*' *Cruquius* — 279 temptaris *B D.* tentaris *Cruquiana* — 280 plures *Cruquiana*, *Orelliana* 3. plureis *Commenta-*

aurea turbam, superis deorum
gratus et imis.

CARMEN XI.

Tu ne quaesieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi
finem di dederint, Leuconoe, nec Babylonios
temptaris numeros. ut melius, quidquid erit, pati!
seu pluris hiemes seu tribuit Iuppiter ultimam,
qui nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum. sapias, uina liques et spatio breui
spem longam reseces. dum loquimur, fugerit inuida
aetas: carpe diem, quam minimum credula postero.

CARMEN XII.

Quem uirum aut heroa lyra uel acri
tibia sumes celebrare, Clio?

tor et Cruquius in adnotatione — 280 seu ..... Tyrrhenum *'uidetur mihi Horatius alludere ad etymon uocis Leuconoë, quo nomine hanc orationem, ut melius quidquid erit pati, pertinere iudicaui ad uerbum sapias, ita ut intermedia circumscribantur parenthesi, quae sic scripta inueni in cod. Blandinio uetustissimo, Mart. Maldeg. Sil. .....' Cruquius. parenthesin hanc habet Cruquiana* — Iupiter *Cruquiana ubique.* Iuppiter *Orelliana* 3 — 281 'qui. *mei Blandinii habent qui nimirum Iupiter debilitat etc.' Cruquius.* qui *A.* quae *Orelliana* 3 XII De laudibus Deorum et hominum *Cruquiana. om. B* — 286 sumes *'recinet. sic habet cod. Bland. antiquissimus atque etiam sumes. sed nescio quis pro e secunda uocali maculata conatus est formare i tertiam uocalem, sed non ita dextre ut deprehendi nequeat' Cruquius.* sumis *B C D.* recinit *corr. D.* retinet *B* — Cleio

quem deum? cuius recinet iocosa
nomen imago

aut in umbrosis Heliconis oris,
aut super Pindo, gelidoue in Haemo,
unde uocalem temere insecutae
Orphea siluae

arte materna rapidos morantem
fluminum lapsus celerisque uentos,
blandum et auritas fidibus canoris
ducere quercus.

quid prius dicam solitis parentis
laudibus, qui res hominum ac deorum,
qui mare et terras uariisque mundum
temperat horis?

unde nil maius generatur ipso
nec uiget quicquam simile aut secundum:
proximos illi tamen occupauit
Pallas honores.

proeliis audax, neque te silebo,
Liber, et saeuis inimica uirgo
beluis, nec te, metuende certa
Phoebe sagitta.

Cruquiana — 287 quem deum '*duo cod. Bland. cum Mart. Mald. et Diu. habent dium. alii deum*' *Cruquius* — 294 lapsos *C* — celerisque *BC*. celeresque *Cruquiana* — 297 'quid prius? *omnes codices scripti hic habent interrogationis notam, nimirum pro uulgata lectione, puta, parentum: Nam in antiquiss. Bland. ad marginem quoque adscriptum est, uel parentum, qua gratia non parum miror expunctum non esse genuinam lectionem parentis*' *Cruquius* — parentis *sic habet cod. Bland. uetustissimus. reliqui omnes parentum*' *Cruquius*, *BCD*, *nisi quod* parentum *corr. D* — 299 et *BD Cruquiana.* ac *C* — 302 nec] ne *B* — 305 Pallas hono-

dicam et Alciden, puerosque Ledae,
hunc equis, illum superare pugnis
nobilem; quorum simul alba nautis
stella refulsit,

defluit saxis agitatus umor,
concidunt uenti fugiuntque nubes,
et minax, quom sic uoluere, ponto
unda recumbit.

Romulum post hos prius, an quietum
Pompili regnum memorem, an superbos
Tarquini fascis, dubito, an Catonis
nobile letum.

Regulum et Scauros animaeque magnae
prodigum Paullum superante Poeno
gratus insigni referam camena
Fabriciumque.

hunc et incomptis Curium capillis
utilem bello tulit et Camillum
saeua paupertas et auitus apto
cum lare fundus.

crescit occulto uelut arbor aeuo
fama Marcellis; micat inter omnis

res, proeliis audax. neque *Bentleius* — 307 belluis *Cruquiana.* beluis *Orelliana* 3 — 313 humos *B.* humor *Cruquiana* — 315 minas *B* — quom] quod sic uoluere *B.* 'sic *Diu. per lituram; reliqui omnes, quia sic uoluere, habent*' *Cruquius.* qui. sic uoluere *C.* quia sic *D.* sic di *Bentleius* — 319 fasceis *Cruquiana.* fasces *Orelliana* 3 — an Catonis] anne Curti *malebat Bentleius* — 322 paulum *B* — Poeno superante Paullum *Bentleius* — 327 saeua ... apto] sancta ... arto *malebat Bentleius.* arto *recepit Meinekius in editione altera* — 330 Marcelli *Cruquiana, Orelliana* 3. Marcellis *Peerlkampius, editio Weidmanniana et Meinekiana altera* — omneis

Iulium sidus uelut inter ignis
luna minores.

gentis humanae pater atque custos,
orte Saturno, tibi cura magni
Caesaris fatis data: tu secundo
Caesare regnes.

ille seu Parthos Latio inminentis
egerit iusto domitor triumpho,
siue subiectos Orientis orae
Seras et Indos,

te minor latum reget aequus orbem;
tu graui curru quaties Olympum,
tu parum castis inimica mittes
fulmina lucis.

CARMEN XIII.

Cum tu, Lydia, Telephi
ceruicem roseam, cerea Telephi
laudas brachia, uae meum
feruens difficili bile tumet iecur.

octaviani Caesaris i

Cruquiana. omnis *C* — 331 Iulium sidus *B* — ignis *B.* ignes *C.* igneis *Cruquiana* — 337 imminenteis *Cruquiana.* imminentes *Orelliana* 3 — 338 domitor *Cruquiana.* domitos *Orelliana* 3 — 339 orae *'sic habent omnes cod. scrip. quos uidi' Cruquius, Orelliana* 3 — 340 Saerus *B* — 341 latum *D Cruquiana Bentleius.* laetum *BC* — reget *BCD Bentleius Cruquiana.* regat *Orellii Sangallensis* — aequos *antiqua scriptura C*

XIII Ad Lydiam *Cruquiana. om. B* — 346 cerea] lactea *e Flauio Capro p.* 2242 *Bentleius, Meinekius in editione altera, editio Weidmanniana* — 348 iecor *B* — 349 tunc *C Cruquiana* — 350 manent *Orelliana* 3. *'*manent. *sic habent omnes manuscr.' Cruquius.* manet *C* — humor *Cruquiana Orelliana* 3 *ubique* — 354 inmo-

tum nec mens mihi nec color
certa sede manent, umor et in genas
furtim labitur, arguens
quam lentis penitus macerer ignibus.

uror, seu tibi candidos
turparunt umeros inmodicae mero
rixae, siue puer furens
inpressit memorem dente labris notam.

non, si me satis audias,
speres perpetuum dulcia barbare
laedentem oscula quae Venus
quinta parte sui nectaris imbuit.

FELICES ter et amplius
quos inrupta tenet copula nec malis
diuolsus querimoniis
suprema citius soluet amor die.

CARMEN XIIII.

O nauis, referent in mare te noui
fluctus. o quid agis? fortiter occupa

dice *B* — 356 inpressit *B*. impressit *Cruquiana* — 357 audies *B* — 360 quincta *Cruquiana*. quinta *Orelliana* 3. multa *Paldamus* — 362 inrupta *BD*. irrupta *Cruquiana* — 363 'diuolsus *habent cod. Bland.*' *Cruquius*. diuolsus *Orelliana* 3. diuolsos *malebat Bentleius*

XIIII *In duobus cod. Bland. huius odes inscriptio est, Ad rempublicam; in tertio, Ad nauem M. Bruti reparantem ciuile bellum seu rempublicam. alii carent inscriptione' Cruquius.* Ad rempublicam bellum ciuile reparantem *Cruquiana.* Hac ode alloquitur marcum brutum qui apud philippos macedoniae urbem fusus uidebatur rursus pugnam instruere. Merito autem pro eo per allegoriam poeta metuere se testatur, quia sub eo militauerat *B in margine ab eadem manu qua poetae uerba scripta sunt* — 365 fluctus?

portum. nonne uides ut
nudum remigio latus,
et malus celeri saucius Africo
antennaeque gemant, ac sine funibus
uix durare carinae
possint imperiosius

aequor? non tibi sunt integra lintea,
non di quos iterum pressa uoces malo.
quamuis Pontica pinus,
siluae filia nobilis,

iactes et genus et nomen: inutile!
nil pictis timidus nauita puppibus
fidit. tu nisi uentis
debes lubibrium, caue.

nuper sollicitum quae mihi taedium,
nunc desiderium curaque non leuis,
interfusa nitentis
uites aequora Cycladas.

CARMEN XV.

Pastor cum traheret per freta nauibus

o *BD.* fluctus. o *Cruquiana, Weidmanniana, Meinekiana* — 370 antemnaeque *Cruquiana* — gemant ..... possint *Cruquiana. Orelliana* 3, *et quidem Orellius* ‘*propter codicum suorum antiquissimorum auctoritatem coniunctiuum se recepisse*’ *in adnotatione dicit.* gemunt ..... possunt *codices aliquot Bentleii, qui idem interrogationis signo post* latus *uocem posito indicatiuum praeferendum existimat* — 377 genus inutile nomen *B omisso altero* et. nomen: inutile! *sic etiam Stallbaumius distinguit.* nomen inutile: *Cruquiana, Orelliana* 3 — 383 nitenteis *Cruquiana.* nitentis *BD*

XV Nerei uaticinium de ruina Troiae *Cruquiana. om. B* — 386 ‘Helenam *sic habent cod. Maldeg. Mart. et antiquiss. Bland.*

Idaeis Helenam perfidus hospitam;
ingrato celeris obruit otio
uentos ut caneret fera

Nereus fata. 'mala ducis aui domum,
quam multo repetet Graecia milite,
coniurata tuas rumpere nuptias
et regnum Priami uetus.

eheu, quantus equis, quantus adest uiris
sudor! quanta moues funera Dardanae
genti! iam galeam Pallas et aegida
currusque et rabiem parat.

nequiquam Veneris praesidio ferox
pectes caesariem grataque feminis
inbelli cithara carmina diuides,
nequiquam thalamo grauis

hastas et calami spicula Cnosii
uitabis strepitumque et celerem sequi
Aiacem: tamen, heu, serus adulteros
crinis puluere conlines.

non Laertiaden, exitium tuae
gentis, non Pylium Nestora respicis?

alii habent Helenen cum uulgatis' Cruquius. Helenen *Bentleius Orelliana* 3 — 387 celeres *Cruquiana.* celeres *B* — 393 heu heu *Orelliana* 3. eheu *D Cruquiana Bentleius* — 397 nequiquam *BC Cruquiana.* nequicquam *Orelliana* 3 — 399 imbelli *Cruquiana.* inbelli *B* — 400 graueis *Cruquiana.* grauis *BC* — 401 gnosii *BCD.* Cnossii *Cruquiana* — 404 crineis '*scribit Lamb. in cod. Tornes. se inuenisse cultus adulteros. Ego quoque in duob. cod. Bland. et Maldeg. eam uocem inueni, sed reliqui cum antiquiss. Bland. habent crineis' Cruquius. (Exciderunt e cod. C uu.* 404—416.) — 405 lartiaden *B* — exitium '*codices Orellii*', *Cruquiana.* excidium *duo codices Bentleii* — 406 genti '*in tribus cod. Bland. ponitur,*

urguent inpauidi te Salaminius
Teucer, te Sthenelus sciens
pugnae, siue opus est imperitare equis,
non auriga piger. Merionen quoque
nosces. ecce furit te reperire atrox
Tydides melior patre:
quem tu, ceruus uti uallis in altera
uisum parte lupum graminis inmemor,
sublimi fugies mollis anhelitu,
non hoc pollicitus tuae.
iracunda diem proferet Ilio
matronisque Phrygum classis Achillei;
post certas hiemes uret Achaicus
ignis Iliacas domos.'

CARMEN XVI.

O matre pulchra filia pulchrior,
quem criminosis cumque uoles modum
pones iambis, siue flamma
siue mari libet Hadriano.
non Dindymene, non adytis quatit
mentem sacerdotum incola Pythius,

tuae genti; ceteri gentis habent' Cruquius. gentis *BD Cruquiana Bentleius* — 407 urgent *Cruquiana, Orelliana* 3 — inpauidi *B* — 408 Teucer te Sthenelus *'uariant hic scripta. cod.* 3. *Bland. cum Maldeg. habent Teucer te Sthenelus. alii Teucer et Sthenel. Sed nulli sequuntur uulgarem lect. Teucerque et Sthenelus. cuius lectionis nescio an insimulem Mansinellum ....' Cruquius.* Teucer et Sthenelus *BD.* Teucerque et Sth. *Bentleius* — 410 merionē *B* — 412 Tydides *'sic scribitur in Bland.' Cruquius, Orelliana* 3. Tydeides *Cruquiana* — 414 immemor *Cruquiana, Orelliana* 3 — 420 Iliacas] Pergameas *Fea, Meinekius, qui tamen in editione altera* Iliacas *recepit. Cfr. C. Lachmanni comment. p.* 59

non Liber aeque, non acuta
si geminant Corybantes aera,

tristes ut irae, quas neque Noricus
deterret ensis nec mare naufragum
nec saeuus ignis nec tremendo
Iuppiter ipse ruens tumultu.

fertur Prometheus addere principi
limo coactus particulam undique
desectam et insani leonis
uim stomacho adposuisse nostro.

irae Thyesten exitio graui
strauere et altis urbibus ultimae
stetere causae cur perirent
funditus inprimeretque muris

hostile aratrum exercitus insolens.
conpesce mentem. me quoque pectoris
temptauit in dulci iuuenta
feruor et in celeris iambos

misit furentem. nunc ego mitibus
mutare quaero tristia, dum mihi
fias recantatis amica
opprobriis animumque reddas.

XVI Ad amicam *Cruquiana.* Ad Tindariden faciens iamborum potest. *B* — 422 cumque *Cruquiana.* cunque *Orelliana* 3, *et sic ubique* — 425 quatis *C* — 428 sic *Cruquiana*, *Orelliana* 3. si *Bentleii coniectura*, *recepta a Meinekio et in editione Weidmanniana* — 434 coactam *malebat Bentleius* — 436 apposuisse *Cruquiana*, *Orelliana* 3, *ut u.* 440 imprimeret — 442 conpesce *B* — 443 temptauit *B.* tentauit *Cruquiana* — 444 celeres *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 448 obprobriis *B.* opprobriis *Cruquiana*

CARMEN XVII.

Velox amoenum saepe Lucretilem
mutat Lycaeo Faunus et igneam
defendit aestatem capellis
usque meis pluuiosque uentos.

inpune tutum per nemus arbutos
quaerunt latentis et thyma deuiae
olentis uxores mariti,
nec uiridis metuunt colubras

nec Martialis Haediliae lupos,
utcumque dulci, Tyndari, fistula
ualles et Vsticae cubantis
leuia personuere saxa.

di me tuentur, dis pietas mea
et musa cordi est. hic tibi copia
manabit ad plenum benigno
ruris honorum opulenta cornu.

hic in reducta ualle caniculae
uitabis aestus et fide Teia
dices laborantis in uno
Penelopen uitreamque Circen.

XVII Ad Tyndaridem *Cruquiana.* Ad eandem meretricem *B* — 453 tutum *BCD Cruquiana.* totum *Bentleius cum codd. Lambini* — 454 latenteis *Cruquiana.* latentes *Orelliana* 3 — 456 uirideis *Cruquiana.* uiridis *BC* — ‘colubras. *sic habent* 4. *Bland. cum Diuaei, Maldeg. Siluiique nec mutare uolui propter antiquitatem’ Cruquius, Orelliana* 3. colubros *recentiores codd. Peerlkampii* — 457 Martialeis *Cruquiana.* martialis *BC* — 457 ‘hoeduliae *ego quoque (sc. offendi ut Lambinus) in meis praeterquam in duobus Bland. in quibus liturae sunt indicio manifesto prius scriptum fuisse hoeuliae et priorem pediculum litterae u. mutatum in d. ab eo, qui hoedilia quidem ab hoedo non etiam hoeduliae ab hoedulo deriuari posse didicerat uel audierat .....’ Cruquius.* Haediliae

hic innocentis pocula Lesbii
duces sub umbra, nec Semeleius
cum Marte confundet Thyoneus
proelia, nec metues proteruum
suspecta Cyrum, ne male dispari
incontinentis iniciat manus
et scindat haerentem coronam
crinibus inmeritamqne uestem.

CARMEN XVIII.

Nullam, Vare, sacra uite prius seueris arborem
circa mite solum Tiburis et moenia Catili.
siccis omnia nam dura deus proposuit, neque
mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.
quis post uina grauem militiam aut pâuperiem crepat?
quis non te potius, Bacche pater, teque, decens Venus?
at ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero

CD. haedilia *B.* haeduleae *Bentleii coniectura* — lupus *B* — 461 dii ..... diis *Cruquiana* — 462 hic *B.* hinc *CD Cruquiana* (*Vu.* 463 *et* 464 *om. C*) — 465 heic *Cruquiana, ut etiam u.* 469 — 467 laboranteis *Cruquiana.* laborantes *Orelliana* 3 — 470 semeliug *C* — 473 nec *BC.* ne *Cruquiana* — 474 incontinentis *BC.* incontinenteis *Cruquiana* — iniciat *BCD.* iniiciat *Cruquiana* — 476 immeritam *Cruquiana, Orelliana* 3

XVIII Ad Quintilium Varum *Cruquiana.* Alloquitur Varum Quintilium de uitibus summam dicens uini sed cum modo uoluptatem *B* — 478 cathilli *B* — 481 'crepat. *haec uox sine ullis lituris est integra in* 4. *Bland.*' *Cruquius.* increpat *D pr. m.* — 483 Ac *CD Bentleius.* at *Cruquiana.* aut *B*

debellata, monet Sithoniis non leuis Euhius,
cum fas atque nefas exiguo fine libidinum
discernunt auidi. non ego te, candide Bassareu,
inuitum quatiam nec uariis obsita frondibus

sub diuum rapiam. saeua tene cum Berecyntio
cornu tympana, quae subsequitur caecus amor sui,
et tollens uacuum plus nimio gloria verticem,
arcanique fides prodiga, perlucidior uitro.

CARMEN XVIIII.

Mater saeua Cupidinum
Thebanaeque iubet me Semeles puer
et lasciua Licentia
finitis animum reddere amoribus.

urit me Glycerae nitor
splendentis Pario marmore purius;
urit grata proteruitas
et uoltus nimium lubricus adspici.

in me tota ruens Venus
Cyprum deseruit, nec patitur Scythas

485 Euius *Cruquiana.* euhyus ***B.*** *Cfr. Lachmanni in Lucretium commentarium p.* 309 — 487 discernunt] *'discurrunt duo cod. Bland. habent' Cruquius* — basse reu ***B*** — 489 bene cynthio ***B*** — 491 et tollens *'sic omnia scripta' Cruquius.* etollens ***B***

XVIIII De Glycera: se eius amoribus uti *Cruquiana.* Ad puerum suum de Glycera ***C.*** Ad puerum suum de Glicerae amore ***B*** — 494 iubent ***C.*** 'iubet. *quinque codices scripti habent* iubent et semele' *Cruquius.* iubet ***BD*** — Semelae ***D.*** semele ***B.*** Semeles *Cruquiana* — 495 libentia *malebat Bentleius* — 503 et uersis *Cruquiana, Orelliana* 3. *'tres cod. Bland. habent auersis' Cruquius* — 504 attinent] *'unus cod. Bland. habuit attinet quod litura indicat' Cruquius* (*uu.* 503, 504, 505, 507 *om.* ***C***) —

et uersis animosum equis
Parthum dicere, nec quae nihil attinent.

hic uiuum mihi cespitem, hic
uerbenas, pueri, ponite turaque
bimi cum patera meri:
mactata ueniet lenior hostia.

CARMEN XX.

Vile potabis modicis Sabinum
cantharis, Graeca quod ego ipse testa
conditum leui, datus in theatro
cum tibi plausus,

care Maecenas eques, ut paterni
fluminis ripae simul et iocosa
redderet laudes tibi Vaticani
montis imago.

Caecubum et prelo domitam Caleno
tum bibes uuam: mea nec Falernae
temperant uites neque Formiani
pocula colles.

505 heic ... heic *Cruquiana* — 506 turaque *B Cruquiana.* thuraque *Orelliana* 3

XX Ad Maecenatem *Cruquiana om. B.* — *Totum carmen cum Peerlkampius indignum Horatio dixisset, Doederlinius omnem offensionis causam sublatum iri existimabat, si us.* 10 tum *legeretur pro* tu. *Et hoc quidem rectissime correxit: restant tamen complura castigato poeta uix satis digna, ex quo genere sunt modici canthari, graeca testa, montis imago, denique quod ineptissime uites pocula temperare dicuntur et q. s.' Meinekius p. VII sq.* — 513 care *BCD Cruquiana.* clare *Bentleius* — 517 praelo *Cruquiana* — 518 tu *Cruquiana, Orelliana* 3. tum *Doederleinii coniectura* uid. II. Sammlung p. 213 — 519 foronani *B*

CARMEN XXI.

Dianam tenerae dicite uirgines,
intonsum, pueri, dicite Cynthium
Latonamque supremo
dilectam penitus Ioui.

uos laetam fluuiis et nemorum comam,
quaecumque aut gelido prominet Algido,
nigris aut Erymanthi
siluis aut uiridis Cragi.

uos Tempe totidem tollite laudibus
natalemque, mares, Delon Apollinis,
insignemque pharetra
fraternaque umerum lyra.

hic bellum lacrimosum, hic miseram famem
pestemque a populo et principe Caesare in
Persas atque Britannos
uestra motus aget prece.

CARMEN XXII.

Integer uitae scelerisque purus
non eget Mauris iaculis neque arcu

XXI Ad chorum puerorum puellarumque in Dianam et Apollinem hymnus *Cruquiana*. Laudes ad chorum uirginum ad puerum (scr. ac puerorum) ***B*** — 525 comam ***BC*** *Bentleius.* coma. *sic habent cod. Mart. Maldeg. Diu. Sil. sed quattuor Blandinii comam, quod non placet' Cruquius* — 528 Gragi ***BCD*** *Cruquiana* — 532 humerum *Cruquiana, Orelliana* 3 — 533 hic ... hic] haec ... haec *malebat Bentleius* — 534 in *om.* ***B*** — 536 agit ***C***

XXII Ad Aristium Fuscum de laudibus innocentiae *Cruquiana.* Ad Fuscum ***B*** — 538 'Mauris *sic habent quattuor Bland. et Diu.' Cruquius.* Mauris ***BCD.*** Mauri *Bentleii codex*

nec uenenatis grauida sagittis,
Fusce, pharetra,

siue per Syrtis iter aestuosas
siue facturus per inhospitalem
Caucasum uel quae loca fabulosus
lambit Hydaspes.

namque me silua lupus in Sabina,
dum meam canto Lalagen et ultra
terminum curis uagor expeditis,
fugit inermem:

quale portentum neque militaris
Daunias latis alit aesculetis,
nec Iubae tellus generat, leonum
arida nutrix.

pone me pigris ubi nulla campis
arbor aestiua recreatur aura,
quod latus mundi nebulae malusque
Iuppiter urguet;

pone sub curru nimium propinqui
solis, in terra domibus negata:
dulce ridentem Lalagen amabo,
dulce loquentem.

Reginensis ab alt. m. — neque] nec *BD* — 539 sagitis *Cruquiana* — 541 Syrtis *BD*. Syrteis *Cruquiana* — 548 'expeditis. *sic habent* 4. *Bland., alii uero, expeditus' Cruquius.* expeditis *BC et D pr. m.* expeditus *corr. D, Cruquiana* — 549—552 '*iure suspectauisse puto Peerlkampium' Meinekius l. l. p. VIII* — 550 Daunia latis *D*. Daunia in latis *Cruquiana, Bentleius.* Daunias latis *BC*, '*Daunias habent* 4. *cod. Bland.' Cruquius* — 556 Iupiter *Cruquiana fere ubique.* Iuppiter *Orelliana* 3 — urget *Cruquiana, Orelliana* 3

CARMEN XXIII.

Vitas hinnuleo me similis, Chloe,
quaerenti pauidam montibus auiis
matrem non sine uano
aurarum et siluae metu.

nam seu mobilibus ueris inhorruit
aduentus foliis, seu uirides rubum
dimouere lacertae,
et corde et genibus tremit.

atqui non ego te tigris ut aspera
Gaetulusue leo frangere persequor.
tandem desine matrem
tempestiua sequi uiro.

CARMEN XXIIII.

Quis desiderio sit pudor aut modus
tam cari capitis? praecipe lugubris

XXIII Ad Chloen, quod uiros fugiat matura uiro *Cruquiana*. Ad Chloen quam ad matrimonium hortatur *B* — 561 uitat *BC*. uitas *Cruquiana* — inuleo *BC Cruquiana*. hinuleo *D* — 565 'mobilibus ueris inhorruit *Muretus de litteris inter ceteros optime meritus non improbat hanc lectionem, nam seu mobilibus uitis inhorruit ad uentum foliis, inuentam, ut ait, in antiquis quibusdam libris. Ego sane in ullis aut scriptis aut aliis eam non comperi. Quare omnium consensu codicum quos uidere contigit hanc nostram seruandam censeo' Cruquius.* ueris *Orelliana* 3. uepris *Bentleii coniectura* — 566 ad uentum *auctore Mureto Bentleius.* aduentus *Cruquiana, Orelliana* 3. [uepris *et* ad uentum *recepit Meinekius in editione altera*]

XXIIII Ad Virgilium qui mortem Quintilii deflebat immoderate *Cruquiana*. Alloquitur Virgilium *B* — 574 lugubris *BC Bentleius.* lugubreis *Cruquiana.* '*omnes scripti codices praeter*

cantus, Melpomene, cui liquidam pater
uocem cum cithara dedit.

ergo Quintilium perpetuus sopor
urguet? cui Pudor et Iustitiae soror,
incorrupta Fides, nudaque Veritas
quando ullum inueniet parem!

multis ille bonis flebilis occidit,
nulli flebilior quam tibi Vergili.
tu, frustra pius, heu non ita creditum
poscis Quintilium deos.

quid si Threicio blandius Orpheo
auditam moderere arboribus fidem?
num uanae redeat sanguis imagini,
quam uirga semel horrida,

non lenis precibus fata recludere,
nigro compulerit Mercurius gregi?
DVRVM: sed leuius fit patientia
quidquid corrigere est nefas.

Maldeg. habent lugubris, ut sit casus genitiui, quod et in Bland. antiquiss. adnotatum uidi' Cruquius — 575 liquida *B* — 577 Quintilium *BCD Bentleius.* Quinctilium *Cruquiana* — 578 urget *Cruquiana, Orelliana* 3 — 580 inuenient *Cruquiana.* inueniet *BCD* — 581 bonis '*τὸ bonis habent omnia scripta, non etiam, τὸ quidem ut uulgati codices*' *Cruquius, Orelliana* 3 — 582 Vergili *C.* Virgili *Cruquiana* — 585 quid si '*in omnibus manuscript. praeterquam Mart. legitur* Quid si Thre. *Deinde* num uanae re. *Mart. autem sequitur uulgatos, puta,* Quod si etc. *Deinde* non uanae re.' *Cruquius, BCD.* quod si *Cruquiana, Orelliana* 3 — 586 moderare *C* — 587 num *BCD.* non *Cruquiana, Orelliana* 3 — 590 compulerit *Cruquiana, Orelliana* 3

CARMEN XXV.

Parcius iunctas quatiunt fenestras
iactibus crebris iuuenes proterui,
nec tibi somnos adimunt, amatque
ianua limen,

quae prius multum facilis mouebat
cardines. audis minus et minus iam
'me tuo longas pereunte noctis,
Lydia, dormis?'

inuicem moechos anus arrogantis
flebis in solo leuis angiportu,
Thracio bacchante magis sub inter-
lunia uento

cum tibi flagrans amor, et libido
quae solet matres furiare equorum,
saeuiet circa iecur ulcerosum,
non sine questu

laeta quod pubes edera uirenti
gaudeat pulla magis atque myrto,

XXV Ad Lydiam uetulam exprobratio *Cruquiana.* Ad Lydiam de superbia ipsius *B* — 593 uinctas *codices aliquot Bentleii* — 594 iactibus *BCD*, 'omnes scrip. *habent iactibus, praeter Diuaei, qui sequitur uulgatam lectionem*' *Cruquius.* ictibus *Cruquiana, Orelliana* 3 — 595 somnes *B* — 597 facilis *BC* 'sic *habent Bland. quos sequor*' *Cruquius.* faciles *D* — 599 metu. o. *B* — longa ..... nocte *B.* longam ..... noctem *Bentleii coniectura.* longas ..... nocteis *Cruquiana.* longas ..... noctes *Orelliana* 3 — 601 arrogantis *C.* arroganteis *Cruquiana* — 603 bacchata *malebat Bentleius* — 605 cupido *C pr. m.* — 609 edera *Cruquiana* — uirenti *BC Cruquiana.* uirente *D Bentleius* — 611 frondeis *Cruquiana.* frondes *Orelliana* 3 — 612 Euro *auctore Rut-*

aridas frondis hiemis sodali
dedicet Euro.

CARMEN XXVI.

Musis amicus tristitiam et metus
tradam proteruis in mare Creticum
portare uentis, quis sub Arcto
rex gelidae metuatur orae,

quid Tiridaten terreat, unice
securus. o quae fontibus integris
gaudes, apricos necte flores,
necte meo Lamiae coronam,

Pimplea dulcis: nil sine te mei
prosunt honores: hunc fidibus nouis,
hunc Lesbio sacrare plectro
teque tuasque decet sorores.

gersio Bentleius. Hebro *Cruquiana*, *Orelliana* 3. *Cfr. Heynium et Wagnerum ad Verg. Aen. I* 317

XXVI Ad Musas de Aelio Lamia *Cruquiana.* Ad Musas de Caelio Lamia *BC* — 617 Tyridatem *Cruquiana.* Tiridatem *Orelliana* 3 (*Vu.* 617 *et* 618 *om. C*) — 621 Piplea *BCD.* Pimplea *Cruquiana.* Pimplei *cum N. Heinsio Bentleius* — 622 prosunt *BCD Cruquiana.* possunt *cum Zulichemaniano suo, Lambini aliquot, Bersmanni uno Bentleius*

CARMEN XXVII.

Natis in usum laetitiae scyphis
pugnare Thracum est. tollite barbarum
morem uerecundumque Bacchum
sanguineis prohibete rixis.

uino et lucernis Medus acinaces
inmane quantum discrepat. inpium
lenite clamorem, sodales,
et cubito remanete presso.

uoltis seueri me quoque sumere
partem Falerni? dicat Opuntiae
frater Megillae, quo beatus
uolnere, qua pereat sagitta.

cessat uoluntas? non alia bibam
mercede. quae te cumque domat Venus,
non erubescendis adurit
ignibus, ingenuoque semper

amore peccas. quidquid habes, age
depone tutis auribus. ha miser,
quanta laborabas Charybdi,
digne puer meliore flamma.

XXVII Ad Sodaleis conuiuas suos ne inter potandum rixentur more Thracum *Cruquiana.* Ad sodales suos *B* — 627 inuerecundumque *Bentleii dubia suspicio* — 629 acinacis *BCD.* acinaces *Cruquiana* — 630 inmane *BD.* immane *Cruquiana* — impium *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — discrepet *C* — 633 uoltis *C.* uultis *Cruquiana* — 636 uulnere *Cruquiana.* uolnere *Orelliana* 3 — 637 uoluptas *BC*, *D corr.* uoluntas *Cruquiana* — 638 cumque *Cruquiana.* cunque *Orelliana* 3 — 640 ingenuaque semper *B* — 642 ha *D*, *'omnes quos uidi scripti lib. habent, ha. praeter unum Bland. in quo scriptum est, ah. sed non sine litura' Cruquius.* a. *B* — 643 laborabas *BC*, *D pr. m.* *'Cod. Bland. uetustiss. cū Maldeghe. et alio Blandinio, habent laborabas*

quae saga, quis te soluere Thessalis
magus uenenis, quis poterit deus?
uix inligatum te triformi
Pegasus expediet Chimaera.

CARMEN XXVIII.

Te maris et terrae numeroque carentis harenae
mensorem cohibent, Archyta,
pulueris exigui prope litus parua Matinum
munera, nec quicquam tibi prodest

aetherias temptasse domos animoque rotundum
percurrisse polum morituro.
occidit et Pelopis genitor, conuiua deorum,
Tithonusque remotus in auras

et Iouis arcanis Minos admissus, habentque
Tartara Panthoiden iterum Orco
demissum, quamuis clipeo Troiana refixo
tempora testatus nihil ultra

neruos atque cutem morti concesserat atrae,
iudice te non sordidus auctor

.... *alii fere omnes habent laboras sine praepositione in' Cruquius.* laboras Charybdi *D corr.* laboras in Charybdi *Cruquiana, Bentleius, Meinekius in editione altera.* laborabis *Paldamus* — 645 thessalis *in terminatione corr. B* — 647 inligatum *B.* illigatum *Cruquiana, Orelliana* 3 — 648 Chimaerae *Cruquiana.* Chimaera *Orelliana* 3, *'Chimaera legitur in omnibus scriptis' Cruquius*

XXVIII Ad Archytam Philosophum et Geometram *Cruquiana.* Ad architen genere Tarentinum arte geometren *B* — 649 harenae *BC.* arenae *Cruquiana* — 651 litus] latum *BC* — 653 aerias *Cruquiana, Orelliana* 3. aetherias *etiam editio Weidmanniana a.* 1851 *et Mcinekiana altera (cfr. Schneidewini Philol. uol. V p.* 171 *et C. Lachmanni comment. Lucret. p.* 167 *et* 186) — tem-

naturae uerique. SED omnis una manet nox
et calcanda semel uia leti.

dant alios Furiae toruo spectacula Marti;
exitio est auidum mare nautis;
mixta senum ac iuuenum densentur funera, nullum
saeua caput Proserpina fugit.

me quoque deuexi rapidus comes Orionis
Illyricis Notus obruit undis.
at tu, nauta, uagae ne parce malignus harenae
ossibus et capiti inhumato

particulam dare: sic, quodcumque minabitur Eurus
fluctibus Hesperiis, Venusinae
plectantur siluae te sospite, multaque merces
unde potest tibi defluat aequo

ab Ioue Neptunoque sacri custode Tarenti.
neglegis inmeritis nocituram
postmodo te natis fraudem conmittere? fors et
debita iura uicesque superbae

te maneant ipsum: precibus non linquar inultis,
teque piacula nulla resoluent.

ptasse *B*. tentasse *Cruquiana* — 663 omneis *Cruquiana*. omnes *Orelliana* 3 — nox] mors *B* — 666 'auidum *omnes lib. scripti sic habent praeter Sil. qui habet pauidis' Cruquius*. auidum *BCD*. auidis *Cruquiana* — 667 mista *Cruquiana* — 'densentur *habent 4. cod. Bland.' Cruquius*. densentur *BCD*. densantur *Aldus* — '*Pro* ac *alii libri habent* et *quorum Horatius fortasse neque hoc neque illud scripserat sed* ἀσυνδέτως mixta senum iuuenum densentur funera, *quo multum uigoris orationi accedit' Meinekius p. VIIII*. ac *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 671 arenae *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 673 si *B corr.* — 675 plectentur *C* — 678 neglegis inmeritis *BCD*, '*aut interrogatiue ut Bland. haec legenda sunt, negligis committere? .... aut assertiue, ut tres cod. Mart. Sil.*

quamquam festinas, non est mora longa; licebit
iniecto ter puluere curras.

CARMEN XXVIIII.

Icci, beatis nunc Arabum inuides
gazis et acrem militiam paras
non ante deuictis Sabaeae
regibus, horribilique Medo
nectis catenas. quae tibi uirginum
sponso necato barbara seruiet?
puer quis ex aula capillis
ad cyathum statuetur unctis,

doctus sagittas tendere Sericas
arcu paterno? quis neget arduis
pronos relabi posse riuos
montibus et Tiberim reuerti,

cum tu coemptos undique nobilis
libros Panaeti, Socraticam et domum
mutare loricis Hiberis,
pollicitus meliora, tendis?

Maldeg., quorum postremus habet forsan, reliqui omnes fors et. alii coniunctim alii diuisim.' Cruquius — 679 committere *Cruquiana, Orelliana* 3 — fors et] forsan *C* — 684 iniectum *B*

XXVIIII Ad Iccium qui a philosophia se ad militiam contulerat *Cruquiana.* Ad Iccium *B* — 685 inuidus *B* — 688 horribilisque *Bentleii coniectura* — 690 *'Vltimus in B (i. e. C noster) huius carminis uersus' Orellius* — 697 coemptus *B pr. m.* — nobileis *Cruquiana.* nobiles *D.* nobilis *B (cfr. Stallbaumii praef. p. LXXV)* — 699 Iberis *Cruquius.* Hiberis *Orelliana* 3 — 700 'meliora tendis *sic habent omnes scripti cod. quos uidi: non autem temnis, ut quidam uoluerunt' Cruquius.* tendis *Orelliana* 3

CARMEN XXX.

O Venus regina Cnidi Paphique,
sperne dilectam Cypron et uocantis
ture te multo Glycerae decoram
transfer in aedem.

feruidus tecum puer et solutis
Gratiae zonis properentque Nymphae
et parum comis sine te Iuuentas
Mercuriusque.

CARMEN XXXI.

Quid dedicatum poscit Apollinem
uates? quid orat de patera nouum
fundens liquorem? non opimae
Sardiniae segetes feracis,

non aestuosae grata Calabriae
armenta, non aurum aut ebur Indicum,

XXX Ad Venerem *B Cruquiana* — 701 Gnidi *BD.* Cnidi *Cruquiana* — 702 Cyprom *C* — 703 thure *Cruquiana*, *Orelliana* 3. ture *B*

XXXI Ad Apollinem *B Cruquiana* — 711 et 712 opimas ..... feracis *Cruquiana; sed in adnotatione sua scripsit Cruquius* opimae. opimae..... feraces *BCD.* opimas ..... feracis *Stallbaumius* (cfr. p. LXXV) — 713 grata *Cruquiana*, *Orelliana* 3. laeta *Paldamus.* '*fortasse* lata *scripsit poeta* i. e. *late diffusa, ut Homerus πλατὲ' ἀλπόλια dixit quod recte Hesychius interpretatur τὰ ἐν πλάτει νεμόμενα, μεγάλα e. q. s.*' *Meinekius l. l. p. VIIII sq.* — 714 ebor *B* — 717—724 '*Tertiam quartamque stropham omnis generis ineptiis repletas qui eiecit Peerlkampius, egregium Horatio carmen restituit*' *Meinekius l. l. p. X* — 717 Calenam *Bentleii coniectura* — 718 et] ut *C Bentleius* — 719 culillis *B.* cui illis

non rura quae Liris quieta
mordet aqua taciturnus amnis.

premant Calena falce, quibus dedit
Fortuna, uitem, diues et aureis
mercator exsiccet cululis
uina Syra reparata merce,

dis carus ipsis, quippe ter et quater
anno reuisens aequor Atlanticum
inpune: me pascunt oliuae,
me cichorea leuesque maluae.

frui paratis et ualido mihi,
Latoe, dones ac, precor, integra
cum mente nec turpem senectam
degere nec cithara carentem.

CARMEN XXXII.

Poscimur. siquid uacui sub umbra
lusimus tecum, quod et hunc in annum

C — 722 Atlanticum *Orelliana* 3. ‘*unus cod. Bland. habet Atlantidum*’ *Cruquius* — 723 impune *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — pascunt *BCD Cruquiana*. pascant *cum codice Regiae Societatis et Tan. Fabro Bentleius* — 724 cichorae *B* — 726 ac *D Bentleius*. ‘*sic legendum est, ut habent scripti cod. non, at, ut habent uulgati*’ *Cruquius*. at (*quod addendum est in Orelliana* 3 *post* et]) *BC Cruquiana*. et *Orelliana* 3

XXXII Ad Lyram *Cruquiana*. Ad liram de carminibus suis *B* — 729 poscimur *D pr. m.* ‘*sic Bland. cod. tres habent. quartus autem poscimus, cum aliis, sed adnotatum, alias poscimur, et uni ex tribus haec ascripta est enarratio: o barbite, poscimur a Maecenate i. e. precatur nos Maecenas ..... in alio autem codice qui habet poscimus alias poscimur, adscriptum est: poscebatur enim sua dicta edere ...*’ *Cruquius*. poscimus *BC et corr. D Bentleius* — siquid *Cruquiana* — umbra] antro *cum Galei codice Bentleius*

uiuat et pluris age dic Latinum,
barbite, carmen,

Lesbio primum modulate ciui,
qui ferox bello, tamen inter arma
siue iactatam religarat udo
litore nauem,

Liberum et Musas Veneremque et illi
semper haerentem puerum canebat
et Lycum nigris oculis nigroque
crine decorum.

o decus Phoebi et dapibus supremi
grata testudo Iouis, o laborum
dulce lenimen mihi quomque salue
rite uocanti.

CARMEN XXXIII.

Albi, ne doleas plus nimio memor
inmitis Glycerae, neu miserabilis
decantes elegos, cur tibi iunior
laesa praeniteat fide.

insignem tenui fronte Lycorida
Cyri torret amor; Cyrus in asperam

731 plureis *Cruquiana.* plures *Orelliana* 3 — 736 nauim *B C Cruquiana.* nauem *D Bentleius* — 743 mihi cumque *Cruquiana, Orelliana* 3. mihi, cuique, *malebat Bentleius.* medicumque *C. Lachmanni coniectura in commentario ad Lucret. p.* 288; *recepta est in edit. Weidm. a.* 1851. *Cfr. Orellii adnotationem, quae mihi probatur*

XXXIII Ad Albium Tibullum *Cruquiana.* Ad Albinum *B* — 746 inmitis *B* — miserabileis *Cruquiana.* miserabiles *Orelliana* 3 — 751 declinet *B pr. m., sed eadem manus corr.* declinat. declinat *Cruquiana* — Apulis *B* (*et probabiliter etiam*

declinat Pholoen; sed prius Apulis
iungentur capreae lupis,

quam turpi Pholoe peccet adultero.
sic uisum Veneri, cui placet inparis
formas atque animos sud iuga aenea
saeuo mittere cum ioco.

ipsum me melior cum peteret Venus,
grata detinuit compede Myrtale
libertina, fretis acrior Hadriae
curuantis Calabros sinus.

CARMEN XXXIIII.

Parcus deorum cultor et infrequens,
insanientis dum sapientiae
consultus erro, nunc retrorsum
uela dare atque iterare cursus

cogor relictos. namque Diespiter,
igni corusco nubila diuidens
plerumque, per purum tonantis
egit equos uolucremque currum,

quo bruta tellus et uaga flumina,
quo Styx et inuisi horrida Taenari

reliqui mei' Orellius) *Cruquiana.* Appulis *uulgo* — 754 impares *Cruquiana.* imparis *B* — 755 'aenea. *sic habent omnes scripti lib. alii aë diuisis. alii ae in diphthongum contractis' Cruquius*

XXXIIII Ad se ipsum, de neglecto Deorum cultu metuque dum sectaretur Epicureos *Cruquiana.* Ad Fortunam ef se ipsum *B* (*Idem in margine:* Hac ode significat se paenitentiam agere, quod epicuream sectam secutus irreligiosus exstiterit.) — 765 relectos *cum N. Heinsio ad Ouid. Meta. VIII* 173 *Bentleius* — 767 tonantis *B.* tonanteis *Cruquiana*

sedes Atlanteusque finis
concutitur. ualet ima summis

mutare et insignem attenuat deus,
obscura promens; hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
sustulit, hic posuisse gaudet.

CARMEN XXXV.

O diua, gratum quae regis Antium,
praesens uel imo tollere de gradu
mortale corpus uel superbos
uertere funeribus triumphos.

te pauper ambit sollicita prece
ruris colonus, te dominam aequoris,
quicumque Bithyna lacessit
Carpathium pelagus carina.

te Dacus asper, te profugi Scythae
urbesque gentesque et Latium ferox

773 insigne *Bentleius e codice Reginensi, in quo erat:* insigne attenuat decus — 776 heič *Cruquiana*

XXXV Ad Fortunam *Cruquiana B*, (haec ode in fortunam potentium scripta est, cui Caesaris profectionem commendat. *B in margine*) — 779 *'Memini cum Lachmannus* sursus *sibi pro* corpus *scribendum uideri diceret; nec sane intellegitur quo pacto quis corpus recte tueri possit' Meinekius l. l. p. XI* — 790 fremens *malebat Bentleius* — 791 cessantis *C.* cessanteis *Cruquiana.* cursantes *malebat Bentleius* — 793 anteit] *fortasse scribendum est* ambit — serua *BC.* saeua *D Bentleius.* saeua. *sic uulgati codices, quibus consentiunt scripti duo Mart. et Maldeg. eamque lectionem comprobat Lambinus. Ceterum* 4. *Bland. Diu. et Sil. habent serua Necessitas, sed eam reiectat Lambinus. at Bland. codicum uetustas nonnihil me mutare facit, quorum adnotationes (in aliis*

regumque matres barbarorum et
purpurei metuunt tyranni,

iniurioso ne pede proruas
stantem columnam, neu populus frequens
ad arma cessantis, ad arma
concitet imperiumque frangat.

te semper * *anteit* serua Necessitas,
clauos trabalis et cuneos manu
gestans aena, nec seuerus
uncus abest liquidumque plumbum.

te Spes et albo rara Fides colit
uelata panno, nec comitem abnegat,
utcumque mutata potentis
ueste domos inimica linquis.

[at uolgus infidum et meretrix retro
periura cedit, diffugiunt cadis
cum faece siccatis amici,
ferre iugum pariter dolosi.]

serues iturum Caesarem in ultimos

certe inconstantes) *hic uno consensu de seruitute loquuntur, quam necessitati debere nos uolunt' Cruquius* — 794 trabaleis *Cruquiana.* trabales *Orelliana* 3 — 795 aëna '*sic Bland. non etiam ahena' Cruquius, Orelliana* 3 — 796 liquidum '*Bland. cod. antiquiss. habet expuncto q. liuidum' Cruquius.* liquidum *Orelliana* 3 — 798 '*Nescio quis coniecit* abnegas, *quod Doederl. Opusc. uol. II p.* 217 *tuetur interpretatione satis artificiosa. Equidem despero de probabili loci interpretatione in quo praeter cetera etiam* pannus *quid sibi uelit non intellego; falluntur enim qui de qualibet ueste id intellegi posse existimant' Meinekius l. l.* — 799 potentis *C.* potenteis *Cruquiana* — 800 inimica uertis. Tum uolgus *malebat Bentleius* — 801 *hanc stropham mihi quidem ualde suspectam uncis includendam curaui* — uulgus *Cruquiana.* uolgus *Orelliana* 3 — 805 ultimos, oro, Britannos *malebat Bentleius*

orbis Britannos et iuuenum recens
examen Eois timendum
partibus Oceanoque rubro.

eheu, cicatricum et sceleris pudet
fratrumque. quid nos dura refugimus
aetas? quid intactum nefasti
liquimus? unde manum iuuentus

metu deorum continuit? quibus
pepercit aris? o utinam noua
incude diffingas retusum in
Massagetas Arabasque ferrum.

CARMEN XXXVI.

Et ture et fidibus iuuat
placare et uituli sanguine debito
custodes Numidae deos,
qui nunc Hesperia sospes ab ultima
caris multa sodalibus,
nulli plura tamen diuidit oscula
quam dulci Lamiae, memor
actae non alio rege puertiae

809 eheu *Orelliana* 3. heu heu *C.* ‘heü *habent omnia scripta praeter Diuae.*’ *Cruquius* — 810 dura *om. B* — 812 linquimus *C* — manum *BCD Cruquiana.* manus *Lambinus* — 815 diffingas *BD.* defingas *C* — recusum *Cruquiana.* ‘diffingas recusum: *hanc lectionem habet unus cod. Bland. duo uero cum Diu. et Sil. diffingas retusum. Maldeg. et Mart. defingas retusum*’ *Cruquius* — recoctum *malebat Bentleius*

XXXVI De reditu Plotii Numidae *Cruquiana.* Ad Lamiam *B.* (*B in margine:* Hanc odam scribit in honorem numide pro cuius salute reuersi ex mauritania uota soluenda aequum esse dicit.) — 817 ture *B.* thure *Cruquiana* — 824 ‘pueritiae *sic*

mutataeque simul togae.
Cressa ne careat pulchra dies nota,
neu promptae modus amphorae,
neu morem in Salium sit requies pedum,

neu multi Damalis meri
Bassum Threicia uincat amystide,
neu desint epulis rosae
neu uiuax apium neu breue lilium.

omnes in Damalin putris
deponent oculos, nec Damalis nouo
diuelletur adultero
lasciuis ederis ambitiosior.

CARMEN XXXVII.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
pulsanda tellus, nunc Saliaribus
ornare puluinar deorum
tempus erat dapibus, sodales.

antehac nefas depromere Caecubum
cellis auitis, dum Capitolio
regina dementis ruinas,
funus et imperio parabat

habent expresse omnia scripta' Cruquius. pueritiae *B.* puertiae *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 826 Cressa *Orelliana* 3. 'Cressa. *controuersum hic esse solet Cressane an Thressa legendum sit ..... equidem nihil muto propter consensum omnium codicum manuscr.' Cruquius* — 829 nec multi *codices aliquot.* neu multi *B C D Cruquiana* — 831 desinit *B pr. m.* — 833 Damalim *Cruquiana.* Damalin *Orelliana* 3 — putreis *Cruquiana.* putres *Orelliana* 3 — 836 ederis *Cruquiana ubique*

XXXVII Ad Sodaleis de Actiaca Victoria *Cruquiana.* In uictoriam Augusti *B* — 841 deponere *C* — 843 dementis *C.* dementeis *Cruquiana*

contaminato cum grege turpium
morbo uirorum, quidlibet inpotens
sperare fortunaque dulci
ebria: sed minuit furorem

vix una sospes nauis ab ignibus,
mentemque lymphatam Mareotico
redegit in ueros timores
Caesar ab Italia uolantem

remis adurguens, accipiter uelut
mollis columbas aut leporem citus
uenator in campis niualis
Haemoniae, daret ut catenis

fatale monstrum: quae generosius
perire quaerens nec muliebriter
expauit ensem nec latentis
**classe cita reparauit* oras,

ausa et iacentem uisere regiam

845 cum grege *Orelliana* 3. ‘congrege turp. mor. uir. *In tribus cod. scrip. Mart. Maldeg. Sil. legitur, congrege coniunctim, quam lectionem seruaui tanquam genuinam ut per synchysin eam sic exponamus, congrege uirorum turpium, i. e. congregibus uiris turpibus, morboque contaminatis*’ *Cruquius* — 846 morbo uirorum] opprobriorum *malebat Bentleius* — 851 in] ad *malebat Bentleius* — 853 adurgens *Cruquiana, Orelliana* 3 — 854 mollis *BC.* molleis *Cruquiana* — 856 Aemoniae *Cruquiana.* Haemoniae *Orelliana* 3. ‘Haemonia niualis *quid difficultatis habeat docere conatus sum in Schneidewini Philol. uol. II p.* 161 *ubi quod scribendum esse conieci* Paeoniae *ne nunc quidem displicet; quanquam possis etiam* Emathiae *conicere quod nomen in codd. fere* Haemathia *scriptum reperitur. u. Ruhnken. ad Iul. Ruf. p.* 216’ *Meinekius l. l.* — 859 latentis *BC.* latenteis *Cruquiana* — 860 reparauit] penetrauit *malebat Bentleius.* ‘classe cita reparauit oras *de quibus nihil adhuc prolatum est quod probari possit, sententiae non male consulueris scribendo:*

uoltu sereno, fortis et asperas
tractare serpentis, ut atrum
corpore conbiberet uenenum,

deliberata morte ferocior:
saeuis Liburnis scilicet inuidens,
priuata deduci superbo
non humilis mulier triumpho.

CARMEN XXXVIII.

Persicos odi, puer, adparatus;
displicent nexae philyra coronae;
mitte sectari, rosa quo locorum
sera moretur.

simplici myrto nihil adlabores
sedulus, curo: neque te ministrum
dedecet myrtus neque me sub arta
uite bibentem.

nec latentes sollicitare parauit oras *i. e. non instituit interiores regni partes ad bellum renouandum instigare et q. s.' Meinekius l. l.* [*Forlasse scripsit poeta:* clade iterare parauit, *ut III* 3, 62] — 861 tacentem *codex Bersmanni probante Bentleio* — 862 uultu *Cruquiana.* uoltu *Orelliana* 3 — 863 serpenteis *Cruquiana.* serpentes *Orelliana* 3 — 864 conbiberet *B.* combiberet *Cruquiana*

XXXVIII Ad puerum, de apparatu non magno *Cruquiana.* Ad puerum ministrum *BC* — 869 'odi *in antiquiss. cod. Bland. hic supra notatum est, sperne' Cruquius* — apparatus *Cruquiana, Orelliana* 3 — 873 allabores *Cruquiana, Orelliana* 3 — 874 curo *BCD Cruquiana.* cura *Bentleii coniectura.* sedulus, curo *etiam in editione Weidmanniana a.* 1851. *Bentleii senescentis est:* 'Sedulus oro, *optime habet Cod. Petri sine ulla litura.*' [*Adde Carm. saec. uersum* 26 *et Sermonum uersum* 782] — 875 me] te *B* — 'arta. *sic habent cod. Bland. arta, sine c ubique' Cruquius.* arta *Orelliana* 3

Q. HORATII FLACCI
CARMINVM
LIBER SECVNDVS.

CARMEN I.

Motum ex Metello consule ciuicum
bellique causas et uitia et modos
ludumque Fortunae grauisque
principum amicitias et arma
nondum expiatis uncta cruoribus,
periculosae plenum opus aleae,
tractas et incedis per ignis
suppositos cineri doloso.

paullum seuerae Musa tragoediae
desit theatris: mox ubi publicas
res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,

I Ad C. Asinium Pollionem *Cruquiana.* Ad Asinium Pollionem consularem uirum *B* — 879 grauisque *BCD.* graueisque *Cruquiana* — 881 uncta] tincta *Bentleii coniectura* — 883 igneis *Cruquiana.* ignes *Orelliana* 3 — 890 Pollio *Cruquiana, Orelliana* 3. Polio *C. Lachmannus comment. in Lucret. p.* 33 — 892 Delmatico *C.* Dalmatico *BD Cruquiana.* (*Cfr. quae in Forcellini lexico congesta sunt exempla*) — 894 aureis *Cruquiana.*

insigne maestis praesidium reis
et consulenti, Polio, curiae,
cui laurus aeternos honores
Delmatico peperit triumpho.

iam nunc minaci murmure cornuum
perstringis auris, iam litui strepunt,
iam fulgor armorum fugacis
terret equos equitumque uoltus.

audire magnos iam uideor duces
non indecoro puluere sordidos,
et cuncta terrarum subacta
praeter atrocem animum Catonis.

Iuno et deorum quisquis amicior
Afris inulta cesserat inpotens
tellure, uictorum nepotes
rettulit inferias Iugurthae.

quis non Latino sanguine pinguior
campus sepulcris inpia proelia
testatur auditumque Medis
Hesperiae sonitum ruinae?

qui gurges aut quae flumina lugubris
ignara belli? quod mare Dauniae
non decolorauere caedes?
quae caret ora cruore nostro?

aures *Orelliana* 3 — 895 fugacis *B C.* fugaces *Cruquiana* — 896 uoltus *Orelliana* 3. uultus *Cruquiana* — 897 audire] uidere *Bentleii coniectura, in quam inciderat iam Beroaldus ad Cic. Tusc. V* 39 — 902 impotens *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 903 *Hunc uersum om. B* — 904 rettulit *Cruquiana*, *Orelliana* 3. *'retulit per unicum t in omnibus scriptis' Cruquius* — 906 impia *Cruquiana*, *Orelliana* 3

sed ne relictis, Musa procax, iocis
Ceae retractes munera neniae:
mecum Dionaeo sub antro
quaere modos leuiore plectro.

CARMEN II.

Nullus argento color est auaris
abdito terris, inimice lamnae
Crispe Salusti, nisi temperato
splendeat usu.

uiuet extento Proculeius aeuo,
notus in fratres animi paterni;
illum aget pinna metuente solui
Fama superstes.

latius regnes auidum domando
spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus iungas et uterque Poenus
seruiat uni.

914 'Ceae. *sic sine diphtongo in principio, Ceae, scriptum est in omnibus nostris scriptis' Cruquius.* Ceae *Orelliana* 3

II Ad C. Crispum Sallustium de contemptu pecuniae cum laude liberalitatis *Cruquiana.* Ad Salustium Crispum *C.* Ad Crispum Sallustium *B.* Ad Salustium Crispum quoduis liberalitatis extollit gratia *D* — 918 lammae *B* — 919 Sallusti *BC Cruquiana.* Salusti *D* — 923 aget *BCD Cruquiana.* agit *aliquot Bentleii codices* — pinna *C.* penna *Cruquiana* — 925 Latium *B* — 927 Poenus *Cruquiana, Orelliana* 3. Phoebus *Peerlkampius.* pontus *Schrader.* finis *Meinekius l. l. p. XII sq.* — 929 dirus *Cruquiana, Orelliana* 3. 'durus *Codex Bland.* 1. *et Maldeg. habent' Cruquius* — 933 prahaten *BC.* 'Omnes *Bland. et alii* 4. *cod. habent Phrahates per aspirationem in medio' Cruquius* —

crescit indulgens sibi dirus hydrops,
nec sitim pellit, nisi causa morbi
fugerit uenis et aquosus albo
corpore languor.

redditum Cyri solio Phrahaten
dissidens plebis numero beatum
eximit uirtus populumque falsis
dedocet uti

uocibus, regnum et diadema tutum
deferens uni propriamque laurum,
quisquis ingentis oculo inretorto
spectat aceruos.

CARMEN III.

Aequam memento rebus in arduis
seruare mentem, non secus in bonis
ab insolenti temperatam
laetitia, moriture Delli,

934 plebi *CD*. *plebis B.* ‘*uerior, meo iudicio, lectio est codicum Bland. dissidens plebis*’ *Cruquius* — beatorum *BCD Cruquiana Bentleius.* beatum *quattuor Pottierii, cfr. u.* 1294 *et praefationem* — 939 ingentis *C.* ingenteis *Cruquiana* — inretorto *BCD.* irretorto *Cruquiana*

III Ad L. Gellium; de aequalitate mentis seruanda tam in prosperis quam rebus aduersis: quia mors est omnibus aequa *Cruquiana.* Ad (*C*) Dellium *BC.* Dellio *D.* ‘*In antiquissimo codice Bland. ex apicibus, lituris et alterius Bland. collatione, in quo scriptum erat ad Bellium, facile deprehendi in locum litterae G irrepsisse litteram D*’ *Cruquius* — 942 in bonis *BCD Cruquiana.* ac bonis *e Lambini duobus Bentleius et Meinekius l. l. p. XIII, addens* ‘ac *scribere cum Bentleio e Lamb. codd. malui quam orationis scabritiem Horatio relinquere*’ — 944 Gelli *Cruquiana*

seu maestus omni tempore uixeris,
seu te in remoto gramine per dies
festos reclinatum bearis
interiore nota Falerni.

quo pinus ingens albaque populus
umbram hospitalem consociare amant
ramis? quid obliquo laborat
lympha fugax trepidare riuo?

huc uina et unguenta et nimium breuis
flores amoenae ferre iube rosae,
dum res et aetas et sororum
fila trium patiuntur atra.

cedes coemptis saltibus et domo
uillaque flauus quam Tiberis lauit;
cedes, et exstructis in altum
diuitiis potietur heres.

diuesne prisco natus ab Inacho
nil interest an pauper et infima
de gente sub diuo moreris,
uictima nil miserantis Orci.

949 quo *BCD* ‘*omnia scripta habent quo*’ *Cruquius.* qua *e Lambini codicibus Bentleius.* quor *Lachmanni coniectura in Mus. Rhen. III* 614 (*a.* 1845) — 951 quid? obliquo *C.* ‘*sic legitur in duobus Blandin. antiquiss. non sine turpi litura; in altero expresse cum suppositis punctulis sine litura*’ *Cruquius.* quod obliquo *B.* quo obliquo *D.* ramis, et obliquo *Bentleius, qui idem de* ramosque et obliquo *cogitauit.* ramis. quid? obliquo .... riuo. *Cruquiana.* ramis, quo et *commate post* riuo *uocem posito Stallbaumius* (*cfr. eius praef. p. LXXV*) — 952 fugas *B* — 953 ‘breuis ... amoenos. *uariant hic scripta, sed plurium consensum sequor*’ *Cruquius.* breuis ... amoenae *BC* — 954 floreis *Cruquiana.* flores *Orelliana* 3 — 957 coëmtis *Cruquiana.* coëmptis *Orelliana* 3 — 958 flauos *antiqua scriptura B* — lauat *BC.* lauit

omnes eodem cogimur, omnium
uersatur urna serius ocius
sors exitura et nos in aeternum
exilium inpositura cumbae.

CARMEN IIII.

Ne sit ancillae tibi amor pudori,
Xanthia Phoceu: prius insolentem
serua Briseis niueo colore
mouit Achillem;

mouit Aiacem Telamone natum
forma captiuae dominum Tecmessae;
arsit Atrides medio in triumpho
uirgine rapta,

barbarae postquam cecidere turmae
Thessalo uictore et ademptus Hector
tradidit fessis leuiora tolli
Pergama Grais.

Cruquiana — 962 nihil *B.* nil *Cruquiana* — 964 dio *C Cruquiana. Vide adnotationem ad Carm. uers.* 1481. diuo *Orelliana* 3 — 966 ocyus *Cruquiana* — 968 impositura *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — cumbae *C. cymbae D Cruquiana.* cimbae *B*

IIII Ad Xanthiam Phoceum, sodalem, amare ancillam non esse crimen *Cruquiana.* Ancillam amare crimen non esse *C.* Alloquitur sodalem suum foceum monens prosphonetice ne deserat concubinam suam Phillidem appetens talem, qualis fuit Xanthia *D.* Ad Xancthiam traliptam ancillam amare crimen non esse protreptice tetracolos *B* — 970 Xancthia *B.* Xanthia *Cruquiana* — 974 Tecmessae *Cruquiana*, *Orelliana* 3. 'Temessae *in uno cod. Bland. scriptum est' Cruquius* — 975 Atreides *Cruquiana* — 980 Grais *B.* (*de ceteris meis nunc non memini' Orel-*

nescias an te generum beati
Phyllidis flauae decorent parentes:
regium certe genus et penatis
maeret iniquos.

crede non illam tibi de scelesta
plebe dilectam, neque sic fidelem,
sic lucro auersam potuisse nasci
matre pudenda.

brachia et uoltum teretisque suras
integer laudo: fuge suspicari
cuius octauum trepidauit aetas
claudere lustrum.

CARMEN V.

Nondum subacta ferre iugum ualet
ceruice, nondum munia conparis
aequare nec tauri ruentis
in uenerem tolerare pondus.

lius). Graiis *Cruquiana* — 982 decorant *B*. decorent *Cruquiana* — 983 penatis *B*. penateis *Cruquiana* — 986 delectam *B Cruquiana*. dilectam *CD* ᶜdilectam. *sic habent sine ulla litura, aut macula omnes mei scripti lib. non delectam*ᵛ *Cruquius* — 989 uultus *Cruquiana*. uoltus *Orelliana* 3 — teretisque *C et B pr. m.* teretesque *Cruquiana* — 992 condere *Bentleii suspicio*

V Non esse properandam ad immaturae uirginis osculum *Cruquiana*. Non esse properandum ad uirginis osculum *C*. Dicit omnia [*leg.* omnino] non ..... osculum eutice (*εὐκτική*) oratio ad sodalem per allegoriam *D*. Non..... osculum ode tetracolos ad Gabinium *B* — 994 comparis *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 997 uirentis *CB pr. m.* uirenteis *Cruquiana* — 1002 immitis *Cru-*

circa uirentis est animus tuae
campos iuuencae, nunc fluuiis grauem
solantis aestum, nunc in udo
ludere cum uitulis salicto

praegestientis. tolle cupidinem
inmitis uuae: iam tibi liuidos
distinguet autumnus racemos
purpureo uarius colore.

iam te sequetur: currit enim ferox
aetas, et illi, quos tibi dempserit,
adponet annos: iam proterua
fronte petet Lalage maritum,

dilecta quantum non Pholoe fugax,
non Chloris, albo sic umero nitens
ut pura nocturno renidet
luna mari Cnidiusue Gyges:

quem si puellarum insereres choro,
mire sagacis falleret hospites
discrimen obscurum solutis
crinibus ambiguoque uoltu.

quiana, *Orelliana* 3 — 1003 autumnus *Cruquiana*. Auctumus *Orelliana* 3 — 1004 uarius *Cruquiana*, *Orelliana* 3. *'quid si ex coniectura reposueris ..... uarios?' Bentleius* — 1005 sequitur *B* — 1006 demserit *Cruquiana*. dempserit *Orelliana* 3 — quod tibi dempserit, Apponet annos *uel* quot .... annos *Bentleii suspiciones* — 1007 apponet *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1008. petit *B* — 1010 humero *Cruquiana et Orelliana* 3 *ubique* — 1011 nocturna *B* — 1012 gnidiusque *B*. Cnidiusue *CD Cruquiana* — 1014 sagaces *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1016 uultu *Cruquiana*. *'Habet uoltu c' Orellius*

CARMEN VI.

Septimi, Gadis aditure mecum et
Cantabrum indoctum iuga ferre nostra et
barbaras Syrtis, ubi Maura semper
aestuat unda,

Tibur Argeo positum colono
sit meae sedes utinam senectae,
sit domus lasso maris et uiarum
militiaeque.

unde si Parcae prohibent iniquae,
dulce pellitis ouibus Galaesi
flumen et regnata petam Laconi
rura Phalantho.

ille terrarum mihi praeter omnis
angulus ridet, ubi non Hymetto
mella decedunt uiridique certat
baca Venafro;

uer ubi longum tepidasque praebet
Iuppiter brumas, et amicus Aulon
fertili Baccho minimum Falernis
inuidet uuis.

VI Ad Septimium de Tiburtinae et Tarentinae regionis amoenitate *Cruquiana*. Ad Septimium *C*. Ad Septimium prospenetice (προσφωνητική) tetracolos *B*. Septimio *D* — 1017 gadis *C*. Gades *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1019 Syrtis *BC*. Syrteis *Cruquiana* — 1021 Argeo *Orelliana* 3. 'Argeo. *aliter Argiuo in codic. Bland. uetustissimo*' *Cruquius* — 1026 Galesi *Cruquiana* — 1028 Phalantho *B Cruquiana*. Phalanto *CD* — 1029 omnis *B*. omneis *Cruquiana* — 1032 bacca *Cruquiana*. baca *Orelliana* 3 — 1034 amictus *N. Heinsius*. apricus '*lenissima mutatione*' *Bentleius coniecit* — Iupiter *Cruquiana*. Iuppiter *Orelliana* 3 — 1035 fertili *BC Cruquiana*. fertilis *D*, 'cod. duo Maldeg. et Mart. habent fertilis Baccho' *Cruquius*, *Seru. ad Verg. Aen. III* 553,

ille te mecum locus et beatae
postulant arces, ibi tu calentem
debita sparges lacrima fauillam
uatis amici.

CARMEN VII.

O saepe mecum tempus in ultimum
deducte Bruto militiae duce,
quis te redonauit Quiritem
dis patriis Italoque caelo,

Pompei, meorum prime sodalium?
cum quo morantem saepe diem mero
fregi coronatus nitentis
malobathro Syrio capillos.

tecum Philippos et celerem fugam
sensi, relicta non bene parmula,
cum fracta uirtus, et minaces
turpe solum tetigere mento.

sed me per hostis Mercurius celer
denso pauentem sustulit aere;

Bentleius. 'si res integra esset nunc haud cunctanter praeferrem *Bentleii emendationem elegantissimam* apricus Aulon fertilis Baccho' *Meinekius l. l. p. XIII* — minimum *C* — 1039 lacryma *Cruquiana.* lacrima *Orelliana* 3

VII Ad Pompeium Varum, ei gratulans reditum in patriam *Cruquiana.* Ad Pompeium Varum *C.* Ad Pompeium Varum prosponetice (προσφωνητική) tetracolos *B.* Ad Oratium Pompilium commilitonem Brutianum quem receptum in patriam inuitat *D* — 1045 Pompili *D.* Pompi *BC.* Pompei *Cruquiana* — 1047 nitentis *B.* nitenteis *Cruquiana* — 1052 turpe! solum *cum Ge. Fabricio Bentleius.* turpe, solum *Cruquiana* — 1053 hostis

te rursus in bellum resorbens
unda fretis tulit aestuosis.

ergo obligatam redde Ioui dapem
longaque fessum militia latus
depone sub lauru mea, nec
parce cadis tibi destinatis.

obliuioso leuia Massico
ciboria exple, funde capacibus
unguenta de conchis. quis udo
deproperare apio coronas

curatue myrto? quem Venus arbitrum
dicet bibendi? non ego sanius
bacchabor Edonis: recepto
dulce mihi furere est amico.

CARMEN VIII.

Vlla si iuris tibi peierati
poena, Larine, nocuisset umquam,
dente si nigro fieres uel uno
turpior ungui,

crederem: sed tu simul obligasti
perfidum uotis caput, enitescis

B C. hosteis *Cruquiana* — 1058 *Hic ultimus carminis uersus in C* VIII Ad Iuliam Barinen periuram et rapacem meretricem *Cruquiana.* Ad Barinen *B C.* Iuliae Barinae. In meretricem rapacem et periuram *D.* '*In codicibus Bland. huius odes inscriptionem inueni ad Iuliam Barinen etc. ut uidere est in Epigraphe*' *Cruquius* — 1070 Larine] Barine *B D Cruquiana.* barine (uel u) *C.* ('*non multum tribuo coniecturae meae qua* Carine *scribendum suspicatus sum: non credo tamen* Barine *incorruptum esse*' *Meinekius p. XIIII*) *cfr.*

pulchrior multo iuuenumque prodis
publica cura.

expedit matris cineres opertos
fallere et toto taciturna noctis
signa cum caelo gelidaque diuos
morte carentis.

ridet hoc, inquam, Venus ipsa, rident
simplices Nymphae, ferus et Cupido,
semper ardentis acuens sagittas
cote cruenta.

adde quod pubes tibi crescit omnis,
seruitus crescit noua, nec priores
inpiae tectum dominae relinquunt,
saepe minati.

te suis matres metuunt iuuencis,
te senes parci, miseraeque nuper
uirgines nuptae, tua ne retardet
aura maritos.

CARMEN VIIII.

Non semper imbres nubibus hispidos
manant in agros aut mare Caspium

Bentleii adnotationem — umquam *Cruquiana*. unquam *Orelliana* 3 — uno] unco *Horkelius Analecta Horatiana p.* 36 *sq.*, uno aut *suspicatur Meinekius p. XIIII* — 1078 tucitura *D* — 1080 carentis *B C*. carenteis *Cruquiana* — 1083 ardentis *C*. ardenteis *Cruquiana* — 1087 impiae *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1092 aura] cura *dubia Bentleii suspicio. Sed uide carm. uers.* 159

VIIII Ad Valgium, ut tandem desinat deflere mortem sui pueri Mystae *Cruquiana*. Consolatur Valgium consularem ami-

uexant inaequales procellae
usque, nec Armeniis in oris,

amice Valgi, stat glacies iners
mensis per omnis aut Aquilonibus
querqueta Gargani laborant
et foliis uiduantur orni.

tu semper urgues flebilibus modis
Mysten ademptum, nec tibi uespero
surgente decedunt amores
nec rapidum fugiente solem.

at non ter aeuo functus amabilem
plorauit omnis Antilochum senex
annos, nec inpubem parentes
Troilon aut Phrygiae sorores

fleuere semper. desine mollium
tandem querellarum, et potius noua
cantemus Augusti tropaea
Caesaris et rigidum Niphaten,

Medumque flumen gentibus additum
uictis minores uoluere uertices,

cum suum *C*. Valgium amicum consularem consolatur *B*. Consolatio ad Valgium Rufum ne diu doleat *D* — 1096 nec *BCD Cruquiana*. neque *Meinekius* — 1098 menseis per omneis *Cruquiana*. menses per omnes *Orelliana* 3 — 1099 querqueta *C*. *'sic scriptum habent Bland. quod magis probo, quam quercetu, ut uulgo' Cruquius* — 1101 'urgues *habent Bland.' Cruquius*. urges *Orelliana* 3 — 1102 ademtum *Cruquiana*. ademptum *Orelliana* 3 — 1103 surgente cedunt *B* — 1104 rapido fugiente sole *C* — 1106 omnis *BD*. omneis *Cruquiana*. — 1107 nec *BCD Cruquiana*. neque *Meinekius* — inpubem parente *B* — 1110 quere-

intraque praescriptum Gelonos
exiguis equitare campis.

CARMEN X.

Rectius uiues, Licini, neque altum
semper urguendo neque, dum procellas
cautus horrescis, nimium premendo
litus iniquum.

AVREAM quisquis mediocritatem
diligit, tutus caret obsoleti
sordibus tecti, caret inuidenda
sobrius aula.

saepius uentis agitatur ingens
pinus, et celsae grauiore casu
decidunt turres, feriuntque summos
fulgura montis.

SPERAT infestis, metuit secundis
alteram sortem bene praeparatum

larum *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1114 uertices *A B C D Cruquiana.* uortices *Lambinus et Cruquius in interpretatione*

X Ad Licinium, de mediocritate in utraque fortuna seruanda *Cruquiana.* Ad Licinium *A.* Licinium alloquitur ne semper magna temptet *BC.* Ad Licinium Murenam optimum esse medium *D* — 1118 'urguendo *habent Cod. Bland. quos sequor propter dictionis plenitudinem*' *Cruquius.* urgendo *A Orelliana* 3 — 1122 diligit tutus, caret *distinguit Bentleius* — 1126 et celsae *B C D Cruquiana.* excelsae *Cuninghamius Fea alii* — 1128 fulgura *A B C D.* '*sic habent omnes scripti lib. non fulmina, ut uulgati*'

pectus. informis hiemes reducit
Iuppiter, idem
submouet. non, si male nunc, et olim
sic erit: quondam cithara tacentem
suscitat musam neque semper arcum
tendit Apollo.
rebus angustis animosus atque
fortis adpare: sapienter idem
contrahes uento nimium secundo
turgida uela.

CARMEN XI.

Quid bellicosus Cantaber et Scythes,
Hirpine Quinti, cogitet Hadria
diuisus obiecto, remittas
quaerere. ne trepides in usum
poscentis aeui pauca, fugit retro
leuis iuuentas et decor, arida

Cruquius — monteis *Cruquiana*. montes *C* — 1131 informis *C*. informeis *Cruquiana* — 1133 summouet *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1134 cithara *ABCD Cruquiana*. citharae *Bentleius*, *quem plurimi deinceps editores secuti sunt.* (*Fortasse scribendum est* cithara tacente, *ut uersu* 2091 tacita cum lyra) — 1138 appare *Cruquiana*, *Orelliana* 3

XI Ad Q. Hirpinum, curis omissis ut uiuat hilariter *Cruquiana*. Ad Quintum Hirpinum *A*. Ad Hirpinum monens unumquemque utilitati suae consulere *C*. Ad Quintium Hirpinum monens unumquemque (unamquamque *B*) ..... consulere *BD* — 1141 contaber *B* — 1142 Quincti *Cruquiana*. Quinti *ABCD* — 1144 nec *A Cruquiana*, *et Orelliana* 3 *puncto post* pauca *posito*. ne ..... pauca, fugit *editio Weidmanniana a.* 1851 *et Meinekiana* — 1149 honos *Cruquiana*. honor *A Orelliana* 3 — 1150 nec *D* — 1151 uultu *Cruquiana*. uoltu *Orelliana* 3 — 1153 subacta *B* — 1155 odorata *B* — 1156 assyrioque *C*. assyriaque *ABD*

pellente lasciuos amores
canitie facilemque somnum.

non semper idem floribus est honos
uernis, neque uno luna rubens nitet
uoltu. quid aeternis minorem
consiliis animum fatigas?

cur non sub alta uel platano uel hac
pinu iacentes sic temere et rosa
canos odorati capillos,
dum licet, Assyriaque nardo

potamus uncti? dissipat Euhius
curas edacis. quis puer ocius
restinguet ardentis Falerni
pocula praetereunte lympha?

quis deuium scortum eliciet domo
Lyden? eburna dic age cum lyra
maturet, in comptum Lacaenae
more comam religata nodum.

Cruquiana. '*Vix crediderim nunc* nardus *dixisse poetam nunc* nardum, *quod legitur Epod.* 5, 59 *et* 13, 8; *itaque etiam hoc loco achaemenio* (*dicere uoluit* assyrio) *scribendum uidetur ex uetusto codice B* (*nostro C*)' *Meinekius p. XV* — 1157 euchius *A.* Euius *Cruquiana, Orelliana* 3. '*Euius. sic inueni in Bland. uetustiss. sed a sciolo supraposita nota aspirationis. alii omnes habent Euhius*' *Cruquius* (*cfr. u.* 465 *et Lachm. Lucret. V* 743) — 1158 edacis *C.* edaces *Cruquiana* — ocyus *Cruquiana* — 1159 restringet *A.* restinget *C* — 1161 elicit *B* — 1163 in comtum *Cruquiana.* in comptum *C.* incomptum *ABD.* incomptam *ex uno Torrentii codice Bentleius.* 'in comtum nodum. *in compositum: festinantes enim mulieres pexum tantum capillum in nodum colligere consueuerunt*' *Commentator Cruquianus.* '*in, praepositio apposita est, non composita*' *idem* — 1164 comam *Cruquiana et D alt. m.* comas *ABD pr. m.* comae *C* — relegata *B* — nodo *Bentleii coniectura* (*et sic* in comptam L. m. comam rel. nodo *Meinekius p. XV*)

CARMEN XII.

Nolis longa ferae bella Numantiae
nec durum Hannibalem nec Siculum mare
Poeno purpureum sanguine mollibus
aptari citharae modis,

nec saeuos Lapithas et nimium mero
Hylaeum domitosque Herculea manu
telluris iuuenes, unde periculum
fulgens contremuit domus

Saturni ueteris: tuque pedestribus
dices historiis proelia Caesaris,
Maecenas, melius, ductaque per uias
regum colla minacium.

me dulcis dominae Musa Licymniae
cantus, me uoluit dicere lucidum
fulgentis oculos et bene mutuis
fidum pectus amoribus,

quam nec ferre pedem dedecuit choris
nec certare ioco nec dare brachia

XII Ad Maecenatem res graueis lyrico carmine non esse dicendas, sed leueis et amatorias *Cruquiana*. Ad Maecenatem *ACD*. Ad Mecenam prosphonetice tetracolos *B* — 1166 durum *ABCD*. ᶜdirum Annib. *Bland.* 4. *Sil. Maldeg. Diuaei habent durum. unus Martin. dirum' Cruquius, Bentleius.* dirum *Orelliana* 3 — Hannibalem *Cruquiana, Orelliana* 3. Annibalem *Cruquius in adnotatione* — 1176 minacium *A*, ᶜ*sic habent cod. Bland. omnes, quos secutus sum. Mart. Maldeg. Diuaei habent minantium' Cruquius.* minatium *B*. minantium *D corr.* — 1177 dulceis *Cruquiana*. dulcis *ABC Bentleius.* dulces *D*. (*Est accus. plur.*) — Lycimniae *AB*. Licimnyae *D*. Licymniae *C*. ᶜLycymniae. *sic cod. Bland. antiquiss. alii duo Licymniae. sed Diuaei, Mald. Mart. Sil. Liciniae, ut uulgati. uidetur alludere ad Lusciniam auem' Cruquius. Cfr. Wag-*

ludentem nitidis uirginibus sacro
Dianae celebris die.

num tu quae tenuit diues Achaemenes
aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes
permutare uelis crine Licymniae,
plenas aut Arabum domos?

dum flagrantia detorquet ad oscula
ceruicem, aut facili saeuitia negat,
quae poscente magis gaudeat eripi,
interdum rapere occupet.

CARMEN XIII.

Ille et nefasto te posuit die,
quicumque primum, et sacrilega manu
produxit, arbos, in nepotum
perniciem opprobriumque pagi;

illum et parentis crediderim sui
fregisse ceruicem et penetralia

nerum ad Verg. Aen. VIIII 546 — 1179 fulgentis *BC*. fulgenteis *Cruquiana* — 1185 quae] quem *B* — 1189 dum *A Cruquiana*. cum *BCD* — flagrantia *ABCD*. fragrantia *Lambinus*. *'flagrantia omnes habent scrip. lib. praeter Diu. in quo est scriptum fragrantia' Cruquius* — 1192 occupet *BCD pr. m., Cruquiana*. occupat *AD alt. m., Bentleius*

XIII In execrationem arboris, cuius casu repentino paene extinctus fuerat *Cruquiana*. Ad arborem *BC*. Ad arborem cuius casu paene perierat (*A*), a qua oppressus eam exsecratur *D* — 1193 ille et nefasto *A Cruquiana*, *Orelliana* 3. illum, et nefasto *N. Heinsius*. illum, o, nefasto *Bentleii coniectura* — 1194 quicumque *Cruquiana*. quicunque *Orelliana* 3 — 1196 opprobrium *B*

sparsisse nocturno cruore
hospitis; ille uenena Colcha

et quidquid usquam concipitur nefas
tractauit, agro qui statuit meo
te triste lignum, te caducum
in domini caput inmerentis.

quid quisque uitet numquam homini satis
cautum est in horas. nauita Bosporum
Poenus perhorrescit neque ultra
caeca timet aliunde fata;

miles sagittas et celerem fugam
Parthi; catenas Parthus et Italum
robur; sed inprouisa leti
uis rapuit rapietque gentis.

quam paene furuae regna Proserpinae
et iudicantem uidimus Aeacum
sedesque descriptas piorum et
Aeoliis fidibus querentem

Sappho puellis de popularibus,
et te sonantem plenius aureo,

1200 colchica *AD*. Colcha *BC*. ‘Colcha. *sic habent duo cod. Bland. antiquiss. sine ulla litura alter per lituram. sic et Maldegh. cum singulis punctis sub i et c et Diuae. per lituram*’ *Cruquius* — 1204 inmerentis *A*. immerentis *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1205 quid quisque uit. *Orelliana* 3. ‘*Diuae cod. habet quod quisque. reliqui quid*’ *Cruquius* — 1206 ‘Bosphorum. *sic habent omnia scripta alia per ph alia per f*’ *Cruquius*. Bosporum *Orelliana* 3 — 1207 Thynus (*cfr. carm. u.* 1785.) *editio Weidmanniana et Meinekiana*. Poenus *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1208 timetue *C. Lachmannus in comment. ad Lucret. p.* 77 *et editio Weidmanniana. Cfr. Frid. Ritschelii prolegomena ad Plauti Trinummum p. CXXII et Fleckeisenum in Iahnii annal. tom.* 61. *pag.* 20 — 1209 celerem] reducem *Ben-*

Alcaee, plectro dura nauis,
dura fugae mala, dura belli.

utrumque sacro digna silentio
mirantur umbrae dicere; sed magis
pugnas et exactos tyrannos
densum umeris bibit aure uolgus.

quid mirum, ubi illis carminibus stupens
demittit atras belua centiceps
auris et intorti capillis
Eumenidum recreantur angues?

quin et Prometheus et Pelopis parens
dulci laborum decipitur sono,
nec curat Orion leones
aut timidos agitare lyncas.

CARMEN XIIII.

Eheu fugaces, Postume Postume,
labuntur anni, nec pietas moram

tleii suspicio — 1211 improuisa *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — lethi *Cruquiana* — 1212 gentis *C.* genteis *Cruquiana* — 1215 discretas *A.* discriptas *C.* descriptas *BD*, *Cruquiana.* ‘*discriptas habent duo cod. Bland. alter pure alter cum litura. Mart. descriptas. alii omnes discretas. ego discriptas seruandum puto*’ *Cruquius* — et *om. A* — 1224 umeris] auida *Bentleii suspicio* — bibat *C* — uulgus *Cruquiana.* uolgus *Orelliana* 3 — 1226 bellua *Cruquiana.* belua *A Orelliana* 3 — 1227 aureis *Cruquiana.* aures *Orelliana* 3 — 1230 laborem *BC.* laborum *AD.* ‘*τὸ laborem, ut habet Lambinus, in nullis scriptis inueni*’ *Cruquius* — 1232 timidos *ACD*, *Cruquiana.* timidas *B*

XIIII Ad Postumum, de uitae breuitate mortisque neces-

rugis et instanti senectae
adferet indomitaeque morti;

non si trecenis quotquot eunt dies,
amice, places inlacrimabilem
Plutona tauris, qui ter amplum
Geryonen Tityonque tristi

conpescit unda, scilicet omnibus,
quicumque terrae munere uescimur,
enauiganda, siue reges
siue inopes erimus coloni.

frustra cruento Marte carebimus
fractisque rauci fluctibus Hadriae,
frustra per autumnos nocentem
corporibus metuemus Austrum.

uisendus ater flumine languido
Cocytos errans et Danai genus
infame damnatusque longi
Sisyphus Aeolides laboris.

linquenda tellus et domus et placens
uxor, neque harum quas colis arborum
te praeter inuisas cupressos
ulla breuem dominum sequetur.

sitate *Cruquiana*. Ad Postumum (*A*) de celeritate uitae *BCD*, *nisi quod D codex habet* breuitate — 1235 ruris *B* — 1236 afferet *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1237 tricenis *BCD*. 'codex unus *Bland. habet trecenis*, *quem sequor. alii omnes tricenis*, *praeter Maldeg. qui habet trecentis*' *Cruquius* — 1238 placens *B* — inlacrimabilem *ABC*. illacrymabilem *Cruquiana* — 1239 Plutoniae *B* — 1240 Geryonem *AD Bentleius*, *Cruquiana*. Geryonen *BC* — 1241 compescit *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1247 auctumnos *Orelliana* 3. autumnos *A Cruquiana* — 1250 Cocytos *ABCD Bentleius*. Cocytus *Cruquiana* — 1255 cupressos *A Cruquiana*, *Orelliana* 3. cy-

absumet heres Caecuba dignior
seruata centum clauibus et mero
tinguet pauimentum superbo,
pontificum potiore cenis.

CARMEN XV.

Iam pauca aratro iugera regiae
moles relinquent, undique latius
extenta uisentur Lucrino
stagna lacu, platanusque caelebs
euincet ulmos. tum uiolaria et
myrtus et omnis copia narium
spargent oliuetis odorem
fertilibus domino priori:

tum spissa ramis laurea feruidos
excludet ictus. non ita Romuli
praescriptum et intonsi Catonis
auspiciis ueterumque norma.

priuatus illis census erat breuis,
commune magnum: nulla decempedis

pressos *B* — 1259 tinguet *B*, ‘*tinguet habent cod. Bland.*’ *Cruquius.* tinget *Orelliana* 3 — superbo *BCD*, ‘superbo *habent omnes lib. scripti sine ulla litura*’ *Cruquius.* superbum *Lambinus* — 1260 cenis *A Cruquiana.* caenis *B.* coenis *Orelliana* 3

XV In sui saeculi luxum *Cruquiana.* Haec de praesentis uitae luxuria dicit *D. Om. C, item B, qui hanc oden praecedenti continuat;* ‘*Ceterum lectorem celatum nolui, hanc oden a superiori indiuisam legi in cod. Blandiniis*’ *Cruquius* — 1270 ictus *BD, om. C, in quo praeterea u.* 12 *est ultimus carminis uersus*

metata priuatis opacam
porticus excipiebat Arcton,

nec fortuitum spernere cespitem
leges sinebant, oppida publico
sumptu iubentes et deorum
templa nouo decorare saxo.

CARMEN XVI.

Otium diuos rogat in patenti
prensus Aegaeo, simul atra nubes
condidit lunam neque certa fulgent
sidera nautis:

otium bello furiosa Thrace,
otium Medi pharetra decori,
Grosphe, non gemmis neque purpura uenale neque auro.

NON enim gazae neque consularis
submouet lictor miseros tumultus
mentis et curas laqueata circum
tecta uolantis.

VIVITVR paruo bene, cui paternum
splendet in mensa tenui salinum,

1277 cespitem *A Cruquiana.* caespitem *Orelliana* 3 — 1279 sumtu *Cruquiana.* sumptu *A Orelliana* 3

XVI Ad Pompeium Grosphum, omneis optare otium et uitam tranquillam *Cruquiana.* Ad Pompeium Grosphum *C.* Ad Grosphum (*A*) Pompeium *B.* Modo loquitur ad Grosphum *D* — 1281 patente *Bentleius* — 1282 prensus *A B C D* '*pensus (scr. prensus) captus, undis agitatus ex inopinato. Codex Diuaei habet pressus' Cruquius.* pressus *codices aliquot* — 1288 neque *A B C D.* nec

nec leuis somnos timor aut cupido sordidus aufert.

QVID breui fortes iaculamur aeuo
multa? quid terras alio calentis
sole mutamus? patriae quis exsul
se quoque fugit?

SCANDIT aeratas uitiosa nauis
cura, nec turmas equitum relinquit,
ocior ceruis et agente nimbos
ocior Euro.

LAETVS in praesens animus quod ultra est
oderit curare et amara lento
temperet risu: NIHIL est ab omni
parte beatum.

abstulit clarum cita mors Achillem,
longa Tithonum minuit senectus,
et mihi forsan, tibi quod negarit,
porriget hora.

te greges centum Siculaeque circum
mugiunt uaccae, tibi mollis hinnit
apta quadrigis equa, te bis Afro
murice tinctae

uestiunt lanae: mihi parua rura et
spiritum Graiae tenuem Camenae

Cruquiana, *Bentleius* — 1290 summouet *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1292 uolanteis *Cruquiana*. uolantis *BC* — 1295 leuis *B*. leueis *Cruquiana* — 1298 calentis *B*. calenteis *Cruquiana* — 1301 nauis *ABC*. naueis *Cruquiana* — 1303 et 1304 ocyor *Cruquiana* — 1306 lento *ABCD*. laeto *Cruquiana*, *quamquam in Cruquii interpretatione* lenta *legitur*. leni *Bentleii suspicio*, *qui idem dubitanter proponit:* animi .... oderis .... temperes — 1314 mollis hinnit] tollit hinnitum *Orelliana* 3. tollit hinni || Tum (apta)

Parca non mendax dedit et malignum
spernere uolgus.

CARMEN XVII.

Cur me querellis exanimas tuis?
nec dis amicum est nec mihi te prius
obire, Maecenas, mearum
grande decus columenque rerum.

ah te meae si partem animae rapit
maturior uis, quid moror altera,
nec carus aeque nec superstes
integer? ille dies utramque

ducet ruinam. non ego perfidum
dixi sacramentum: ibimus, ibimus,
utcumque praecedes, supremum
carpere iter comites parati.

me nec Chimaerae spiritus igneae,

B Cruquiana. Cfr. uers. 915 — 1320 uulgus *Cruquiana.* uolgus *Orelliana* 3

XVII Ad Maecenatem, quo mortuo negat se uelle uiuere *Cruquiana.* Ad Maecenatem *ACD.* Ad Mecenatem paranetice (παραινητική) tetracolos. *B* — 1321 querellis *BD.* querelis *Cruquiana. Cfr. C. Lachmanni comment. ad Lucret. p.* 204 — 1325 ah te *BCD Cruquiana.* ad te *A*, *sed adscripto in margine* et. at te *Orellii Sangallensis* — 1326 altera *BCD Cruquiana.* alteram *codices aliquot* — *Versus* 1328—1330 *om. C* — 1328 ille *ABCD Cruquiana.* illa *codices aliquot* — 1331 utcumque *Cruquiana.* utcunque *Orelliana* 3 — 1334 gigas *ABCD Cruquiana*, Gygas. *sic habent sine ulla litura aut macula omnes lib. scripti, quos mihi uidere contigit. Lamb. et Muretus ex Apollodoro restituerunt Gyas: quod non improbo quidem, sed undecim aut plurium consensum codi-*

nec si resurgat centimanus Gyas,
diuellet umquam: sic potenti
Iustitiae placitumque Parcis.

seu Libra seu me Scorpius adspicit
formidolosus, pars uiolentior
natalis horae, seu tyrannus
Hesperiae capricornus undae,

utrumque nostrum incredibili modo
consentit astrum. te Iouis inpio
tutela Saturno refulgens
eripuit uolucrisque fati

tardauit alas; tum populus frequens
laetum theatris ter crepuit sonum:
me truncus inlapsus cerebro
sustulerat, nisi Faunus ictum

dextra leuasset, Mercurialium
custos uirorum. reddere uictimas
aedemque uotiuam memento:
nos humilem feriemus agnam.

cum mutare nolui' Cruquius. (*Cfr. ad Carm. u.* 1649, *unde apparere uidetur hic scribendum esse* 'Gigas. *sic etc.*'). Gyges *Bentleius* — 1337 '*Credo uerum uidisse Peerlkampium, qui postremas quinque strophas a tribus primis resciderit. Quartae quidem strophae tam ridiculum πάθος est, ut Horatio prorsus indignam existimem*' *Meinekius p. XV* — scorpios *C Bentleius.* scorpius *A B D Cruquiana* — 1339 natalis *A Orelliana* 3, *Cruquiana.* fatalis *D.* '*duo cod. Bland. habent letalis horae*' *Cruquius* — 1341 utrumque *Cruquiana, Orelliana* 3. utcumque *Commentator Cruquianus* — 1342 impio *Cruquiana, Orelliana* 3 — 1345 tum] cum *Cruquiana, Orelliana* 3. te *Orellii codex Bernensis tertius* (*c*). cui (pop.) *C. Lachmannus coniecit in Rhen. Mus. III* 616; *inde editio Weidmanniana et Meinekius* — 1347 inlapsus *B.* illapsus *Cruquiana* — 1352 humilem *Orelliana* 3. 'humilem *duo codices Bland. legunt, nos humiles*' *Cruquius*

CARMEN XVIII.

Non ebur neque aureum
mea renidet in domo lacunar,
non trabes Hymettiae
premunt columnas ultima recisas

Africa, neque Attali
ignotus heres regiam occupaui,
nec Laconicas mihi
trahunt honestae purpuras clientae.

at fides et ingeni
benigna uena est, pauperemque dies
me petit: nihil supra
deos lacesso nec potentem amicum

largiora flagito,
satis beatus unicis Sabinis.
truditur dies die,
nouaeque pergunt interire lunae.

tu secanda marmora
locas sub ipsum funus et sepulcri

XVIII Ad auarum: se quidem sua sorte contentum, illum uero diuitiis incumbere, quasi perpetuo uicturum *Cruquiana*. De continentia qua paupertatem suam diuitiis praefert *A*. Ad auarum *B*. Ad aurum *C*. Ad uarum *D* — 1355 Hymettias .... recisae *Thomas Gale non inprobante Bentleio* — 1359 Laconias *A* — 1360 clientae *BC*. clientes *AD*. *'clientae. sic legitur in duob. Bland. sine ulla litura. in tertio autem sciolus aliquis deleta diphthongo post e uocalem posuit s consonantem' Cruquius* — 1361 et *om. A* — 1363 petit et *A* — 1371 immemor *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1372 Baiis *Cruquiana*. bais *AB* — urges *A Cru-*

inmemor struis domos
marisque Baiis obstrepentis urgues
submouere litora,
parum locuples continente ripa.
quid quod usque proximos
reuellis agri terminos et ultra
limites clientium
salis auarus? pellitur paternos
in sinu ferens deos
et uxor et uir sordidosque natos.
nulla certior tamen
rapacis Orci fine destinata
aula diuitem manet
erum. quid ultra tendis? AEQVA tellus
pauperi recluditur
regumque pueris, nec satelles Orci
callidum Promethea
reuexit auro captus. hic superbum
Tantalum atque Tantali
genus coercet, hic leuare functum
pauperem laboribus
uocatus atque non uocatus audit.

quiana, *Orelliana* 3 — 1373 summouere *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1374 *uersum hunc et qui insequuntur usque ad u.* 1381 *om. C* — 1377 limites *BD Cruquiana.* limitem *A Pottierii quattuor* — 1380 gnatos *Cruquiana* — sordidos *B* — 1382 capacis *Bentleii suspicio* — fine *ABCD.* sede *ex suo Zulichemanniano et tribus Cruquianis Bentleius.* 'τὸ *sede habent Mart. Maldeg. et Sil.*' *Cruquius* — 1384 erum *BC.* herum *A Cruquiana* — 1388 reuexit *ABC Cruquiana.* reuinxit *D pr. m.*

CARMEN XVIIII.

Bacchum in remotis carmina rupibus
uidi docentem, credite posteri,
Nymphasque discentis et auris
capripedum Satyrorum acutas.

euhoe, recenti mens trepidat metu
plenoque Bacchi pectore turbidum
laetatur. euhoe, parce Liber,
parce graui metuende thyrso.

fas peruicacis est mihi Thyiadas
uinique fontem, lactis et uberes
cantare riuos atque truncis
lapsa cauis iterare mella,

fas et beatae coniugis additum
stellis honorem tectaque Penthei
disiecta non leni ruina,
Thracis et exitium Lycurgi.

tu flectis amnis, tu mare barbarum,
tu separatis uuidus in iugis
nodo coerces uiperino
Bistonidum sine fraude crinis.

XVIIII Ad Liberum patrem *Cruquiana*, *BC*. In liberum patrem laudes *A*. *Om*. *D* — 1395 discenteis *Cruquiana*. discentes *Orelliana* 3 — auris *B*. aureis *Cruquiana* — 1397 euhoe .... euhoe *B*. euhohe *bis A*. euoe .... euoe *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1401 peruicaces *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — sit mihi *Bentleii coniectura* — Thyadas *BCD Cruquiana*. Thiadas *A*. Thyiadas *Bentleius*, *alii* — 1406 panthei *B* — 1407 'non leni ruina *sic habent tres Bland. quos sequor*' *Cruquius*. leni *A Orelliana* 3. leui *recentiores codices* — 1409 amneis *Cruquiana*. amnes *Orelliana* 3 — 1412 sine frande *Cruquiana*, *Orelliana* 3. '*Codex Maldeg. habet hic*, *sine fronde*: *Bland. unus*, *sine fune*; *sed secutus sum*

tu, cum parentis regna per arduum
cohors Gigantum scanderet inpia,
Rhoetum retorsisti leonis
unguibus horribilique mala:

quamquam choreis aptior et iocis
ludoque dictus non sat idoneus
pugnae ferebaris; sed idem
pacis eras mediusque belli.

te uidit insons Cerberus aureo
cornu decorum leniter atterens
caudam et recedentis trilingui
ore pedes tetigitque crura.

CARMEN XX.

Non usitata nec tenui ferar
pinna biformis per liquidum aethera
uates, neque in terris morabor
longius, inuidiaque maior

urbis relinquam. non ego pauperum
sanguis parentum, non ego quem uocas,

ueterem lectionem' Cruquius — crineis *Cruquiana.* crines *Orelliana* 3 — 1415 *'Rhoecum. sic habet cod. Bland. antiquiss. sed non sine litura ..... alii omnes codices habent Rhetum' Cruquius.* Rhoetum *BCD.* hretum *A* — 1416 horribilisque *Bentleii suspicio*

XX Ad Maecenatem de suae poeseos immortalitate *Cruquiana.* De se loquitur *A.* Ad Maecenatem *CD.* Ad Mecenatem allegorice tetracolos *B* — 1425 nec tenui *ABCD Cruquiana.* non tenui *Bentleii codices Reginensis et Petrensis aliique* — 1426 pinna *C* — 1427 terris *ABCD Cruquiana.* terra *Orellii Sangallensis, quinque Bentleii aliique* — 1429 urbeis *Cruquiana.* urbes *Orelliana* 3 — 1430 uocant *Bentleii suspicio*

dilecte Maecenas, obibo,
nec Stygia cohibebor unda.

iam iam residunt cruribus asperae
pelles et album mutor in alitem
superne nascunturque leues
per digitos umerosque plumae.

iam Daedaleo ocior Icaro
uisam gementis litora Bospori
Syrtisque Gaetulas, canorus
ales, Hyperboreosque campos.

me Colchus et qui dissimulat metum
Marsae cohortis Dacus et ultimi
noscent Geloni, me peritus
discet Hiber Rhodanique potor.

absint inani funere neniae
luctusque turpes et querimoniae;
conpesce clamorem ac sepulcri
mitte superuacuos honores.

1433—1436 *Hanc stropham in marginem relegauit praeeunte Peerlkampio Meinekius; uide Praefationis p. XVI* — 1435 supernae *B.* 'superne. *sic habent omnes lib. scripti*' *Cruquius* — 1437 ocyor *Cruquiana.* nocior *B.* notior *C.* ocior *AD.* tutior *malebat Bentleius. Receptum in editione Weidmanniana et Meinekiana. Cfr. C. Lachmanni comment. ad Lucret. p.* 161 — 1438 Bospori *Orelliana* 3. Bosphori *A Cruquiana* — 1439 Syrteis *Cruquiana.* Syrtes *Orelliana* 3 — 1444 Iber *Cruquiana.* Hiber *A Orelliana* 3 — 1447 compesce *Cruquiana, Orelliana* 3

Q. HORATII FLACCI
CARMINVM
LIBER TERTIVS.

CARMEN I.

Odi profanum uolgus et arceo.
fauete linguis: carmina non prius
audita Musarum sacerdos
uirginibus puerisque canto.

regum timendorum in proprios greges,
REGES in ipsos imperium est Iouis,
clari Giganteo triumpho,
cuncta supercilio mouentis.

est ut uiro uir latius ordinet
arbusta sulcis, hic generosior
descendat in campum petitor,
moribus hic meliorque fama

I In uarietate studiorum solam tranquillitatem efficere uitam beatam *Cruquiana*. Indoctos detestatur et contemptores sapientiae *A*. Ad chorum uirginum et puerorum *C*. Ad choros uirginum et puerorum *B*, *D corr*. Ad indoctos *D pr. m.* '*Separare hos uersus debebam a reliquis; neque enim dubitari posse uidetur, quin hanc stropham prooemium esse uoluerit Horatius non huius tantum carminis sed etiam sequentium eodem metro scriptorum*' *Meinekius p. XVI* — 1449 uolgus *A Orelliana* 3. uulgus *Cruquiana* — 1457 esto ut *malebat Bentleius*

contendat, illi turba clientium
sit maior: AEQVA lege necessitas
sortitur insignis et imos,
omne capax mouet urna nomen.

destrictus ensis cui super inpia
ceruice pendet, non Siculae dapes
dulcem elaborabunt saporem,
non auium citharaeque cantus

somnum reducent. somnus agrestium
lenis uirorum non humilis domos
fastidit umbrosamque ripam,
non Zephyris agitata Tempe.

DESIDERANTEM quod satis est neque
tumultuosum sollicitat mare,
nec saeuus Arcturi cadentis
impetus aut orientis Haedi,

non uerberatae grandine uineae
fundusque mendax, arbore nunc aquas
culpante, nunc torrentia agros
sidera, nunc hiemes iniquas.

contracta pisces aequora sentiunt
iactis in altum molibus: huc frequens

1463 insigneis *Cruquiana.* insignes *Orelliana* 3 — 1465 districtus *A Cruquiana.* destrictus *Orelliana* 3 — impia *Cruquiana, Orelliana* 3 — 1467 elaborabunt *Orelliana* 3. *'sic habent omnes scrip. lib. quos uidi non elaborarunt, ut uulgati' Cruquius* — 1470 humileis *Cruquiana.* humilis *A.* humiles *Orelliana* 3 — 1481—1488 *Hos uersus cum Peerlcampio uncis inclusit Meinekius; uide eius Praef. p. XVI sq.* — 1483 dimittit *AD.* 'demittit. *sic habent* 2. *cod. Bland. cum Maldeg. reliqui dimittit' Cruquius* — 1487 triremi et *Cruquiana.* triremi *ABC.* triremi Postque *malebat Bentleius* — 1491 *et* 1492 delenit *C.* delinit *ABD Bentleius.* 'delinit. *sic* 1. *Bland. cum Diuaei, Mart. Maldeg. Sil. duo alii Blandinii habent delenit'

caementa demittit redemptor
cum famulis dominusque terrae

fastidiosus: sed timor et minae
scandunt eodem quo dominus, neque
decedit aerata triremi et
post equitem sedet atra cura.

quod si dolentem nec Phrygius lapis,
nec purpurarum sidere clarior
delenit usus, nec Falerna
uitis Achaemeniumque costum,

cur inuidendis postibus et nouo
sublime ritu moliar atrium?
cur ualle permutem Sabina
diuitias operosiores?

CARMEN II.

Angustam amice pauperiem pati
robustus acri militia puer
condiscat et Parthos ferocis
uexet eques metuendus hasta

Cruquius — falernae uites *B*. Falerna uitis *A Orelliana* 3. 'Falerna uitis. *sic* 3. *Bland. quos sequor; alii Falernae uites, sed non apte, alii Falernae uitis, rectius, metri causa*' *Cruquius* — Achaemeniumue *Bentleii coniectura* — 1494 molior *B* — 1496 onerosiores *Bentleii dubia suspicio*

II De institutione puerili ad ferendam paupertatem et labores bellicos *Cruquiana*. Ad amicos *BC*. De institutione ad amicos loquitur *A*, *D in marg.* — 1497 amice *BCD*. 'amice. *sic habent omnes manuscripti sine ulla litura aut macula*' *Cruquius*. amici *A*, *Lambinus*, *ex duobus Pulmanni Bentleius* — 1499 ferocis *C*. feroces *Cruquiana* (*Cruquius tamen in interpretatione* feroceis)

uitamque sub diuo et trepidis agat
in rebus. illum ex moenibus hosticis
matrona bellantis tyranni
prospiciens et adulta uirgo

suspiret, eheu, ne rudis agminum
sponsus lacessat regius asperum
tactu leonem, quem cruenta
per medias rapit ira caedes.

DVLCE et decorum est pro patria mori:
mors et fugacem persequitur uirum,
nec parcit inbellis iuuentae
poplitibus timidoque tergo.

VIRTVS repulsae nescia sordidae
intaminatis fulget honoribus,
nec sumit aut ponit securis
arbitrio popularis aurae.

VIRTVS, recludens inmeritis mori
caelum, negata temptat iter uia,

1501 ᶜdiuo. *sic habent omnia scripta nostra' Cruquius.* diuo *A Orelliana* 3. dio *Cruquiana. Versus* 1501—1508 *om. C* — 1506 ᶜlacessat. *tres Bland. hab. lacesset. reliqui lacessat' Cruquius.* lacessat *A Orelliana* 3 — 1510 persequitur *A B C D Cruquiana.* consequitur *Bentleii coniectura* — 1511 inbellis *A B C D.* imbellis *Cruquiana* — 1512 timidoue tergo *A C D et B corr.* timido uetergo *B pr. m.* timidoque tergo *Orelliana* 3. (*Hic uersus ultimus est in codice C*) — 1514 intaminatis *D.* intaminatis *A Orelliana* 3. (sordidae in || contaminatis *Cruquiana; quanquam in interpretatione Cruquii est* intaminatis.) *Cfr. Festum p.* 363 — 1515 secureis *Cruquiana.* secures *Orelliana* 3 — 1517 inmeritis *A B D.* immeritis *Cruquiana* — 1518 temptat *A B D.* tentat *Cruquiana* — inter] ire *A, B erasis ante hanc uocem aliquot litteris* — 1519 uulgareis *Cruquiana.* uulgaris *B* — 1520 penna *A Orelliana* 3. ᶜ*pinna habet Blād. antiquiss.*'

coetusque uolgaris et udam
spernit humum fugiente pinna.

EST et fideli tuta silentio
merces: uetabo, qui Cereris sacrum
uolgarit arcanae, sub isdem
sit trabibus fragilemue mecum

soluat phaselon: saepe Diespiter
neglectus incesto addidit integrum;
RARO antecedentem scelestum
deseruit pede Poena claudo.

III. IVSTVM et tenacem propositi uirum
non ciuium ardor praua iubentium,
non uoltus instantis tyranni
mente quatit solida, neque Auster,

dux inquieti turbidus Hadriae,
nec fulminantis magna manus Iouis:
si fractus inlabatur orbis,
inpauidum ferient ruinae.

Cruquius — 1523 uulgauit *BD.* uulgarit *A Cruquiana* — iisdem *Cruquiana* — 1524 fragilemque *ABD Cruquiana.* fragilemue *C; idem correxit Bentleius* — 1525 faselum *Cruquiana.* phaselon *ABD*

III 'In antiquiss. cod. Bland. nec inscriptione, nec litteris maiusculis haec Ode a praecedente separata est seiunctaque, quod et Porphyrio uulgatus sic esse debere asserit' *Cruquius.* De iusti constantisque uiri praemiis et iniusti suppliciis *Cruquiana.* Ad Musas de Augusto *D.* Ad Augustum *B. om. A. Nouum carmen non incipit etiam in editione Weidmanniana; idem probauerunt Cruquius in adnotatione, Lachmannus in Museo Rhenano a.* 1845 *p.* 516, *Meinekius in praef. p. XVII, alii* — 1531 uultus *Cruquiana.* uoltus *A Orelliana* 3 — 1534 magna Iouis manus *Cruquiana.* magna manus Iouis *ABCD Bentleius.* 'omnes scrip. lib. habent magna manus Iouis' *Cruquius* — 1535 illabatur *A Cruquiana.* illabetur *B et D pr. m.* — 1536 inpaui-

hac arte Pollux et uagus Hercules
enisus arcis attigit igneas:
quos inter Augustus recumbens
purpureo bibit ore nectar.

hac te merentem, Bacche pater, tuae
uexere tigres indocili iugum
collo trahentes, hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit,

gratum elocuta consiliantibus
Iunone diuis. 'Ilion, Ilion
fatalis incestusque iudex
et mulier peregrina uertit

in puluerem, ex quo destituit deos
mercede pacta Laomedon, mihi
castaeque damnatum Mineruae
cum populo et duce fraudulento.

iam nec Lacaenae splendet adulterae
famosus hospes, nec Priami domus
periura pugnacis Achiuos
Hectoreis opibus refringit,

nostrisque ductum seditionibus
bellum resedit: protinus et grauis
iras et inuisum nepotem,
Troica quem peperit sacerdos,

dum *B*. impauidum *Cruquiana* — 1538 enisus *D Bentleius*. innisus *AB*. *'uariant hic scripta: quaedam innisus, alia innixus. antiquiss. Bland. cum* 4. *aliis habet enisus, quem secutus sum' Cruquius* — arceis *Cruquiana*. arces *Orelliana* 3 — 1540 bibit *A Cruquiana*. bibet *BD* — 1544 patris equis *Codex(?) Barthii, probat Bentleius* — 1549 ex qua *Lachmannus in Museo Rhen. nouo uol. III p.* 617, *editio Weidmanniana et Meinekiana* — distituit *B* — 1551 damnatam *malebat Bentleius, edill. Weidmanniana et Meinekiana*. damnatum *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 1555 peiura *B*

Marti redonabo. illum ego lucidas
inire sedes, ducere nectaris
sucos et adscribi quietis
ordinibus patiar deorum.

dum longus inter saeuiat Ilion
Romamque pontus, qualibet exsules
in parte regnanto beati;
dum Priami Paridisque busto

insultet armentum et catulos ferae
celent inultae, stet Capitolium
fulgens, triumphatisque possit
Roma ferox dare iura Medis.

horrenda late nomen in ultimas
extendat oras, qua medius liquor
secernit Europen ab Afro,
qua tumidus rigat arua Nilus,

aurum inrepertum et sic melius situm,
cum terra celat, spernere fortior
quam cogere humanos in usus
omne sacrum rapiente dextra.

quicumque mundo terminus obstitit,
hunc tangat armis, uisere gestiens
qua parte debacchentur ignes,
qua nebulae pluuiique rores.

— pugnaces *Cruquiana*, *Orelliana* 3. pugnaceis *Commentator Cruquianus* — 1558 grauis *D.* graueis *Cruquiana* — 1560 Troia *auctore Heinsio Bentleius* — 1561 ego *om. B* — 1562 ducere *Cruquiana*, *Orelliana* 3. discere *ABD* — 1563 succos *Cruquiana.* sucos *AD.* sucus *B* — 1577 inrepertum *ABD Cruquiana.* irrepertum *Orelliana* 3 — 1581 quacumque *malebat Bentleius* — mundo *ABD Cruquiana.* mundi *Lambinus.* *'Cod. Mald. habet mundi, quem secutus sum (?) propter apertam sententiam. reliqui omnes habent mundo' Cruquius* — 1582 tanget *ABD Orelliana* 3. tangat *Cru-*

sed bellicosis fata Quiritibus
hac lege dico, ne nimium pii
rebusque fidentes auitae
tecta uelint reparare Troiae.

Troiae renascens alite lugubri
fortuna tristi clade iterabitur,
ducente uictrices cateruas
coniuge me Iouis et sorore.

ter si resurgat murus aeneus
auctore Phoebo, ter pereat meis
excisus Argiuis, ter uxor
capta uirum puerosque ploret.'

non hoc iocosae conueniet lyrae.
quo, Musa, tendis? desine peruicax
referre sermones deorum et
magna modis tenuare paruis.

CARMEN IIII.

Descende caelo et dic age tibia
regina longum Calliope melos,

quiana, *Bentleius* — 1583 debachantur *B* — 1594 auctore *A Orelliana* 3. 'ductore. *sic habet cod. Maldeg. quem seculus sum. reliqui omnes legunt auctore cum uulgatis*' *Cruquius*. structore *dubitanter proponit Bentleius* — 1597 non hoc iocosae conueniet lyrae *BD*. '*omnes cod. nostri scripti habent: non hoc iocosae conueniet, non etiam, haec conuenient, aut conueniunt, ut ait Lambinus*' *Cruquius* — lyrae *om. B*

IIII Ad Calliopen Musam, ut sibi semper adsit *Cruquiana*. Ad Calliopen Musam *ABC* — 1601 caelo dic *D*. caelo et dic *ABC Cruquiana* — 1604 citharaue *ABCD Cruquiana*, *Bentleius*. citharaque *codex Graeuianus Bentleii litera tamen Q iam erasa et Orelliana* 3 — 1609 Apulo *ABCD Cruquiana*. Appulo *Bentleius*, *alii* — 1610 nutricis *BCD* '*duo Bland. et Mart. habent nutricis*'

seu uoce nunc mauis acuta,
seu fidibus citharaque Phoebi.

auditis an me ludit amabilis
insania? audire et uideor pios
errare per lucos, amoenae
quos et aquae subeunt et aurae.

me fabulosae Volture in Apulo
nutricis extra limina *Dauniae
ludo fatigatumque somno
fronde noua puerum palumbes

texere, mirum quod foret omnibus,
quicumque celsae nidum Acherontiae
saltusque Bantinos et aruum
pingue tenent humilis Ferenti,

ut tuto ab atris corpore uiperis
dormirem et ursis, ut premerer sacra
lauroque conlataque myrto,
non sine dis animosus infans.

uester, Camenae, uester in arduos
tollor Sabinos, seu mihi frigidum

Cruquius. altricis *A Cruquiana, Orelliana* 3 *cum plerisque editionibus* — limen apulliae *B.* limina polliae *C.* limen Apuliae *A Cruquiana, Orelliana* 3. limina sedulae *mulebat Bentleius.* limina Dauniae *Paldamus coniecit in Rhen. Mus. VI p.* 633. *C. Lachmannus in comment. ad Lucret. p.* 37. *uersum dicit foedissime corruptum, sed emendationem non proponit* — 1614 Acheruntiae *AD.* Acherontiae *BC Cruquiana* — 1615 'Bantinos. *sic habent Bland. omnes et Diuae. sed Maldeg. Bathinos. Mart. Balthinos' Cruquius.* cubantinos *D.* Bantinos *A Orelliana* 3 — 1616 Ferenti *AB pr. m., D corr., Cruquiana.* Forrenti *C.* Forenti *Orelliana* 3. (*Vu.* 1617—1620 *om. C*) — 1619 collataque *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 1621 Camoenae *Cruquiana.* Camenae *A Orelliana* 3

Praeneste, seu Tibur supinum,
seu liquidae placuere Baiae.

uestris amicum fontibus et choris
non me Philippis uersa acies retro,
deuota non extinxit arbos,
nec Sicula Palinurus unda.

utcumque mecum uos eritis, libens
insanientem nauita Bosporum
temptabo et urentis harenas
litoris Assyrii uiator,

uisam Britannos hospitibus feros
et laetum equino sanguine Concanum,
uisam pharetratos Gelonos
et Scythicum inuiolatus amnem.

uos Caesarem altum, militia simul
fessas cohortes reddidit oppidis,
finire quaerentem labores
Pierio recreatis antro.

uos lene consilium et datis et dato
gaudetis almae. scimus ut inpios
Titanas inmanemque turmam
fulmine sustulerit caduco,

1627 extinxit *A*. exstinxit *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — arbos *B Cruquiana*. arbor *A C D* — 1631 urentes *A B C D*. arentis *Bentleius*. ᶜarenteis. *cod. Bland. et Maldeg. legunt urenteis*' *Cruquius* — tentabo *Cruquiana*, *Orelliana* 3. temptabo *A* — harenas *A B C* — 1638 fessus *primus Leidensis s. Vossianus. idem coniecit Lambinus probante Bentleio* — cohorteis *Cruquiana*. cohortes *Orelliana* 3 — addidit *C D*. abdidit *A B*. ᶜ *Bland. unus cum Maldeg. habet reddidit. alii omnes, abdidit*' *Cruquius, Bentleius* — opibus *B* — 1642 impios *Cruquiana*, *Orelliana* 3 *ut insequenti uersu* immanemque — 1643 turbam *B D*. turmam *A Cruquiana. uide quae ad uersum* 1647 *adnotata sunt* — 1644 caduco] corusco *Bentleii coniectura* — 1646 urbis]

qui terram inertem, qui mare temperat
uentosum, et urbis regnaque tristia
diuosque mortalisque turbas
imperio regit unus aequo.

magnum illa terrorem intulerat Ioui
fidens iuuentus horrida brachiis,
fratresque tendentes opaco
Pelion inposuisse Olympo:

sed quid Typhoeus et ualidus Mimas,
aut quid minaci Porphyrion statu,
quid Rhoetus euolsisque truncis
Enceladus iaculator audax

contra sonantem Palladis aegida
possent ruentes? hinc auidus stetit
Volcanus, hinc matrona Iuno et
numquam umeris positurus arcum,

qui rore puro Castaliae lauit
crinis solutos, qui Lyciae tenet
dumeta natalemque siluam,
Delius et Patareus Apollo.

VIS consili expers mole ruit sua:
uim temperatam di quoque prouehunt

umbras *Bentleii coniectura, recepta etiam in editione Weidmanniana* — 1647 mortaleisque *Cruquiana.* mortalesque *Orelliana* 3 — turbas *CD.* turmas *A Cruquiana.* '*unus codex Mart. hic habet turbas, ut supra immanemque turbam non turmam*' *Cruquius* — 1651 tendentes] '*unus Bland. legit intendentes*' *Cruquius* — 1652 inposuisse *A.* imposuisse *Cruquiana, Orelliana* 3 — 1655 rhethus *A.* Rhoetus *B.* Roetus *C.* Rhetus *D.* Rhoecus *Cruquiana* — euulsisque *A Cruquiana.* '*scripturam euolsis et* 59. *Volcanus inter meos praebet c solus*' *Orellius* — 1659 Volcanus *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 1660 numquam *A Cruquiana.* nunquam *Orelliana* 3 — 1662 crinis *D.* crineis *Cruquiana.* crines *Orelliana* 3 — *Vu.* 1666—1668 *om. C*

in maius; idem odere uires
omne nefas animo mouentis.

testis mearum centimanus Gyas
sententiarum, notus et integrae
temptator Orion Dianae,
uirginea domitus sagitta.

iniecta monstris Terra dolet suis
maeretque partus fulmine luridum
missos ad Orcum; nec peredit
inpositam celer ignis Aetnam,

incontinentis nec Tityi iecur
reliquit ales, nequitiae additus
custos; amatorem trecentae
Pirithoum cohibent catenae.

CARMEN V.

Caelo tonantem credidimus Iouem
regnare: praesens diuus habebitur

1667 iidem *Cruquiana.* idem *Orelliana* 3 — 1668 mouentes *Cruquiana, Orelliana* 3 — 1669—1672 *hos uersus Bultmannum (Mythol. uol. II. p.* 368) *secutus in marginem relegauit Meinekius p. XVII* — 1669 gigas *ABCD*, *'sic habent omnia scripta, sed ex scripto Apollodori legendum est Gyas' Cruquius.* Gyges *Bentleius. Cfr. uersum* 1334 — 1670 sententiarum notus, et integrae *Cruquiana* — 1671 temptator *A.* tentator *Cruquiana, Orelliana* 3 — 1673 infecta *D corr.* — 1676 impositam *Cruquiana, Orelliana* 3 — Aethnen *BC.* Aetnam *A Cruquiana* — 1677 iecor *B* — 1678 relliquit *B.* reliquit *C.* relinquit *AD Cruquiana*

V Diui Augusti laudes *Cruquiana.* Ad diuum Augustum *ACD.* In honorem Augusti *B* — 1688 armis *CD Cruquiana.* aruis *cum Tan. Fabro et Heinsio Bentleius. Totum uersum om. B*

Augustus adiectis Britannis
imperio grauibusque Persis.
milesne Crassi coniuge barbara 1685
turpis maritus uixit et hostium
(pro curia inuersique mores!)
consenuit socerorum in armis
sub rege Medo Marsus et Apulus,
anciliorum et nominis et togae 1690
oblitus aeternaeque Vestae,
incolumi Ioue et urbe Roma.
hoc cauerat mens prouida Reguli
dissentientis condicionibus
foedis et exemplo trahentis 1695
perniciem ueniens in aeuum,
si non periret inmiserabilis,
captiua pubes. 'signa ego Punicis
adfixa delubris et arma
militibus sine caede' dixit 1700
'direpta uidi, uidi ego ciuium
retorta tergo brachia libero

— 1690 'et nominis et togae *sic habet cod. Bland. antiquiss.*' *Cruquius*, *A Orelliana* 3. nominis et togae *B Cruquiana* — 1692 incolomi *AD* — 1695 trahentis *ABCD Cruquiana.* trahenti *de Canteri coniectura et cum commentatore Cruquii Lambinus, item Bentleius, qui tamen in adnotatione praefert* exempli trahentis — 1694 conditionibus *Cruquiana.* condicionibus *Orelliana* 3 — 1697 periret immiserabilis *A Cruquiana, Orelliana* 3. perires inmiserabilis *C. Lachmannus in comment. ad Lucret. p.* 17. *quem secuta est edit. Weidm.* periret uae miserabilis *Paldamus.* periret iam miserabilis *G. Stallbaumius in praefationis p. LXXVI. Vide ad uersum* 1208 — 1698 publicis punicis *A* — 1699 affixa *Cruquiana.* adfixa *Orelliana* 3 — 1701 direpta *ABCD.* 'τὸ *direpta habent omnia quae uidi scripta*' *Cruquius.* derepta *Orelliana* 3 *et pleraeque editiones*

portasque non clausas et arua
Marte coli populata nostro.

auro repensus scilicet acrior
miles redibit. flagitio additis
damnum: neque amissos colores
lana refert medicata fuco,

NEC uera uirtus, cum semel excidit,
curat reponi deterioribus.
si pugnat extricata densis
cerua plagis, erit ille fortis

qui perfidis se credidit hostibus,
et Marte Poenos proteret altero
qui lora restrictis lacertis
sensit iners timuitque mortem.

hic unde uitam sumeret inscius
pacem duello miscuit. o pudor!
o magna Carthago probrosis
altior Italiae ruinis!'

fertur pudicae coniugis osculum
paruosque natos ut capitis minor
a se remouisse et uirilem
toruus humi posuisse uoltum,

1703 'cod. Bland. habet clusas, antiquo more' Cruquius. clausas *A Orelliana* 3 — 1706 abditis *Cruquiana mero typothetarum errore* — 1707 damnum *A Orelliana* 3. 'dampnum. *sic scriptum est ubiq. in antiquis lib.*' *Cruquius* — nec *B*. neque *ACD Cruquiana* — 1709 occidit *B* — *Vu.* 1710—1713 *om. C* — 1713 dedidit *Bentleii coniectura* — 1714 proterit *B* — 1716 *et* 1717 mortem Hinc, unde uitam sumeret aptius *Bentleius*, *qui* aptius *e quinque codicibus*, hinc *e coniectura scripsit.* mortem. Hic ..... inscius *ABCD Cruquiana.* anxius *editio Weidmanniana a.* 1851 — 1718 pacem et duello *Bentleius coniectura* — 1719 Carthago *A Cruquiana.* Karthago *Orelliana* 3 — 1723 a se *ABD Cruquiana.* ab se

donec labantis consilio patres
firmaret auctor numquam alias dato,
interque maerentis amicos
egregius properaret exsul.

atqui sciebat quae sibi barbarus
tortor pararet: non aliter tamen
dimouit obstantis propinquos
et populum reditus morantem

quam si clientum longa negotia
diiudicata lite relinqueret,
tendens Venafranos in agros
aut Lacedaemonium Tarentum.

CARMEN VI.

Delicta maiorum inmeritus lues,
Romane, donec templa refeceris
aedesque labentis deorum et
foeda nigro simulacra fumo.

dis te minorem quod geris, imperas.
hinc omne principium, huc refer exitum:
di multa neglecti dederunt
Hesperiae mala luctuosae.

Orelliana 3, *Bentleius e quinque codicibus* — 1724 uultum *Cruquiana.* uoltum *A Orelliana* 3 — 1725 labanteis *Cruquiana.* labantis *C* — 1727 maerentis *A B C.* maerenteis *Cruquiana* — 1731 obstanteis *Cruquiana.* obstantes *Orelliana* 3 — propinquos] *'cod. Bland. unus et Maldeg. habent, amicos' Cruquius* — 1735 uenafros *B*

VI Ad populum Romanum de moribus sui saeculi corruptis *Cruquiana.* Ad populum Romanum *A B C.* Ad Augustum Romanum *D* — 1737 inmeritus *A.* immeritus *Cruquiana, Orelliana* 3 — 1739 Aedisque *C.* aedesque *Cruquiana* — labenteis *Cruquiana.* labentes *Orelliana* 3 — 1740 fumo simulacra nigro *B pr. m.* — 1742 Hic *C*

iam bis Monaeses et Pacori manus
non auspicatos contudit impetus
nostros et adiecisse praedam
torquibus exiguis renidet.

paene occupatam seditionibus
deleuit urbem Dacus et Aethiops,
hic classe formidatus, ille
missilibus melior sagittis.

fecunda culpae saecula nuptias
primum inquinauere et genus et domos:
hoc fonte deriuata clades
in patriam populumque fluxit.

motus doceri gaudet Ionicos
matura uirgo et fingitur artibus;
iam nunc et incestos amores
de tenero meditatur ungui;

mox iuniores quaerit adulteros
inter mariti uina, neque eligit
cui donet inpermissa raptim
gaudia luminibus remotis,

sed iussa coram non sine conscio
surgit marito, seu uocat institor

1745 Monaesis *s.* monesis *ABC*, *et D corr. Cruquiana.* Monaeses *D pr. m.* 'iam bis Monaesis. *Cod. Bland. Diuae. Malde. Sil. habent Monaesis in casu genitiuo. Mart. Monaesus. at plurium cod. consensum sequor' Cruquius* — 1747 nostros *Cruquiana, Orelliana* 3. nostris *cum uno cod. Prisciani p.* 891. *praefert Bentleius, uel legendum suspicatur* Nostrorum. — *Vu.* 1747—1749 *om. C et in eodem codice u.* 1751 *est ultimus* — 1753 secula *Orelliana* 3 — 1756 in patriam] inque patres *Bentleii coniectura* — 1758 matura *uoci corruptelae signum* (†) *adposuit Meinekius in editione altera* — fingitur artubus *AD.* fingitur artibus *BC.*

seu nauis Hispanae magister,
dedecorum pretiosus emptor.

non his iuuentus orta parentibus
infecit aequor sanguine Punico,
Pyrrhumque et ingentem cecidit
Antiochum Hannibalemque dirum;

sed rusticorum mascula militum
proles, Sabellis docta ligonibus
uersare glaebas et seuerae
matris ad arbitrium recisos

portare fustis, sol ubi montium
mutaret umbras et iuga demeret
bobus fatigatis, amicum
tempus agens abeunte curru.

DAMNOSA quid non inminuit dies?
AETAS parentum peior auis tulit
nos nequiores, mox daturos
progeniem uitiosiorem.

CARMEN VII.

Quid fles, Asterie, quem tibi candidi
primo restituent uere Fauonii

'fingitur artubus. *duo cod. Bland. cum Diuae. et Maldeg. sequuntur hanc lectionem. unus Bland. et Sil. fingitur artibus. Mart. fungitur artubus' Cruquius* — 1763 impermissa *A C D Cruquiana.* intermissa *B* — 1766 seu uocat *A B C D Cruquiana.* cum *Orellii Sangallensis.* 'pro, *seu, Codex unus Bland. habet, cum' Cruquius* — 1772 dirum *A B D Cruquiana, Bentleius.* durum *Orellii cod. d.* — 1775 glebas *Cruquiana, Orelliana* 3 — 1777 fusteis *Cruquiana.* fustes *Orelliana* 3 — 1779 bobus *A Cruquiana.* bubus *B.* bobus *D pr. m.* — 1781 imminuit *Cruquiana, Orelliana* 3

VII Ad Asterien, maestam de mariti sui absentia *Cruquiana.*

Thyna merce beatum,
. constantis iuuenem fidei

Gygen? ille Notis actus ad Oricum
post insana Caprae sidera frigidas
noctis non sine multis
insomnis lacrimis agit.

atqui sollicitae nuntius hospitae,
suspirare Chloen et miseram tuis
dicens ignibus uri,
temptat mille uafer modis.

ut Proetum mulier perfida credulum
falsis inpulerit criminibus nimis
casto Bellerophonti
maturare necem refert;

narrat paene datum Pelea Tartaro,
Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens;
et peccare docentis
fallax historias monet.

frustra: nam scopulis surdior Icari
uoces audit adhuc integer. at tibi
ne uicinus Enipeus
plus iusto placeat caue:

quamuis non alius flectere equum sciens

Ad Asterien *B C D* — 1788 constantis *A B C D.* constanti *Cruquiana* — fidei *A B C D.* 'constantis iuuen. fidei. *Cod. Bland. cum Maldeg. et Sil. habent fidei. Mart. fide. Diuae. fidi. at sequor tamen Bland. per synaeresin*' *Cruquius. Cfr. Voss. Aristarch. p.* 770 — 1796 temptat *A B.* tentat *Cruquiana* — mille] ille *B* — 1798 impulerit *A C D.* compulerit *B* — 1799 Belleraphonte *B.* bellorafonte *A*, *item u.* 1951 — 1803 docentis *B C.* docenteis *Cruquiana* — 1804 pellax *malebat Bentleius* — monet *A B C D Cruquiana.* mouet *Bentleii Bodleianus et aliorum alii* — 1807 nec *C*

aeque conspicitur gramine Martio,
nec quisquam citus aeque
Tusco denatat alueo.

prima nocte domum claude neque in uias
sub cantu querulae despice tibiae,
et te saepe uocanti
duram difficilis mane.

CARMEN VIII.

Martiis caelebs quid agam calendis,
quid uelint flores et acerra turis
plena miraris positusque carbo in
cespite uiuo,

docte sermones utriusque linguae.
uoueram dulcis epulas et album
Libero caprum prope funeratus
arboris ictu.

hic dies anno redeunte festus
corticem adstrictum pice dimouebit
amphorae fumum bibere institutae
consule Tullo.

VIII Ad Maecenatem, cum caelebs esset, cur Kalendas Martias celebret *Cruquiana*. Ad Macenatem *BCD* — 1817 Kalendis *CD Cruquiana*. Calendis *AB* — 1818 turis *AB* — 1819 in *om. C* — 1820 caespite *Orelliana* 3. cespite *Cruquiana* — 1821 sermonis *ACD*. sermones *B*. ‘*sermonis*, *in Bland. codicibus per I maiusculum scriptum est, quod fere uel, eis, uel, es, notat: ceteri scripti habent sermonis*’ *Cruquius* — 1822 dulcis *BC*. dulceis *Cruquiana*. dulces *A* — 1826 dimouebit *BCD*, *A in rasura*. ‘dimouebit. *sic habent omnia quae uidi scripta*’ *Cruquius*. de-

sume, Maecenas, cyathos amici
sospitis centum, et uigiles lucernas
perfer in lucem; procul omnis esto
clamor et ira.

mitte ciuilis super urbe curas:
occidit Daci Cotisonis agmen,
Medus infestus sibi luctuosis
dissidet armis,

seruit Hispanae uetus hostis orae
Cantaber, sera domitus catena,
iam Scythae laxo meditantur arcu
cedere campis.

neglegens nequa populus laboret
parce priuatus nimium cauere;
dona praesentis cape laetus horae ac
linque seuera.

CARMEN VIIII.

Donec gratus eram tibi
nec quisquam potior brachia candidae

mouebit *alii* — 1831 profer *B.* perfer *ACD Cruquiana* — 1833 ciuilis *C.* ciuileis *Cruquiana.* ciuiles *A* — 1835 infestus sibi luctuosis *A Cruquiana.* infestis sibi luctuosis *B.* infestis sibi luctuosus *hanc N. Heinsii coniecturam firmatam a codicis sui Galeani auctoritate recepit Bentleius* — 1841—1844 *'Vltimam stropham iam Guieto vo9elaς suspectam seclusi' Meinekius p. XVII* — 1841 negligens *A Cruquiana.* neglegens *Orelliana* 3 — 1842 cauere et *ABCD Cruquiana* — 1843 cape *ABCD.* rape. *sic habet Maldeg. reliqui omnes cape Cruquius* — horae linque *ABCD.* horae et linque *Bentleius.* horae ac linque *Cruquiana*

VIIII Ad Lydiam de praeteritis amoribus *Cruquiana.* Ad

ceruici iuuenis dabat,
Persarum uigui rege beatior.

'donec non alia magis
arsisti neque erat Lydia post Chloen,
multi Lydia nominis
Romana uigui clarior Ilia.'

me nunc Thressa Chloe regit,
dulcis docta modos et citharae sciens,
pro qua non metuam mori,
si parcent animae fata superstiti.

'me torret face mutua
Thurini Calais filius Ornyti,
pro quo bis patiar mori,
si parcent puero fata superstiti.'

quid si prisca redit Venus
diductosque iugo cogit aeneo?
si flaua excutitur Chloe,
reiectaque patet ianua Lydiae?

'quamquam sidere pulchrior
ille est, tu leuior cortice et inprobo
iracundior Hadria,
tecum uiuere amem, tecum obeam libens.'

Lydiam meretricem *BC*. Antopodotiae ad lydiam et lydiae ad se *A. om. D* — 1849 alia *Orelliana* 3. *'omnia scripta nostra habent, alia, praeter Maldeg. quae habent, aliam, cum uulgatis' Cruquius.* aliam *A Bentleius* — 1853 Thraessa *C.* tressa *A* — 1854 dnlcis *AB.* dulceis *Cruquiana* — 1858 Turini *A* — Ornyti *BCD.* orniti *A.* Ornithi *Cruquiana* — 1862 diductosque *ABD Cruquiana.* deductosque *C* — 1865 quanquam *BCD.* quamquam *Cruquiana.* quamuis *A (Orellii Sangallensis et Pottierii sex)* — pulcrior *Cruquiana* — 1866 improbo *Cruquiana, Orelliana* 3 — 1867 adria *A*

CARMEN X.

Extremum Tanain si biberes, Lyce
saeuo nupta uiro, me tamen asperas
porrectum ante foris obicere incolis
plorares Aquilonibus.

audis quo strepitu ianua, quo nemus
inter pulchra satum tecta remugiat
uentis, et positas ut glaciet niuis
puro numine Iuppiter?

ingratam Veneri pone superbiam,
ne currente retro funis eat rota.
non te Penelopen difficilem procis
Tyrrhenus genuit parens.

o quamuis neque te munera nec preces
nec tinctus uiola pallor amantium
nec uir Pieria pellice saucius
curuat, supplicibus tuis

parcas, nec rigida mollior aesculo
nec Mauris animum mitior anguibus.

X Ad Lycen, in amanteis nimis asperam et duram *Cruquiana.* Ad Lycen superbam *A.* Ad Lycen *BCD* — 1869 Tanaim *A Cruquiana* — 1870 asperas *om. B* — 1871 proiectum *Bentleii coniectura* — obicere *AC.* obiicere *Cruquiana. Hunc uersum in codice A nulla distinctione facta sequitur uers.* 2017, *ita ut desint uersus* 147 — 1874 satum *BC.* situm *D corr.* ʿ*Bland.* 3. *habent, satum, ut et Comment., sed reliqui situm, quos sequor euphoniae causa*ʾ *Cruquius* — remugiat? sentis et *Bentleii coniectura* — 1876 ʿpuro numine Iup. *sic habent omnia nostra scripta, non etiam, lumine, quod adnotat Canterus, a quo non dissentit Scaliger in Ausonium*ʾ *Cruquius.* puro n. I. *Orelliana* 3.

non hoc semper erit liminis aut aquae
caelestis patiens latus.

CARMEN XI.

Mercuri (nam te docilis magistro
mouit Amphion lapides canendo)
tuque testudo resonare septem
callida neruis,

nec loquax olim neque grata, nunc et
diuitum mensis et amica templis,
dic modos, Lyde quibus obstinatas
adplicet auris,

quae uelut latis equa trima campis
ludit exsultim metuitque tangi,
nuptiarum expers et adhuc proteruo
cruda marito.

tu potes tigris comitesque siluas
ducere et riuos celeris morari;

duro n. I. *Bentleii coniectura* — 1878 nec *D* — rota funis eat retro *e codice Petrensi et Galei Bentleius.* retro funis eat rota *BCD Cruquiana* — 1883 pellice *Cruquiana.* paelice *C.* pelice *BD* — 1886 animum *C Cruquiana.* animo *BD* — 1887 non] nec *B*

XI Ad Mercurium, ut suis modis lyraque flectat animum Lydes in eius amorem ne instar Danaidum obstinata poenas luat *Cruquiana.* Ad Mercurium *BC.* Mercurio Lydaeque *D* — 1896 applicet *Cruquiana, Orelliana* 3 — auris *BC.* aureis *Cruquiana* — 1901 tigris *B.* tigreis *Cruquiana* — 1902 celeres *Cruquiana, Orelliana* 3

cessit inmanis tibi blandienti
ianitor aulae;

[Cerberus, quamuis furiale centum
muniant angues caput eius atque
spiritus taeter saniesque manet
ore trilingui.]

quin et Ixion Tityosque uoltu
risit inuito; stetit urna paullum
sicca, dum grato Danai puellas
carmine mulces.

audiat Lyde scelus atque notas
uirginum poenas et inane lymphae
dolium fundo pereuntis imo
seraque fata,

quae manent culpas etiam sub Orco.
inpiae — nam quid potuere maius? —
inpiae sponsos potuere duro
perdere ferro.

una de multis face nuptiali

1903 immanis *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1905—1908 *Hos uersus permultis uiris doctis suspectos (cfr. Orellii adnotationem) in marginem relegauit Meinekius p. XVII; uncis inclusit edit. Weidmann. defendit Iahnius, uid. Orellianae* 3 *excursum* — 1906 caput exeatque *Bentleii dubia suspicio* — 1907 teter *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1909 'Tityosque uoltu. *sic habent codic. Bland.*' *Cruquius* — 1914 poenas *om. B* — 1918 *et* 1919 impiae *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 'nam quid potuere maius impiae? *sic habent codices Bland. ut interrogationis nota subsequatur τὸ impiae: reliqui uariant et notam interrogationis subdunt τῷ maius*' *Cruquius* — 1924 aeuo *C* — 1931 nec intra *B D Cruquiana*. neque intra *C* — 1937—1940 '*ultimam quoque stropham*, *Peerl-*

digna periurum fuit in parentem
splendide mendax et in omne uirgo
nobilis aeuum,

'surge' quae dixit iuueni marito,
'surge, ne longus tibi somnus unde
non times detur: socerum et scelestas
falle sorores,

quae uelut nactae uitulos leaenae
singulos eheu lacerant: ego illis
mollior nec te feriam nec intra
claustra tenebo.

me pater saeuis oneret catenis,
quod uiro clemens misero peperci;
me uel extremos Numidarum in agros
classe releget.

i pedes quo te rapiunt et aurae,
dum fauet nox et Venus, i secundo
omine et nostri memorem sepulcro
scalpe querellam.'

kampio merito suspectam uellem certe uncis circumdedissem' Meinekius p. XVII — 1940 scalpe *B C D 'sic legitur in Bland. codicib. et recte, ex sententia Diomedis Grammatici, qui sculpo uerbum credit uix esse Latinum. tres tamen manu scripti Diuaei, Mart. Maldeg. habent sculpe' Cruquius* — querelam *Cruquiana, Orelliana* 3

CARMEN XII.

Miserarum est neque amori
dare ludum neque dulci
mala uino lauere aut exanimari metuentis
patruae uerbera linguae.

tibi qualum Cythereae
puer ales, tibi telas
operosaeque Mineruae studium aufert Neobule
Liparaei nitor Hebri

simul unctos Tiberinis
umeros lauit in undis
eques ipso melior Bellerophonte, neque pugno
neque segni pede uictus;

catus item per apertum
fugientis agitato
grege ceruos iaculari et celer arto latitantem
fruticeto excipere aprum.

XII Ad Neobulen, insuauem ei esse uitam sine Hebro adolescente fortissimo *Cruquiana*. Ad Neobulen *CD*. Suauem uitam non esse sine iocunditate et amore *B*. *Vera huius carminis ratio metrica e codicibus uereor ut unquam erui possit. In codice Turicensi (B) teste Orellio carmen in quattuor strophas ternorum uersuum distributum est, quorum primus et secundus ternis, tertius quaternis pedibus constat. Etiam Cruquius 'in pedibus ordinandis codices suos non nihil opera sua adiuuit'; dicit enim: 'at aliud longe (i. e. non monocolon) nobis ob oculos ponunt tres scripti codices Bland. antiquiss. Màldeg. et Mart. sed hic nostra ope non nihil adiuti in pedibus ordinandis. Est itaque metrum tricolon constans ex duobus prioribus Sapphicis trimetris acataleclis, tertio Anacreontio dimetro catalectico, quarto Adonio'. Equidem secutus sum Kirchneri sententiam, quam uide in eius Nou. Quaestt. Horat. p. 65. Cfr. Bentl.* — 1941 nec amori *D pr. m. Cruquiana.* neque amori *Orelliana* 3 — 1943 metuentis *B.* metuenteis *Cruquiana* — 1948

CARMEN XIII.

O fons Bandusiae, splendidior uitro,
dulci digne mero non sine floribus,
cras donaberis haedo,
cui frons turgida cornibus
primis et Venerem et proelia destinat.
frustra: nam gelidos inficiet tibi
rubro sanguine riuos
lasciui suboles gregis.

te flagrantis atrox hora Caniculae
nescit tangere, tu frigus amabile
fessis uomere tauris
praebes et pecori uago.

fies nobilium tu quoque fontium,
me dicente cauis inpositam ilicem
saxis, unde loquaces
lymphae desiliunt tuae.

Liparei *B Bentleius.* Liparaei *Orelliana* 3, *Cruquiana* — 1950 humeros *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1953 item *Cruquiana.* idem *Orelliana* 3 — 1954 fugientis *B C.* fugienteis *Cruquiana* — 1955 et *om. C* — alto *B C D.* ʿalto. *Bland. antiquiss. legit.* arto. *pro denso, quod fortassis est aptius' Cruquius.* arto *Bentleius*

XIII Ad fontem Bandusiam, cum eius commendatione *Cruquiana.* Ad fontem Bandusiae *B C.* In fontem *D* — 1957 Bandusiae *B C.* Blandusiae *D.* ʿBandusiae. *sic habent omnes libri manuscrip. quos legi. alii legunt Blandusiae cum uulgatis' Cruquius* — 1961 destinet *D.* destinat *Cruquiana* — 1964 soboles *B.* suboles *Cruquiana* — 1970 impositam *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1972 Lymphae *Cruquiana.* ʿ*Habent* Lymphae *Codd. mei et Pottieriani, non* Nymphae, *quod praebent* $\beta\lambda\xi$ *uar. lect.* ι' *Orellius. Addendus codex* χ*; sunt autem codices Bentleiani*

CARMEN XIIII.

Herculis ritu modo dictus, o plebs,
morte uenalem petiisse laurum
Caesar Hispana repetit penatis
uictor ab ora.

unico gaudens mulier marito
prodeat iustis operata Diuis
et soror clari ducis et decorae
supplice uitta

uirginum matres iuuenumque nuper
sospitum. uos, o pueri et puellae
iam uirum expertae, male ominatis
parcite uerbis.

hic dies uere mihi festus atras
eximet curas: ego nec tumultum
nec mori per uim metuam tenente
Caesare terras.

i pete unguentum, puer, et coronas
et cadum Marsi memorem duelli,

XIIII Ad Romanum popul. laudes Augusti ob uictoriam Cantabricam *Cruquiana.* Ad populum Romanum *BC.* Ciuibus in Augustum *D* — 1975 penateis *Cruquiana.* penates *Orelliana* 3 — 1978 iustis] castis *Bentleii coniectura* — sacris *CD Bentleius.* diuis *B.* ‘*Codic. Bland. duo cum Maldeg. et Mart. pro τῷ diuis, habent τὸ sacris*’ *Cruquius* — 1983 non uirum expertae *malebat Bentleius* — nominatis *C, B pr. m., D corr.* ‘ominatis. *habet antiquiss. Bland. cum Diuaei et Sil. quam lectionem omnino credo seruandam, reclamantibus omnibus aliis manuscriptis, quae legunt, nominatis. Non dubito namque sciolum aliquem metri scilicet gratia apposuisse τὸ n. at si quis tamen plurium motus auctoritate codicum scrip. (nam praeter meos septem numerat Lambinus alios octo, in*

Spartacum siqua potuit uagantem
fallere testa.

dic et argutae properet Neaerae
Murreum nodo cohibere crinem:
si per inuisum mora ianitorem
fiet, abito.

lenit albescens animos capillus
litium et rixae cupidos proteruae;
non ego hoc ferrem calidus iuuenta
consule Planco.

CARMEN XV.

Vxor pauperis Ibyci,
tandem nequitiae fige modum tuae
famosisque laboribus;
maturo propior desine funeri

inter ludere uirgines
et stellis nebulam spargere candidis.
non, siquid Pholoen satis,
et te, Chlori, decet: filia rectius

quibus τὸ nominatis scriptum est) ei auctor fuerim e. q. s.' Cruquius. inominatis *Bentleii coniectura, etiam in editione Weidmanniana recepta* — 1986 eximet *Cruquiana, Orelliana* 3. exiget *C* — 1991 siqua *BCD Cruquiana.* si quae *uolebat Pareus* — uagantem *Cruquiana, Orelliana* 3. uagacem *Charisius I* 37, *p.* 36. *Lind. Cfr. Paldamus Mus. Rhen. nou. VI p.* 633 *sqq.* — 1994 Murreum *BCD.* 'Myrrheum. *Bland. omnes habent Mureum' Cruquius.* Murrheum *Orelliana* 3 — cohibente *Bentleii coniectura, in quam inciderat iam Muretus ad Tibull. III* 4, 28 — 1999 iuuenta *om. B*

XV Ad Chlorim, moecham uetulam et luxuriosam *Cruquiana.* Ad Chloridem *BCD* — 2002 fige *C.* pone *BD.* '*unus cod. Mart. habet, pone modum. reliqui, fige' Cruquius*

expugnat iuuenum domos,
pulso Thyias uti concita tympano.
illam cogit amor Nothi
lasciuae similem ludere capreae:

te lanae prope nobilem
tonsae Luceriam, non citharae decent
nec flos purpureus rosae
nec poti uetula faece tenus cadi.

CARMEN XVI.

Inclusam Danaen turris aenea
robustaeque fores et uigilum canum
tristes excubiae munierant satis
nocturnis ab adulteris,

si non Acrisium uirginis abditae
custodem pauidum Iuppiter et Venus
risissent: fore enim tutum iter et patens
conuerso in pretium deo.

2010 thias *B*. Thyas *Cruquiana*. Thyias *Orelliana* 3, *cfr. uersum* 1401 — 2011 †Nothi *Meinekius dicens p. XVII.* ‘*hoc nomen cuius nullum exemplum afferri potest uereor ut ullo unquam tempore Graecis in usu fuerit, quod si quis forte ab ipso poeta ad similitudinem latini nominis* Spurius *fictum dicat demonstrare debebit ullum apud Horatium nomen inueniri quod suo ipse arbitrio finxerit. Itaque nescio an* Cothi *poeta scripserit cuius nominis exempla habes apud Strabonem VII p.* 321 *et in Teio titulo apud Boeckhium uol. II p.* 649’ — 2016 nepoti *B* — uetula *B C D*. uetulam *Cruquiana*. ‘*In uno cod. Bland. et Mart. scriptum est, uetula ..... nec ab ea lectione dissentit Porphyrio uulgatus. habet enim: per faecem autem uetulam, uetus uinum accipe*’ *Cruquius*

AVRVM per medios ire satellites 2025
et perrumpere amat saxa potentius
ictu fulmineo: concidit auguris
Argiui domus, ob lucrum

demersa exitio; diffidit urbium
portas uir Macedo et subruit aemulos 2030
reges muneribus; munera nauium
saeuos inlaqueant duces.

CRESCENTEM sequitur cura pecuniam
maiorumque fames. iure perhorrui
late conspicuum tollere uerticem, 2035
Maecenas, equitum decus.

QVANTO quisque sibi plura negauerit,
a dis plura feret: nil cupientium
nudus castra peto et transfuga diuitum
partis linquere gestio, 2040

contemptae dominus splendidior rei
quam si quidquid arat inpiger Apulus
occultare meis dicerer horreis,
magnas inter opes inops.

XVI Ad Maecenatem; auro obedire omnia, se uero minime *Cruquiana.* Ad Maecenatem *BCD* — 2017 danain B_1 — 2022 *Hunc u. sequitur* 49 *et reliqua desunt in C* — 2023 risisset *malebat Bentleius* — 2029 exitio *BD Cruquiana.* exicio *A.* '*omnes scrip. lib. praeter Diuae. habent exitio, quos sequor*' *Cruquius.* excidio *alii* — dimersa *AB* — 2032 inlaqueant *A.* illaqueant *Cruquiana, Orelliana* 3 — 2038 a *AB Cruquiana.* ab *Orelliana* 3 — 2040 parteis *Cruquiana.* partes *A Orelliana* 3 — 2041 contemtae *Cruquiana.* contemptae *A Orelliana* 3 — 2042 quidquid *Cruquiana, Orelliana* 3. quicquid *A alii, cfr. C. Lachmanni comment. in Lucret. p.* 340 — impiger *ABD.* non piger *Cruquiana.* 'impiger. *sic habent omnia nost. scrip.*' *Cruquius* — Apulus *A*

purae riuus aquae siluaque iugerum
paucorum et segetis certa fides meae
fulgentem imperio fertilis Africae
fallit sorte beatior.

quamquam nec Calabrae mella ferunt apes,
nec Laestrygonia Bacchus in amphora
languescit mihi, nec pinguia Gallicis
crescunt uellera pascuis,

inportuna tamen pauperies abest,
nec, si plura uelim, tu dare deneges.
contracto melius parua cupidine
uectigalia porrigam

quam si Mygdoniis regnum Alyattei
campis continuem. MVLTA petentibus
desunt multa: bene est, cui deus obtulit
parca quod satis est manu.

CARMEN XVII.

Aeli uetusto nobilis ab Lamo,
quando et priores hinc Lamias ferunt

Cruquiana, *Orelliana* 3. Appulus *Bentleius*, *alii* — 2045 silua *B* — 2047 fulgente *Bentleii coniectura* — affrice *A* — 2049 ferant *B* — 2053 importuna *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2054 nec] ne *B*. n^{c} *A* — 2055 contracto *B D Cruquiana*. contracta *Orellii Bernensis tertius* (c) — 2057 haliattici *B*. Alyattei *Orelliana* 3. Aliattici *Cruquiana*. aliathiae *A*

XVII Ad Aelium Lamiam *A B C D Cruquiana* — 2062—2065 *hos uersus suspectos Buttmanno Myth. uol. II p.* 365 *aliisque* (*uid. Orellii adnotat. criticam*) *in marginem relegauit Meinekius; cfr. p. XVIII* — 2064 fastos *A B C D Cruquiana*. fastus *Orellii San-*

denominatos et nepotum
per memores genus omne fastos,

auctore ab illo ducis originem, 2065
qui Formiarum moenia dicitur
princeps et innantem Maricae
litoribus tenuisse Lirim

late tyrannus: cras foliis nemus
multis et alga litus inutili 2070
demissa tempestas ab Euro
sternet, aquae nisi fallit augur

annosa cornix. dum potes, aridum
conpone lignum: cras Genium mero
curabis et porco bimenstri 2075
cum famulis operum solutis.

CARMEN XVIII.

Faune Nympharum fugientum amator,
per meos finis et aprica rura
lenis incedas abeasque paruis
aequus alumnis, 2080

gallensis, *aliique* — 2065 ducit *auctore D. Heinsio Bentleius.* ducis *A B C D Cruquiana* — 2068 Lirim *A B C D.* Lirin *Cruquiana; sed in interpretatione habet Cruquius* Lirim — 2073 potes *A B C D Cruquiana.* potis *ex tribus codicibus Bentleius* — 2074 compone *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2075 bimenstri *A B C D.* bimestri *Cruquiana*

XVIII Ad Faunum Deum agrestem ut per agros eius transeat innoxius *Cruquiana.* Ad Faunum Deum *B C.* Ad Faunum Deum agrestem *A D* — 2077 fugientium *A* — 2078 finis *C.* fines *A.* fineis *Cruquiana* — 2079 adeasque *C*

si tener pleno cadit haedus anno,
larga nec desunt Veneris sodali
uina craterae, uetus ara multo
fumat odore.

ludit herboso pecus omne campo,
cum tibi nonae redeunt decembres;
festus in pratis uacat otioso
cum boue pagus;

inter audacis lupus errat agnos;
spargit agrestis tibi silua frondis;
gaudet inuisam pepulisse fossor
ter pede terram.

CARMEN XVIIII.

Quantum distet ab Inacho
Codrus, pro patria non timidus mori,
narras et genus Aeaci
et pugnata sacro bella sub Ilio:

quo Chium pretio cadum
mercemur, quis aquam temperet ignibus,

2081 cadit· *B C D Cruquiana.* cadet *Orellii Sangallensis* — 2083 cratere *B.* crathere *A.* craterae *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2084 odore: ludit *Cruquiana* — 2086 decembris *A* — 2088 pagus *A B C Cruquiana.* pardus *D* — 2089 audaces *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2090 agresteis .. frondeis *Cruquiana.* agrestes .. frondes *A Orelliana* 3

XVIIII Ad Telephum, ob Murenam augurio honoratum, ait hilariter esse potandum *Cruquiana.* Ad Telephum *B C.* Ad Murenam *A.* Ad Telephum a Murena augurio honoratum *D* — 2093 distat *B C D Cruquiana.* distet *C* — 2096 sacro *A*

quo praebente domum et quota
Pelignis caream frigoribus, taces.

da lunae propere nouae,
da noctis mediae, da, puer, auguris
Murenae: tribus aut nouem
miscentur cyathis pocula commodis.

qui Musas amat inparis,
ternos ter cyathos attonitus petet
uates; tris prohibet supra
rixarum metuens tangere Gratia

nudis iuncta sororibus.
insanire iuuat: cur Berecyntiae
cessant flamina tibiae?
cur pendet tacita fistula cum lyra?

parcentis ego dexteras
odi: sparge rosas; audiat inuidus
dementem strepitum Lycus
et uicina seni non habilis Lyco.

spissa te nitidum coma,
puro te similem, Telephe, uespero
tempestiua petit Rhode;
me lentus Glycerae torret amor meae.

Cruquiana, *Orelliana* 3. sacra *editio Weidmanniana*, *cfr. adnot. ad uers.* 2612 — 2104 miscentor *cum Rutgersio et N. Heinsio Bentleius.* miscentur *A Cruquiana*, *'codd. noti omnes' Orellius* — 2105 impares *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2107 tris *A B C Bentleius.* treis *Cruquiana. Cfr. Wagnerum ad Verg. V* 392 — 2113 parcentis *A B.* parcenteis *Cruquiana.* pascentis *C* — 2116 habilis *A Orelliana* 3. *'cod. Bland. antiquiss. legit, non habili' Cruquius* — 2119 Rhode *B C D.* 'Chloe. *duo cod. Bland. cum Mart. et Sil. habent Rhode' Cruquius.* cloe *A*

CARMEN XX.

Non uides quanto moueas periclo,
Pyrrhe, Gaetulae catulos leaenae?
dura post paullo fugies inaudax
proelia raptor,

cum per obstantis iuuenum cateruas
ibit insignem repetens Nearchum,
grande certamen, tibi praeda cedat,
maior an illa.

interim, dum tu celeris sagittas
promis, haec dentis acuit timendos,
arbiter pugnae posuisse nudo
sub pede palmam

fertur, et leni recreare uento
sparsum odoratis umerum capillis,
qualis aut Nireus fuit aut aquosa
raptus ab Ida.

CARMEN XXI.

O nata mecum consule Manlio,
seu tu querellas siue geris iocos

XX Ad Pyrrhum, ne abducat Nearchum a sua puella *Cruquiana*. Ad Pyrrhum *CD*. Ad Phirrum *B*. Ad pyrhum *A* — 2122 pirre *A* — 2123 paullum *B*. paulum *A*. paulo *Cruquiana*. paullo *Orelliana* 3. post paulo. *sic habent scripta Bland. cum Diuae. et Sil. reliqua post paulum. Praeterea antiquiss. Bland. ad marginem paginae habet, dura post est anastrophe' Cruquius* — 2125 obstantis *BC*. obstantes *A*. obstanteis *Cruquiana* — 2128 cedat maior an illi *libri et editiones*. cedat, maior an illa *Peerlkampius et Hauptius ad Ouid. Halieut. p.* 40 (maior caedat an illi *B*) — 2129 celeris *B*. celeres *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2130 denteis *Cruquiana*. dentes *A Orelliana* 3 — 2135 nereus *AB*

seu rixam et insanos amores
seu facilem, pia testa, somnum,

quocumque lectum nomine Massicum
seruas, moueri digna bono die,
descende, Coruino iubente
promere languidiora uina.

non ille, quamquam Socraticis madet
sermonibus, te negleget horridus.
narratur et prisci Catonis
saepe mero caluisse uirtus.

tu lene tormentum ingenio admoues
plerumque duro; tu sapientium
curas et arcanum iocoso
consilium retegis Lyaeo;

tu spem reducis mentibus anxiis
uiresque et addis cornua pauperi
post te neque iratos trementi
regum apices neque militum arma.

te Liber et si laeta aderit Venus
segnesque nodum soluere Gratiae
uiuaeque producent lucernae,
dum rediens fugat astra Phoebus.

XXI Ad amphoram, ut in gratiam Coruini uetusta uina promat *Cruquiana*. Ad amphoram *BCD*. Ad amphoram sub coenā ioculariter loquitur *A* — 2138 siue] seu *B* — querelas *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2141 numine *C* — quocunque fetum numine *malebat Bentleius* — 2142—2144 *om. C* — 2146 negleget *B*. negliget *A Cruquiana*. neglegit *CD Bentleius* — 2148 incaluisse *e Mario Victorino p.* 2606 *P. Bentleius* — 2149 amoues *A*. admoues *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2150 tu duro tu *A* — 2153 anxius *B* — 2155 neque] nec *B Bentleius* — 2156 neque] et *B* — 2160 fugit *B*

CARMEN XXII.

Montium custos nemorumque, uirgo,
quae laborantis utero puellas
ter uocata audis adimisque leto,
diua triformis,

inminens uillae tua pinus esto,
quam per exactos ego laetus annos
uerris obliquum meditantis ictum
sanguine donem.

CARMEN XXIII.

Caelo supinas si tuleris manus
nascente luna, rustica Phidyle,
si ture placaris et horna
fruge laris auidaque porca,

XXII Ad Luciferam, ob uitam seruatam *Cruquiana*. Ad Dianam luciferam *BC*. In Dianam *D*. ymnus in dianam *A* — 2162 laborantis *C*. laborantes *A*. laboranteis *Cruquiana* — 2163 letho *Cruquiana*. leto *A Orelliana* 3 — 2165—2168 *om. C* — 2165 imminens *A Cruquiana*, *Orelliana* 3

XXIII Ad Phidilen de uictimis diis offerendis *Cruquiana*. Ad Phidylen rusticam *BC*. Phillidae *D*. Ad Phidilam *A* — 2170 Phidile *A*. Phidyle *Orelliana* 3. 'Phidyle. *sic habent omnes Bland. cod. per y in secunda syllaba, quos secutus sum, ut sumta uox sit παρὰ τοῦ φείδυλος quod parcum signat et tenuem. Alii cod. partim Phillide legunt, partim Phidile' Cruquius.* Phidyli *Bentleius malebat* — 2171 ture *AB*. thure *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2172 Lareis *Cruquiana*. Lares *A Orelliana* 3 — 2173 sentiat *B*. sentiet *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2175 rubiginem *ABCD*. 'robiginem. *sic legunt Bland. cod. quae uera et antiqua uox est, ut alibi notaui' Cruquius.* robiginem *Orelliana* 3. *Cfr. Wagnerum ad Verg.*

nec pestilentem sentiet Africum
fecunda uitis, nec sterilem seges
robiginem aut dulces alumni
pomifero graue tempus anno.

nam quae niuali pascitur Algido
deuota quercus inter et ilices
aut crescit Albanis in herbis
uictima pontificum securim

ceruice tinguet: te nihil attinet
temptare multa caede bidentium
paruos coronantem marino
rore deos fragilique myrto.

inmunis aram si tetigit manus,
non sumptuosa blandior hostia
molliuit auersos penatis
farre pio et saliente mica.

Georg. I 151 — 2180 secureis *Cruquiana*. secures *B*. securim *A*, *Bentleius e quattuor codicibus* — 2181 tinguet *AB*. tinget *Cruquiana* — 2182 temptare *A*. tentare *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2183 paruos] patrios (*sic!*) *A* — 2185—2188 *hos uersus in marginem relegauit Meinekius dicens: 'quidquid tentes ut hos uersus a fraudis suspicione uindices, nunquam efficies ut uel sententiae uel latinitati satis fiat; quominus eos eripere Horatio dubitaui. Idem Guieti et Peerlkampii iudicium.' p. XVIII* — 2185 immunis *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2187 mollit *A*. molliuit *B Bentleius*. mollibit *D*. 'mollibit. *placabit. cod. unus Bland. cum Maldeg. et Mart. habet molliuit. deinde Maldeg. et Mart. aduersos habent' Cruquius* — auersos *A Orelliana* 3, *Cruquiana* — penateis *Cruquianæ*. penates *Orelliana* 3

CARMEN XXIIII.

Intactis opulentior
thesauris Arabum et diuitis Indiae
caementis licet occupes
terrenum omne tuis et mare publicum;

si figit adamantinos
summis uerticibus dira Necessitas
clauos, non animum metu,
non mortis laqueis expedies caput.

campestres melius Scythae,
quorum plaustra uagas rite trahunt domos,
uiuunt et rigidi Getae,
inmetata quibus iugera liberas

fruges et Cererem ferunt,
nec cultura placet longior annua,
defunctumque laboribus
aequali recreat sorte uicarius.

illic matre carentibus
priuignis mulier temperat innocens,
nec dotata regit uirum
coniunx, nec nitido fidit adultero.

XXIIII Ad diuites auaros *B C D Cruquiana.* Generalis inuectio in luxuriam *A* — 2192 Tyrrhenum *Cruquiana, Orelliana* 3, *ut libri et editiones plerique.* thyrrenum *A.* terrenum *etiam C. Lachmannus in comment. ad Lucret. p.* 38 *et editio Weidmanniana a.* 1851. *Cfr. Porphyrionis scholiastae uerba haec:* 'Inuehitur poeta in luxuriam aedificiis nouis non terram solum sed et mare occupantem' — publicum *A B.* ponticum *C D.* Apulicum *Orelliana* 3. 'et mare publicum. *sic habet cod. Bland. uetustissimus cum hac adnotatione, id est, late patens, cui cum Sil. consonat alius Bland. sed tertius Bland. legit Ponticum et suprascriptum, uel Apulicum. Maldeg. sine litura Apulicum. Diuaei Ponticum, et supra, uel Punicum. alii omnes Ponticum' Cruquius. Cfr. C. Lachmannum, ut supra*

dos est magna parentium
uirtus et metuens alterius uiri
certo foedere castitas,
et peccare nefas aut pretium est mori.

o quisquis uolet inpias
caedes et rabiem tollere ciuicam,
si quaeret 'pater urbium'
subscribi statuis, indomitam audeat

refrenare licentiam,
clarus postgenitis; quatinus, heu nefas,
uirtutem incolumem odimus,
sublatam ex oculis quaerimus inuidi.

quid tristes querimoniae,
si non supplicio culpa reciditur,
quid leges sine moribus
uanae proficiunt, si neque feruidis

pars inclusa caloribus
mundi nec boreae finitimum latus
durataeque solo niues
mercatorem abigunt, horrida callidi

uincunt aequora nauitae,

— 2193 si] sic *malebat Bentleius* — 2194 dura *Bentleius malebat* — 2195 clauum *B* — 2198 uagos *B* — 2200 immetata *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 2206 mulier *om. A* — 2207 dodata *B* — 2208 coniunx *ABC.* coniux *Cruquiana* — 2209 parentū *A* — 2212 pretium est mori *ABCD Cruquiana.* pretium emori *Pulmanni optimus, Bentleii Battelianus alii* — 2213 O quis, quis ..... ciuicam? *Bentleius; uid. Diomedis p.* 317. *P.* — impias *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 2214 et] aut *Cruquiana* — 2215 quaeret *BD Cruquiana.* quaerit *codices aliquot* — 2217—2251 *om. C* — 2218 quatinus *A Cruquiana.* quatenus *Orelliana* 3 — 2227 solo] gelu *Bentleii coniectura* — 2229 nauitae? MAGNVM ..... arduae. *Cruquiana.* nauitae. magnum .... arduae *Bentleius*

MAGNVM pauperies opprobrium iubet
quiduis et facere et pati,
uirtutisque uiam deserit arduae?
uel nos in Capitolium,
quo clamor uocat et turba fauentium,
uel nos in mare proximum
gemmas et lapides, aurum et inutile,
summi materiem mali,
mittamus, scelerum si bene paenitet.
eradenda cupidinis
praui sunt elementa et tenerae nimis
mentes asperioribus
formandae studiis. nescit equo rudis
haerere ingenuus puer
uenarique timet, ludere doctior,
seu Graeco iubeas trocho
seu malis uetita legibus alea,
cum periura patris fides
consortem socium fallat et hospites,
indignoque pecuniam

2232 deserere *Bentleii coniectura* — 2235 publicum *Cruquiana*. proximum *A Orelliana* 3 — 2237 materiem *ABC*. 'summi materiem. *sic habent omnes lib. scripti quos secuti sumus*' *Cruquius*. materiam *Lambinus alii* — 2238 poenitet *Cruquiana*, *Orelliana* 3. penitet *A ubique* — 2242 firmandae *Bentleii coniectura* — 2247 peiura *B* — 2248 consortem et socium *malebat Bentleius* — hospites *AB Bentleius*. hospitem *Orelliana* 3. 'hospites. *sic habent Bland. cum Maldeg. Sil. alii hospitem*' *Cruquius* — 2250 improbae *A Cruquiana*, *Orelliana* 3

XXV Liberum patrem inuocat, Augusti laudes dicturus *Cruquiana*. Hymnus ad Liberum patrem *BC*. Liberum patrem inuocat laudaturus Caesarem *D*. Metrum ut supra *A* — 2254 aut *ABCD*. 'aut quos. *sic habent omnia nostra scripta*, *non*, *et*

heredi properet. scilicet inprobae
crescunt diuitiae: tamen
curtae nescio quid semper abest rei.

CARMEN XXV.

Quo me, Bacche, rapis tui
plenum? quae nemora aut quos agor in specus
uelox mente noua? quibus
antris egregii Caesaris audiar

aeternum meditans decus
stellis inserere et consilio Iouis?
dicam insigne, recens, adhuc
indictum ore alio. non secus in iugis

Edonis stupet Euhias,
Hebrum prospiciens et niue candidam
Thracen ac pede barbaro
lustratam Rhodopen, ut mihi deuio

ripas et uacuum nemus

quos, ut libri uulgati' Cruquius — 2258 consilio *Orelliana* 3. concilio *A*, *tacite Bentleius.* ‘consilio Iouis. *sic omnes manuscripti nostri, per s, non per c consonam' Cruquius* — 2259—2261 *om. C* — 2261 Edonis *Bentleii coniectura palmaria.* exsomnis *A Cruquiana et Orelliana* 3, *ut omnes libri et omnes fere editiones.* ‘*Recepi Hauptio praeeunte Bentleii emendationem certissimam, quam qui reiciant ne legisse quidem uidentur Bentleii adnotationem' Meinekius p. XVIII; qui idem comparat Theocriti Idyll. VII* 111 εἴης δ' Ἠδωνῶν μὲν ἐν ὤρεσι χείματι μέσσῳ Ἔβρον πὰρ ποταμόν. — Euhias *A.* Euias *Cruquiana, Orelliana* 3 — 2264 ut mihi deuio *ABCD.* ‘ut mihi deuio. *cod. Diuae. Sil. et Mart. habent ac mihi deuio' Cruquius.* ac mihi deuio *Bentleius* — 2265 ripas *BCD Cruquiana.* riuos *Bentleii coniectura*

mirari libet. o Naiadum potens
baccharumque ualentium
proceras manibus uertere fraxinos,

nil paruum aut humili modo,
nil mortale loquar. dulce periculum est,
o Lenaee, sequi deum
cingentem uiridi tempora pampino.

CARMEN XXVI.

Vixi puellis nuper idoneus
et militaui non sine gloria:
nunc arma defunctumque bello
barbiton hic paries habebit,

laeuum marinae qui Veneris latus
custodit. hic, hic ponite lucida
funalia et uectis et arcus
oppositis foribus minacis.

o quae beatam diua tenes Cyprum et
Memphin carentem Sithonia niue,

2266 onaidum *AB* — 2269 humile *AB* — 2271 Te, Lenaee, sequi ducem *malebat Bentleius*

XXVI Ad Venerem, lyrae et amori ualedicens *Cruquiana.* Ad Venerem *CD.* Ad Venerem tetracolos *B.* De se loquitur *A* — 2273 '*Elegans ac nisi fallor uera est Caroli Frankii emendatio* uixi duellis nuper idoneus' *Meinekius p. XVIII* — 2278 heic heic *Cruquiana* — 2279 uecteis *Cruquiana.* uectes *A Orelliana* 3 — et arcus *ABCD Cruquiana.* securesque *Bentleii suspicio* — 2280 minaces *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2281 quae] quam *B* — tenes *ABCD.* 'tenes ... *tres scripti lib. Bland. unus*, *Maldeg. et Mart. habent regis*' *Cruquius* — 2282 Memphim *Cruquiana.* Memphym *B.* Memphin *A Orelliana* 3

XXVII Ad Galateam, dehortans nauigationem ab exemplo

regina, sublimi flagello
tange Chloen semel arrogantem.

CARMEN XXVII.

Inpios parrae recinentis omen
ducat et praegnans canis aut ab agro
raua decurrens lupa Lanuuino
fetaque uolpes.

rumpat et serpens iter institutum,
si per obliquum similis sagittae
terruit mannos. ego cui timebo
prouidus auspex,

antequam stantis repetat paludes
imbrium diuina auis inminentum,
oscinem coruum prece suscitabo
solis ab ortu.

sis licet felix ubicumque mauis,
et memor nostri, Galatea, uiuas;

Europae *Cruquiana*. Ad Galateam *CD*. Ad Galateam hypothetice *AB* — 2285 impios *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2286 praegnas *C* — 2288 fetaque *A Orelliana* 3. ‘fetaque. *unus Bland. habet, praestaque. alius Bland. fertaque*’ *Cruquius* — uolpes *A*. uulpes *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2289 rumpat *ABCD Cruquiana*. rumpit *cum Graeuiano suo Bentleius* — 2291 cur timebo *B*. quid timebo *D Cruquiana*. cui timebo *AC. cum interrogatione Lambinus*. ‘ego quid timebo. *uariant hic cod. Bland. antiquiss. habet cui, cum litura, et supra notatum, alias, quid. alius habet cur. tertius cum reliquis omnibus habet, quid*’ *Cruquius* — 2292 auspex? *Cruquiana* — 2293 stantis *C*. stanteis *Cruquiana*. stantes *Orelliana* 3 — 2294 imminentum *Cruquiana*, *Orelliana* 3. imminentium *A*

teque nec laeuus uetet ire picus
nec uaga cornix.

sed uides quanto trepidet tumultu
pronus Orion. ego quid sit ater
Hadriae noui sinus et quid albus
peccet Iapyx.

hostium uxores puerique caecos
sentiant motus orientis Austri et
aequoris nigri fremitum et trementis
uerbere ripas.

sic et Europe niueum doloso
credidit tauro latus et scatentem
beluis pontum mediasque fraudes
palluit audax.

nuper in pratis studiosa florum et
debitae Nymphis opifex coronae
nocte sublustri nihil astra praeter
uidit et undas.

quae simul centum tetigit potentem
oppidis Creten, 'pater o relictum

2299 te neque *A* — laeuos *antiqua scriptura C* — uetet *B C D*. 'uetet. *sic habent omnia scripta, non uetat' Cruquius.* uetat *Bentleius* — 2301 trepidet *A B D Cruquiana.* trepidat *C* — 2302 Orion? *Cruquiana* — 2305—8 *'hos uersus fortasse recte damnauit Peerlkampius, quamquam quod* ripa *pro* litore *Augustae aetatis esse negat ipse refellit Horatius Carm. II* 18, 22' *Meinekius p. XVIII sq.* — 2306 sentient *C* — astri *B.* austri *A C D.* 'orientis Austri. *sic habent omnes et scripti et uulgati libri' Cruquius.* Haedi *auctore Mureto Lambinus* — et *B C D Cruquiana. om. Orellii Sangallensis* — 2307 trementis *B C.* trementes *A.* trementeis *Cruquiana.* gementes *malebat Bentleius* — 2310 et]

filiae nomen pietasque' dixit
'uicta furore!

unde quo ueni? leuis una mors est
uirginum culpae. uigilansne ploro
turpe conmissum, an uitiis carentem
ludit imago

uana, quae porta fugiens eburna
somnium ducit? meliusne fluctus
ire per longos fuit, an recentis
carpere flores?

siquis infamem mihi nunc iuuencum
dedat iratae, lacerare ferro et
frangere enitar modo multum amati
cornua monstri.

inpudens liqui patrios penatis,
inpudens Orcum moror. o deorum
siquis haec audis, utinam inter errem
nuda leones.

antequam turpis macies decentis
occupet malas, teneraeque sucus

at *Bentleii coniectura* — 2311 belluis *Cruquiana*. beluis *A Orelliana* 3 — 2318 crethen *A* — 2323 commissum *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — uitio *Bentleii coniectura* — 2327 recentis *B*. (recentes *A Orelliana* 3.) recenteis *Cruquiuna* — 2330 et *om. A* — 2332 tauri *BD*. monstri *AC*. 'tauri. *Blandinii omnes habent monstri, cum adnotatione, alias tauri. sed Mart. Maldeg. et Sil. monstri sine adnotatione. Diuae. habet tauri, cum uulgatis' Cruquius* — 2333 impudens *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — penateis *Cruquiana*. penates *A Orelliana* 3 — 2334 impudens *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2337 decentis *C*. decentes *A*. decenteis *Cruquiana* — 2338 sucus *ABCD*. succus *Cruquiana*

defluat praedae, speciosa quaero
pascere tigris.

uilis Europe, pater urguet absens:
quid mori cessas? potes hac ab orno
pendulum zona bene te secuta
laedere collum.

siue te rupes et acuta leto
saxa delectant, age te procellae
crede ueloci, nisi erile mauis
carpere pensum

regius sanguis, dominaeque tradi
barbarae pelex.' aderat querenti
perfidum ridens Venus et remisso
filius arcu.

mox ubi lusit satis, 'abstineto'
dixit 'irarum calidaeque rixae,
cum tibi inuisus laceranda reddet
cornua taurus.

2339 defluit *AC*. defluet *B*. defluat *Cruquiana* — *Deficit post hunc uersum B usque ad uersum* 2586 (*Carm. IV* 4, 6) — 2340 tigreis *Cruquiana*. tigres *A Orelliana* 3 — 2341 'uilis Europae pater. *Erasmus primus, quod sciam, indicauit hic Europae casus esse datiui .... ego certe ita scriptum inuenio in omnibus cod. Bland. et Diuae. itaque iam olim uulgati libri, in quibus Europe, per e uocalem legitur, emendandi sunt ....' Cruquius.* (Europe *A Orelliana* 3) — urget *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 2343. 2344 secuta laedere *A Cruquiana, Orelliana* 3. secuta e || lidere *cum 'quibusdam' codd. Lambini et Mureto Bentleius. Cfr. C. Lachmanni comment. ad Lucret. p.* 324 — 2346 delectent *C*. delectant *AD Cruquiana* — 2347 erile *C*. herile *A Cruquiana* — 2350 paelex *C*. pelex *A* — 2351 remisso et uenusto *C* — 2353 lusit luxit *C* — 2353—56 *'Bentleius qui uitium in altera horum uerborum parte*

uxor inuicti Iouis esse nescis:
mitte singultus, bene ferre magnam
disce fortunam: tua sectus orbis
nomina ducet.'

CARMEN XXVIII.

Festo quid potius die
Neptuni faciam? prome reconditum
Lyde strenua Caecubum,
munitaeque adhibe uim sapientiae.

inclinare meridiem
sentis, ac ueluti stet uolucris dies
parcis deripere horreo
cessantem Bibuli consulis amphoram.

nos cantabimus inuicem
Neptunum et uiridis Nereidum comas:

latere putabat scribendum coniecerat iam tibi iniussus. *Rectius fortasse et loquentis personae etiam accommodatius pro* abstineto *scribetur* abstinebis' *Meinekius p. XVIIII* — 2355 iam tibi iniussus *malebat Bentleius* — reddit *C*

XXVIII Ad Lyden, de Neptunalibus sacris *Cruquiana*. Lydae *D*. Ad Lyden paraenetice de Neptunalibus *C*. Lydam amicam suam alloquitur *A* — 2362 facias *Bentleii coniectura* — 2366 et uelut *A*. et ueluti *C*. ac ueluti *Cruquiana*, *Orelliana* 3. 'et ueluti. *sic habent duo Bland. et Diuae. sine ulla litura et est ellepsis τοῦ tamen' Cruquius* — 2367 deripere *Orelliana* 3. 'deripere. *sic in omnibus manuscriptis praeter Mart. ubi diripere ponitur' Cruquius*. deripe *A* — 2369 in uices *C*. inuicem *A*. 'inuicem. *Mart. habet in uiceis, separatim. Maldeg. inuiceis coniunctim, sed inepte' Cruquius* — 2370 uiridis *C*. uirides *A Cruquiana*

tu curua recines lyra
Latonam et celeris spicula Cynthiae:

summo carmine, quae Cnidon
fulgentisque tenet Cycladas et Paphum
iunctis uisit oloribus:
dicetur merita Nox quoque nenia.

CARMEN XXVIIII.

Tyrrhena regum progenies, tibi
non ante uerso lene merum cado
cum flore, Maecenas, rosarum et
pressa tuis balanus capillis

iandudum apud me est. eripe te morae,
ne semper udum Tibur et Aesulae
decliue contempleris aruum et
Telegoni iuga parricidae.

fastidiosam desere copiam et
molem propinquam nubibus arduis:
omitte mirari beatae
fumum et opes strepitumque Romae.

2371 tum *Lachmannus quem secuta est edit. Weidm. et Meinekius* — 2373 Cnidon *C Cruquiana.* Gnidon *A D* — 2374 fulgenteisque *Cruquiana.* fulgentesque *Orelliana* 3. fugentisque *A* — Paphum *C D.* Paphon *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 2375 oloribus dicetur; merita *sic interpunxit Bentleius et editio Weidmanniana*

XXVIIII Ad Maecenatem, inuitans eum ad coenam hilarem *Cruquiana.* Ad Maecenatem *C.* Maecenati *D.* Mecenatem inuitat ad prandium *A* — 2377 Thyrrena *A* — 2378 uersum *C.* uerso *A D Cruquiana* — 2381 iamdudum *Cruquiana, Orelliana* 3

PLERVMQVE gratae diuitibus uices
mundaeque paruo sub lare pauperum
cenae sine aulaeis et ostro
sollicitam explicuere frontem.

iam clarus occultum Andromedae pater
ostendit ignem, iam Procyon furit
et stella uesani Leonis
sole dies referente siccos;

iam pastor umbras cum grege languido
riuumque fessus quaerit et horridi
dumeta Siluani, caretque
ripa uagis taciturna uentis.

tu ciuitatem quis deceat status
curas et urbi sollicitus times
quid Seres et regnata Cyro
Bactra parent Tanaisque discors.

PRVDENS futuri temporis exitum
caliginosa nocte premit deus,
ridetque si mortalis ultra
fas trepidat. QVOD adest memento

conponere aequus: cetera fluminis
ritu feruntur, nunc medio alueo

— aput *A* — 2382 nec *AC*. ne *D Cruquiana*. hic *Lachmannus*, *editio Weidmanniana*. *'perelegans est Lachmanni emendatio ab Hauptio recepta* eripe te morae. hic semper udum. *Fortasse tamen retineri potest librorum scriptura in hunc sensum accepta: eripe te rebus, quae te morantur et impediunt ne semper udum Tibur contempleris' Meinekius p. XVIIII* — 2391 cenae *A*. coenae *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2393 Andromedae *A Orelliana* 3. Andromedes *Cruquiana*. *'omnes cod. scripti habent Andromedae' Cruquius* — 2404 dissors *malebat Bentleius* — 2409 componere *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2410 alueo *ACD Cru-*

cum pace delabentis Etruscum
in mare, nunc lapides adesos

stirpisque raptas et pecus et domos
uoluentis una, non sine montium
clamore uicinaeque siluae,
cum fera diluuies quietos

inritat amnis. ille potens sui
laetusque deget, cui licet in diem
dixisse 'uixi:' cras uel atra
nube polum pater occupato

uel sole puro; non tamen inritum,
quodcumque retro est, efficiet neque
diffinget infectumque reddet,
quod fugiens semel hora uexit.

FORTVNA, saeuo laeta negotio et
ludum insolentem ludere pertinax,
transmutat incertos honores,
nunc mihi, nunc alii benigna.

laudo manentem: si celeris quatit
pinnas, resigno quae dedit et mea
uirtute me inuoluo probamque
pauperiem sine dote quaero.

alueo
quiana, *Bentleius*. aequore *e codice Bernensi c*, *qui habet* aequore *aliisque Orelliana* 3. '*in ceteris* (*praeter Graeuianum et Galeanum*) *habetur* alueo, *fere cum* aequore *superscripto*' *Bentleius* — 2411 delabentis *A Orelliana* 3. 'delabentis. *sic est in omnibus antiquis lib. quos uidi*' *Cruquius. cui alteri scripturae hanc opponere uoluerit Cruquius nescio, fortasse alibi uiderat* dilabentis — 2413 stirpeisque *Cruquiana*. stirpesque *A Orelliana* 3 — 2417 irritat *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — amneis *Cruquiana*. amnes *A Orelliana* 3 — 2421 irritum *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2423 '*malim* infectumue' *Meinekius in mg. p.* 74 — 2425 et *om. A* — 2429

non est meum, si mugiat Africis
malus procellis, ad miseras preces
decurrere et uotis pacisci,
ne Cypriae Tyriaeque merces

addant auaro diuitias mari.
tunc me biremis praesidio scaphae
tutum per Aegaeos tumultus
aura feret geminusque Pollux.

CARMEN XXX.

Exegi monumentum aere perennius
regalique situ pyramidum altius,
quod non imber edax, non aquilo inpotens
possit diruere aut innumerabilis

annorum series et fuga temporum.
non omnis moriar, multaque pars mei
uitabit Libitinam: usque ego postera
crescam laude recens, dum Capitolium

scandet cum tacita uirgine pontifex.
dicar, qua uiolens obstrepit Aufidus

celeres *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 2430 pinnas *C, ut solet.* pennas *A Cruquiana* — 2436 Tyriaeque *ACD Cruquiana.* Syriaeque *Orellii codex Bernensis c* — 2438 tunc *ACD Cruquiana.* tum *'e melioribus codicibus' Bentleius* — me *om. A* — 2440 feret *ACD Cruquiana.* ferat *e duobus codicibus Bentleius*

XXX Ad Melpomenen musam, se scriptis semper uicturum *Cruquiana.* Ad Melpomenen *C.* Dicit se apotelesmatice scriptis suis semper uicturum *Orellii c ac similiter D.* Ad se ipsum loquitur de suo *A* — 2443 impotens *Cruquiana, Orelliana* 3

et qua pauper aquae Daunus agrestium
regnauit populorum, ex humili potens,

princeps Aeolium carmen ad Italos
deduxisse modos. sume superbiam
quaesitam meritis et mihi Delphica 2455
lauro cinge uolens, Melpomene, comam.

2452 regnator *AD Cruquiana.* regnauit *C.* ʿregnauit populorum. *sic tres Bland. antiquissimus sine ulla litura cum Sil. sed duo alii Bland. per lituram. Recte igitur monet Seruius aliique Grammatici hoc modo legendum ad hellenismum* ἐβασίλευσε, ἢ ἐκυρίευσε τῶν λαῶν' *Cruquius*

[Explicit liber III quartus incipit *A*, *addidit altera manus* carminum]

Q. HORATII FLACCI
CARMINVM
LIBER QVARTVS.

CARMEN I.

Intermissa, Venus, diu
rursus bella moues? parce precor, precor.
non sum qualis eram bonae
sub regno Cinarae. desine, dulcium
matĕr saeua Cupidinum,
circa lustra decem flectere mollibus
iam durum imperiis; abi
quo blandae iuuenum te reuocant preces.

tempestiuius in domum
Paulli Porphyreis ales oloribus

I Ad Paullum Fabium Maximum, allegoricos affirmat a se ex intermisso scribi carmina *Cruquiana*. Allegoricos a se affirmat ex intermisso scribi carmina ad uenerem *C*. Ad Fabium Maximum *D. om. A* — 2460 Cynarae *A Cruquiana*. Cinarae *Orelliana* 3 — 2465 domo *A C D Cruquiana*. domum *Bentleius cum sat multis codicibus* — 2466 purpureis *A Orelliana* 3. *'Primum hanc lectionem seruandam omnino non dubitaui ..... praesertim omnibus antiquis codicibus manuscriptis in hoc consentientibus ..... (postea) hoc assecutus sum, Plinium in naturali historia (IV 12) scribere, Cythera, olim Porphyrim nominatam: protinus in*

comissabere Maximi,
si torrere iecur quaeris idoneum:

namque et nobilis et decens
et pro sollicitis non tacitus reis
et centum puer artium
late signa feret militiae tuae,

et quandoque potentior
largis muneribus riserit aemuli,
Albanos prope te lacus
ponet marmoream sub trabe citrea.

illic plurima naribus
duces tura, lyraque et Berecyntia
delectabere tibia
mixtis carminibus non sine fistula;

illic bis pueri die
numen cum teneris uirginibus tuum
laudantes pede candido
in morem Salium ter quatient humum.

me nec femina nec puer

Mela eandem sententiam cum inuenirem, reuersus ad Bland. codices, quod antea non obseruaram, uidi in τὸ purpur, apertas maculas τοῦ porphy. quare sine ullo scrupulo τὸ porphyreis ..... sua sede statuendum putaui, allusione ad insulam Porphyrim Veneri sacram, ut sint porphyrei olores, id est, Veneri sacri' Cruquius — 2467 comissabere *Orelliana* 3. 'comissabere. *ita habent tres codices manuscripti Blandinii, non comessabere, ut habent uulgares editiones, contra antiquam et Festi et Varronis lectionem' Cruquius* — 2472 '*scribendum uidetur* militiae signa feret tuae' *Meinekius p.* 76, *qui idem praef. p. XX dicit* '*posse uero etiam scribi* late signa tuae militiae feret.' *Cfr. l. l. p. XVIIII sq.* — 2474 largi *C Bentleius.* largis *AD Cruquiana* — 2476 cytrea *A.* citrea *C Bentleius, Meinekius l. l. p. XX.* cypria *D.* 'Citrea. *ita*

iam, nec spes animi credula mutui,
nec certare iuuat mero,
nec uincire nouis tempora floribus.

sed cur, heu, Ligurine, cur
manat rara meas lacrima per genas?
cur facunda parum decoro
inter uerba cadit lingua silentio?

nocturnis ego somniis
iam captum teneo, iam uolucrem sequor
te per gramina Martii
campi, te per aquas, dure, uolubilis.

CARMEN II.

Pindarum quisquis studet aemulari,
Iule, ceratis ope Daedalea
nititur pinnis, uitreo daturus
nomina ponto.

habent duo codices Blandinii antiquissimi ex quibus hanc dictionem re posui ' *et paullo post* ' ..... *donec deprehenderem in duobus codicibus Citrea et in tertio non sine lituris Cyprea* ' *Cruquius* — 2478 thura *Orelliana* 3. tura *A Cruquiana* — lyraeque et Berecynthiae .. tibiae *Orelliana* 3. ' lyraque et Berecynthia. *sic habet codex Blandinius antiquissimus* ' *Cruquius. idem Bentleius et A* — 2480 mistis *Cruquiana.* mixtis *A Orelliana* 3 — 2484 quatient *Cruquiana.* quatiunt *ACD* — 2490 lacryma *Cruquiana.* lacrima *A Orelliana* 3 — 2496 uolubilis *AC.* uolubileis *Cruquiana.* uolubiles *Orelliana* 3

II Ad Iulum Antonium, M. Antonii Triumuiri filium. Antiquorum poetarum ueneratio *Cruquiana.* Ad Iulum Antonium uetustiorum poetarum ueneratio *CD.* Iulium alloquitur *A* — 2499 pinnis *C.* ' *tres codices manuscripti Bland. hic habent, et ubi-*

monte decurrens uelut amnis, imbres
quem super notas aluere ripas,
feruet inmensusque ruit profundo
Pindarus ore,

laurea donandus Apollinari,
seu per audacis noua dithyrambos
uerba deuoluit numerisque fertur
lege solutis,

seu deos regesue canit, deorum
sanguinem, per quos cecidere iusta
morte Centauri, cecidit tremendae
flamma Chimaerae,

siue quos Elea domum reduxit
palma caelestis pugilemue equumue
dicit et centum potiore signis
munere donat,

flebili sponsae iuuenemue raptum
plorat, et uires animumque moresque
aureos educit in astra nigroque
inuidet Orco.

que in aliis Odis, pinnis, pro pennis' Cruquius. pennis *A* — 2502 quem super notas. *in euulgatis ante annos decem adnotationibus censui legendum ex Blandinio cod. uetustiss.* cum super notas saliere ripas; ..... *uerum quia uideo hoc doctis ... non placere Commentatoremque sequi aliam lectionem non grauatim mutaui sententiam' Cruquius. Eandem scripturam corruptam* cum super notas saliere ripas, *Bentleii Leidensis et Graeuianus habent, item Orellii Sangallensis sed supra scripta uera:* quem .. aluere — 2503 *'unus codex hic habet feruit, antiquo more' Cruquius* — immensusque *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 2506 audaceis *Cruquiana.* audaces *A Orelliana* 3 — 2509 regesque *A C D Cruquiana.* regesue *quattuor Bentleii codices aliique* — 2514 caelestis *A C D.* caelesteis *Cruquiana* — 2517 iuuenemque *A* — 2518 uireis *Cruquiana.* uires *A Orelliana* 3 — 2519 educit *C D.* 'educit. *extollit. sic*

multa Dircaeum leuat aura cycnum,
tendit, Antoni, quotiens in altos
nubium tractus: ego apis Matinae
more modoque,

grata carpentis thyma per laborem
plurimum circa nemus uuidique
Tiburis ripas operosa paruus
carmina fingo.

concinet maiore poeta plectro
Caesarem, quandoque trahet ferocis
per sacrum cliuum merita decorus
fronde Sygambros:

quo nihil maius meliusue terris
fata donauere bonique diui
nec dabunt, quamuis redeant in aurum
tempora priscum:

concinet laetosque dies et urbis
publicum ludum super inpetrato
fortis Augusti reditu forumque
litibus orbum.

scriptum inueni in uno codice antiquissimo, contra uulgatam editionem, deducit' Cruquius. reducit *A Bentleii Leidensis et Reginensis pr. m.* — 2521 cygnum *C.* cignum *AD.* cygnum *Cruquiana* — 2522 quoties *Cruquiana.* quotiens *A Orelliana* 3 — 2525 plurimum *iungit cum uerbo* nemus *Bentleius, simul dubitanter proponens* floreum circa nemus — 2527 riuos *Bentleii coniectura* — 2529 concines *A Cruquiana, Orelliana* 3. concinet *C. Lachmannus Rhen. Mus. III* 616 — 2530 feroceis *Cruquiana.* feroces *Orelliana* 3 — 2531 cliuom *Bentleius* — 2532 fronte *A* — Sygambros *CD.* sicambros *A.* *'hanc lectionem antiquam mutare nolui, quod sibi consonarent codices Blandinii tres, tum quod ex ea ut genuina nihil uidi suboriri posse uel difficultatis uel obscuritatis propter litterarum C et G inter se consensum' Cruquius.* Sycambros *Orellii Sangallensis* — 2537 *ut* 2529 — 2538 impetrato *A Cruquiana,*

tum meae, si quid loquar audiendum,
uocis accedet bona pars, et 'o sol
pulcher, o laudande' canam recepto
Caesare felix.

* *teque dum procedit, io Triumphe,* 2545
non semel dicemus, io Triumphe,
ciuitas omnis, dabimusque diuis
tura benignis.

te decem tauri totidemque uaccae,
me tener soluet uitulus, relicta 2550
matre qui largis iuuenescit herbis
in mea uota,

fronte curuatos imitatus ignis
tertium lunae referentis ortum,
qua notam duxit, niueus uideri, 2555
cetera fuluus.

CARMEN III.

Quem tu, Melpomene, semel
nascentem placido lumine uideris,

Orelliana 3 — 2541 loquar *AC Cruquiana.* loquor *D Bentleius* — 2545 teque *ACD.* tuque *Cruquiana.* isque *Bentleii coniectura.* tūque *Porphyrionis exemplar a.* 1498 — procedit *C*, *firmans D. Heinsii coniecturam a Rutgersio et Bentleio receptam.* procedis *AD Cruquiana.* 'teque dum procedis. *sic legitur in tribus codicibus Bland. Deinde hunc uersum*, Non semel dicemus io Triumphe, *habet unus codex huic propositum*, Teque dum procedis. *uerum quod locus non careret multis lituris et notulis, seruaui communem lectionem, quia dilucidior uideretur, et minus perturbata*' *Cruquius. Fortasse scribendum est:* terque, dum hic procedit, io Triumphe — 2548 thura *Orelliana* 3. tura *A Cruquiana* — 2551 iuueniscit *C* — 2553 igneis *Cruquiana.* ignes *A Orelliana* 3 —

illum non labor Isthmius
clarabit pugilem, non equus inpiger
curru ducet Achaico
uictorem, neque res bellica Deliis
ornatum foliis ducem,
quod regum tumidas contuderit minas;

ostendet Capitolio:
sed quae Tibur aquae fertile praefluunt
et spissae nemorum comae
fingent Aeolio carmine nobilem.

Romae, principis urbium,
dignatur suboles inter amabilis
uatum ponere me choros,
et iam dente minus mordeor inuido.

o testudinis aureae
dulcem quae strepitum, Pieri, temperas,
o mutis quoque piscibus
donatura cycni, si libeat, sonum,

totum muneris hoc tuist
quod monstror digito praetereuntium

2554 ortum *A C D Cruquiana.* orbem *decem Bentleiani aliique* — 2556 fuluos *antiqua scriptura C*

III Commemorando sua studia uirtutem Poetices prosequitur, ad Melpomenen Musam *Cruquiana.* Ad Musam *D.* Musam Melpomenen alloquitur *A* — 2560 impiger *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 2561 Achaico *A C D Cruquiana.* Achaio *Orellii Bernensis tertius (c)* — 2566 praefluunt *A D Cruquiana.* perfluunt *e codicibus Fea* — 2570 suboles *Orelliana* 3. *'sic inueni in tribus codicibus Blandiniis' Cruquius.* soboles *A* — amabileis *Cruquiana.* amabiles *A Orelliana* 3 — 2576 cigni *D.* cycni *Cruquiana.* cygni *A* — 2577 et 2580 tui est .... tuum est *A Cruquiana,*

Romanae fidicen lyrae:
quod spiro et placeo, si placeo, tuumst.

CARMEN IIII.

Qualem ministrum fulminis alitem,
cui rex deorum regnum in auis uagas
permisit expertus fidelem
Iuppiter in Ganymede flauo,

olim iuuentas et patrius uigor
nido laborum propulit inscium,
uernique iam nimbis remotis
insolitos docuere nisus

uenti pauentem, mox in ouilia
demisit hostem uiuidus impetus,
nunc in reluctantis dracones
egit amor dapis atque pugnae;

qualemue laetis caprea pascuis

Orelliana 3. tuist .... tuumst *C. Lachmannus in comment. ad Lucret. p.* 66, *editio Weidmanniana, Meinekius*

IIII Ad urbem Romam, de indole Drusi et institutione sub Augusto *Cruquiana.* Ad urbem Romanam de indole ducum *C.* In Drusi Neronis uirtutem *D.* Drusum alloquitur *A* — 2582 auis *C.* aues *A Cruquiana* — 2584 Iupiter *A* — 2586 protulit *BCD.* 'propulit. *sic scriptum inueni in duobus codicibus Bland. cui lectioni subscribit Lambinus ex ueteribus codicibus*' *Cruquius* — 2587 uernique *ACB Cruquiana.* uernisque *D*, *non inprobante Bentleio* — 2591 reluctanteis *Cruquiana.* reluctantes *A Orelliana* 3 — 2595 lactante] iam lacte *A Cruquiana*, *Orelliana* 3. iam mane *uel* sponte *malebat Bentleius.* iam macte! *C. Lachmannus.* iam †lacte *Meinekius* — 2597 Raeti *ABCD.* Rhaeti *Cruquiana.* Raetis *primum Bentleius coniecit*, *postea rep-*

intenta fuluae matris ab ubere
lactante depulsum leonem
dente nouo peritura uidit;

uidere Raetis bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici (quibus
mos unde deductus per omne
tempus Amazonia securi

dextras obarmet, quaerere distuli,
nec scire fas est omnia), sed diu
lateque uictrices cateruae
consiliis iuuenis reuictae

sensere, quid mens rite, quid indoles
nutrita faustis sub penetralibus
posset, quid Augusti paternus
in pueros animus Nerones.

fortes creantur fortibus et bonis;
est in iuuencis, est in equis patrum
uirtus, neque inbellem feroces
progenerant aquilae columbam:

perit idem coniecisse N. Heinsium et habuisse codicem Reginensem pr. m. — 2598 gerentem *A Cruquiana, Orelliana* 3. gerentem et *Bentleii Battelianus* — *Verba* quibus ..... omnia *in marginem relegauit Meinekius dicens praef. p. XX:* ‘*Deleui uersus ab Horatio certissime non scriptos; spurios esse primus uidit Guietus, quem deinceps plures secuti sunt, quorum Ianus us.* 22 et *ante* diu *recte inseruit.*’ *Cfr. Orellii adnotat. crit. et Excursum I* — 2602 nec scire *Orelliana* 3. ‘*in duobus codicibus Bland. legitur* nescire fas etc.’ *Cruquius* — 2603 cateruae retorum *A* — 2604 repressae *Bentleii coniectura. Cfr. quae rectissime de* reuictae *scriptura scripsit Meinekius l. l. p. XX* — 2606 faustis] sanctis *Bentleii coniectura* — 2608 neronis *AB* — 2609 fortibus. et bonis est in *sic distinguunt B et* ‘*maior pars membranarum*’ *Bentleii* — 2611 nec *Cruquiana.* neque *ABCD* — inbellem *B.* im-

doctrina sed uim promouet insitam,
rectique cultus pectora roborant;
utcumque defecere mores,
dedecorant bene nata culpae.

quid debeas, o Roma, Neronibus,
testis Metaurum flumen et Hasdrubal
deuictus et pulcher fugatis
ille dies Latio tenebris,

qui primus alma risit adorea,
dirus per urbis Afer ut Italas
ceu flamma per taedas uel Eurus
per Siculas equitauit undas.

post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes creuit, et inpio
uastata Poenorum tumultu
fana deos habuere rectos,

dixitque tandem perfidus Hannibal

bellem *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2616 dedecorant *ABCD Bentleius*, *Cruquiana*. indecorant *quattuor codices Bentleiani*, *Fea* — 2618 Asdrubal *Cruquiana et Orellii codex Bernensis c.* Hasdrubal *A Orelliana* 3 — 2622 dirus *ABCD Cruquiana*. durus *nonnulli Torrentii* — urbeis *Cruquiana*. urbes *A Orelliana* 3 — Afer ut Italas *A Cruquiana*. *'lectio satis placet si, ut, interpretemur, postquam: et equitauit, pro equitauerat. uerum quia in uno codice inueni hanc lectionem, quam uidetur Glareanus reiicere*, dirus per urbeis Afer it Italas *etc. deinde supra uerbum, it, notatum, statim fugit; postremo hanc adnotationem*, post cladem fratris fugam describit Annibalis, *libuit hic sciscitari lectoris opinionem' Cruquius* — 2623 tedas *Cruquiana* — 2625 post] per *D* — 2626 impio *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2628 'fana deos habuere rectos. *hic in antiquissimo codice Bland. ex usu frequenti litteris propemodum deletis coniectura uix assecutus sum haec uerba*, ex inuersis, quorum templa uiolata sunt in Italia a Poenis; exinde recti esse coepere dii Romani: *ubi non dubito rectos per aphaeresin poni*

'cerui, luporum praeda rapacium,
sectamur ultro, quos opimus
fallere et effugere est triumphus.

gens, quae cremato fortis ab Ilio
iactata Tuscis aequoribus sacra
natosque maturosque patres
pertulit Ausonias ad urbis,

duris ut ilex tonsa bipennibus
nigrae feraci frondis in Algido,
per damna, per caedes, ab ipso
ducit opes animumque ferro.

non hydra secto corpore firmior
uinci dolentem creuit in Herculem,
monstrumue submisere Colchi
maius Echioniaeue Thebae.

merses profundo, pulchrior euenit;

pro, erectos' Cruquius — 2629 que *om. AB* — Annibal *Cruquiana* — 2633 cremato *A Cruquiana, Orelliana* 3. cremata *editio Weidmanniana a.* 1851. 'cremato f. a. I. *Ilion praeterea tribus locis legitur Carm. I* 10, 14. *III* 19, 4. *Epod. X* 13, *quibus omnibus iam Cuninghamus femininum restituit, quo usus est poeta Carm. IIII* 9, 18 *et ex certa Bentleii emendatione III* 3, 23. *Dixit ea de re Lachmannus in Museo Rhen. nou. uol. III p.* 617. *In re incerta uellem etiam Carm. I* 10, 14 *libros secutus essem' Meinekius p. XX sq.* — 2634 Tuscis] tuis *B* — 2636 pertulit ad daunias urbes *miro errore B* — urbeis *Cruquiana.* urbes *A Orelliana* 3 — 2638 alcido *B* — 2640 animumque *ABCD Cruquiana.* animosque *Bentleii Magdalenensis et Ballelianus* — 2641—2644 *hos uersus in marginem reiecit Meinekius. Cfr. l. l. p. XXI et Orellii Excursum III* — 2643 summisere *Cruquiana.* submisere *A Orelliana* 3 — 2645 merses *CD.* mersae *B.* mersus *A Bentleiani praeter Graeuianum et Regiae societatis.* 'merses. *duo codices Bland. habent, mersus; secutus tamen sum lectionem uulgarem' Cruquius* — eue-

luctere, multa proruit integrum
cum laude uictorem geritque
proelia .coniugibus loquenda.

Carthagini iam non ego nuntios
mittam superbos: occidit, occidit
spes omnis et fortuna nostri
nominis Hasdrubale interempto.

nil Claudiae non perficiunt manus,
quas et benigno numine Iuppiter
defendit et curae sagaces
expediunt per acuta belli.'

CARMEN V.

Diuis orte bonis, optime Romulae
custos gentis, abes iam nimium diu:
maturum reditum pollicitus patrum
sancto concilio, redi.

nit *ABCD Cruquiana*, *Bentleii codices.* exiet *Orelliana* 3. *Cfr. quae de* euenit *uoce recte monuit Meinekius l. l. p. XXI* — 2646 luctere] ductore *B* — proruit *B Bentleius.* proruet *Cruquiana*, *Orelliana* 3. prouehit *A* — 2647 geretque *ABCD Cruquiana.* geritque *cum duobus codicibus Bentleius* — 2649 Cartagine *B.* Karthagini *D.* Carthagini *A Cruquiana* — iam *om. A* — 2652 Asdrubale interemto *Cruquiana.* Hasdrubale interempto *A Orelliana* 3 — 2653 nihil *B* — perficiunt *B Bentleius.* perficient *ACD.* 'perficiunt. *sic habet codex antiquiss. Bland. quem ceteris probatiorem iudico' Cruquius* — 2354 Iupiter *A Cruquiana* — 2655 descendit *B* — 2656 '*idem codex* (*sc. Bland. antiquiss.*) *hic habet, peracuta, unica dictione composita' Cruquius*

'*Vltimam stropham fortasse recte Peerlkampius Horatio abiudicauit' Meinekius l. l. p. XXI*

lucem redde tuae, dux bone, patriae:
instar ueris enim uoltus ubi tuus
adfulsit populo, gratior it dies
et soles melius nitent.

ut mater iuuenem, quem Notus inuido
flatu Carpathii trans maris aequora
cunctantem spatio longius annuo
dulci distinet a domo,

uotis ominibusque et precibus uocat,
curuo nec faciem litore dimouet;
sic desideriis icta fidelibus
quaerit patria Caesarem.

tutus bos etenim rura perambulat,
nutrit rura Ceres almaque Faustitas,
pacatum uolitant per mare nauitae,
culpari metuit fides,

nullis polluitur casta domus stupris,
mos et lex maculosum edomuit nefas,
laudantur simili prole puerperae,
culpam poena premit comes.

V Ad Augustum de expeditione eius tarda orat. Paeanis species. *Cruquiana.* Ad Augustum de Expeditione eius tarda *C.* Ad Caesarem Augustum absentem *D. Om. B.* Cesarem alloquitur *A* — 2660 concilio *ABCD Cruquiana.* consilio *Fea e codicibus* — 2662 uultus *Cruquiana.* uoltus *A Orelliana* 3 — 2663 affulsit *AC Cruquiana.* effulsit *D.* affluxit *B* — it] et *B.* it et *A.* 'gratior it dies. *unus codex Bland. habet*, gratior et dies ..... *Idem codex hic habet, effulsit, alii duo, adfulsit' Cruquius* — 2666 carpathi *B* — 2668 destinet *AC.* distinet *Orelliana* 3. 'distinet a domo. *ita scribitur in tribus codicibus Bland., rectius meo iudicio quam* detinet' *Cruquius* — 2670 littore *Cruquiana* — demouet *B.* dimouet *ACD.* 'littore demouet. *tres codices habent* dimouet. *atqui malui legere cum Lambino*, demouet *etc.*' *Cruquius* — 2673 etenim bos *B* — 2674 nutritura *B.* nutrit farra *Bentleius*

quis Parthum paueat, quis gelidum Scythen,
quis Germania quos horrida parturit
fetus, incolumi Caesare? quis ferae
bellum curet Hiberiae?

condit quisque diem collibus in suis, 2685
et uitem uiduas ducit ad arbores;
hinc ad uina redit laetus et alteris
te mensis adhibet deum.

te multa prece, te prosequitur mero
defuso pateris, et laribus tuum 2690
miscet numen, uti Graecia Castoris
et magni memor Herculis.

'longas o utinam, dux bone, ferias
praestes Hesperiae' dicimus integro
sicci mane die, dicimus uuidi, 2695
cum sol Oceano subest.

CARMEN VI.

Diue, quem proles Niobea magnae
uindicem linguae Tityosque raptor

coniecit. nutrit rura *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 2681 parthu *AB* — 2683 incolomi *AB* — 2684 hiberniae *B.* Iberiae *Cruquiana.* hyberie *A* — 2687 redit *ACD Cruquiana.* uenit *B et cum tribus codicibus Bentleius* — 2690 defuso *BD.* diffuso *AC.* 'defuso pateris. *sic codex antiquissimus habet. alii duo sequuntur uulgatam' Cruquius* — 2693 dux *ACD Cruquiana.* rex *B non improbante Bentleio*

VI Ad Apollinem et Dianam *Cruquiana.* Ad Apollinem *D.* Apollinem alloquitur *A.* Apollinis laudem refert, quoniam seruauit Aenean auctorem originis Romanae *C. Om. B* — 2698 tytios *A* — 2701 impar *Cruquiana, Orelliana* 3 — 2702 Theti-

sensit et Troiae prope uictor altae
Phthius Achilles,
ceteris maior, tibi miles inpar,
filius quamuis Thetidis marinae
Dardanas turris quateret tremenda
cuspide pugnax.

ille, mordaci uelut icta ferro
pinus aut inpulsa cupressus Euro,
procidit late posuitque collum in
puluere Teucro.

ille non inclusus equo Mineruae
sacra mentito male feriatus
Troas et laetam Priami choreis
falleret aulam,

sed palam *captis grauis, heu nefas heu,
nescios fari pueros Achiuis
ureret flammis, etiam latentem
matris in aluo,

ni tuis flexus Venerisque gratae
uocibus diuom pater adnuisset
rebus Aeneae potiore ductos
alite muros.

dos *Cruquiana*. Thetidis *ABCD* — quamuis *ABCD Cruquiana*. quamquam *Fea* — 2703 turreis *Cruquiana*. turres *A Orelliana* 3 — 2706 impulsa *ABD Cruquiana*. impressa *C* — 2707 in *om. D*. 'in puluere. *hanc praepositionem* in *repperi in duobus codicibus Bland. quam arbitror non omittendam' Cruquius*. in *A Orelliana* 3 — 2713 captis *ACD Cruquiana*. *om. B*. *Cfr. quae Bentleius et Orellius ad hunc locum adnotauerunt* — 2715 latenteis *Cruquiana*. latentem *ABCD*, *Commentator Cruquianus*, *Bentleius* — 2717 'ni tuis uictus Venerisque. *codex antiquissimus Bland. habet*, flexus' *Cruquius*. flexus *Bentleius*. uictus *A Orelliana* 3 — 2718 diuom *Orelliana* 3. diuum *A Cruquiana* — annuisset *A*

doctor argutae fidicen Thaliae,
Phoebe, qui Xantho lauis amne crinis,
Dauniae defende decus Camenae,
leuis Agylleu.

spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem
carminis nomenque dedit poetae.
uirginum primae puerique claris
patribus orti,

Deliae tutela deae, fugacis
lyncas et ceruos cohibentis arcu,
Lesbium seruate pedem meique
pollicis ictum,

rite Latonae puerum canentes,
rite crescentem face Noctilucam,
prosperam frugum celeremque pronos
uoluere mensis.

nupta iam dices: 'ego dis amicum,
saeculo festas referente luces,

Cruquiana, *Orelliana* 3 — 2722 crineis *Cruquiana*. crines *Orelliana* 3 — 2723 Camoenae *Cruquiana*. Camenae *Orelliana* 3 — 2724 leuis *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — Agyieu *Orelliana* 3. Agyleu *D*. Agileu *AB*. Agylleu *Cruquiana*. *'Codex Bland. antiq. habet*, laetus Agylleu. *olim cum uiris doctissimis pro Agylleus, scripsi Agyieus, contra consensum omnium scriptorum codicum ..... Atqui non adeo nuper incidens in haec uerba Strabonis lib.* 5. *In Pythii Apollinis templo, Agylleorum nominato, positus est thesaurus: nam quae nunc Caere dicitur, quondam nominabatur Agylla, etc. retro uela dare cogor, et cursus iterare relictos et τὸ Agylleus suo loco reponere ..... Commentator autem tam in contextu quam enarratione potius Acronem et Porphyr. uulgatos quam antiqua scripta sequitur, qua in contextu omnia consonant sed in adnotationibus*

reddidi carmen docilis modorum
uatis Horati.'

CARMEN VII.

Diffugere niues, redeunt iam gramina campis
arboribusque comae;
mutat terra uices, et decrescentia ripas
flumina praetereunt;

Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet
ducere nuda choros.
inmortalia ne speres, monet annus et almum
quae rapit hora diem.

frigora mitescunt zephyris; uer proterit aestas
interitura, simul
pomifer autumnus fruges effuderit, et mox
bruma recurrit iners.

damna tamen celeres reparant caelestia lunae;
nos ubi decidimus

Blandinii habent, Agylleus., id est, uillanus, quia in uillis et uicis Apollo responsa dabat' Cruquius. Agylleu *etiam Stallbaumius praef. p. LXXVIII* — 2729 fugacis *C.* fugaceis *Cruquiana.* fugaces *A* — 2733 pueri *B.* pueris *A* — 2734 nocte lucem *B* — 2736 menseis *Cruquiana.* menses *A Orelliana* 3 — 2738 seculo *Cruquiana*

VII Ad L. Manlium Torquatum, de mortalitate: refert enim omnia mutari tempore *Cruquiana.* Ad Manlium Torquatum *CD. Om. B.* Torquatum alloquitur *A* — 2747 immortalia *A Cruquiana, Orelliana* 3 — et] ad *AB* — album *D corr.* — 2748 quae] quem *B* — 2750 imperitura *AB* — 2751 autumnus *A Cruquiana.* auctumnus *Orelliana* 3 — 2752 recurrit *ABCD Cruquiana.* recurret *Lambinus*

quo pater Aeneas, quo Tullus diues et Ancus, puluis et umbra sumus.

quis scit an adiciant hodiernae crastina summae tempora di superi?
cuncta manus auidas fugient heredis, amico quae dederis animo.

cum semel occideris et de te splendida Minos fecerit arbitria,
non, Torquate, genus, non te facundia, non te restituet pietas.

infernis neque enim tenebris Diana pudicum liberat Hippolytum,
nec Lethaea ualet Theseus abrumpere caro uincula Pirithoo.

CARMEN VIII.

Donarem pateras grataque commodus,

2755 pater *B.* pius *ACD.* ᶜquo pius Aeneas. *Codex Bland. antiquiss. habet*, quo pater Aeneas' *Cruquius* — diues Tullus *B.* Tullus diues *ACD Cruquiana.* Tullus, diues et Ancus *Bentleius.* pauper et Ancus *idem malebat* — 2757 adiciant *AC.* adiiciant *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — summae *A*, *sed post carmen saeculare*, *ubi idem hoc carmen ab alia manu iterum legitur*, *scripturam* uitae *inueni.* uitae *B.* ᶜsummae. *codex idem habet* uitae' *Cruquius*, *cfr. u.* 143, *qui fortasse huic in margine adscriptus olim fuit*, *ita ut inde glossa* uitae *in hunc locum abiret* — 2758 dij *Cruquiana et A ubique* — 2759 auidi *Bentleii dubia suspicio* — fugient. haerebis amico *B* — 2766 ypolitum *A* — 2768 perythoo *A*

VIII Ad C. Martium Censorinum. Comparatio poetices, diuitiarum simul et uirtutum *Cruquiana.* Ad Censorinum *ACD. Om: B* — 2769 commodis *B.* comodijs *A.* commodus *CD.* ᶜcommodus *et non* commodis, *ut uulgo legitur*, *docet Lambinus esse*

Censorine, meis aera sodalibus,
donarem tripodas, praemia fortium
Graiorum, neque tu pessima munerum

ferres, diuite me scilicet artium,
quas aut Parrhasius protulit aut Scopas,
hic saxo, liquidis ille coloribus
sollers nunc hominem ponere, nunc deum.

sed non haec mihi uis, nec tibi talium
res est aut animus deliciarum egens.
gaudes carminibus; carmina possumus
donare et pretium dicere muneri.

non incisa notis marmora publicis,
per quae spiritus et uita redit bonis
post mortem ducibus non celeres fugae
reiectaeque retrorsum Hannibalis minae,

[non incendia Carthaginis inpiae,]
eius qui domita nomen ab Africa

ueram multis exemplis. sic etiam habent tres Blandinii' Cruquius — 2776 'sollers. *peritus, in omni re prudens, ait Festus: seu integer, totus in arte, a Sollo uerbo Osco. sic habent tres codices Bland.' Cruquius* — 2777 nec tibi *B.* non tibi *ACD.* 'non tibi talium. *codex antiq. .. habet*, nec tibi talium, *quem secutus sum' Cruquius* — 2778 delitiarum *Cruquiana.* deliciarum *A Orelliana* 3 — 2780 muneri *ABCD Bentleius.* muneris *Orellii Sangallensis aliique codices, Fea, Meinekius.* 'et pretium dicere muneri. *ab hac lectione ut discedam, nihil esse uideo quod uehementer urget, consentientibus potissimum tribus cod. Bland.' Cruquius* — 2783 celeris fuga *C. Verba* non celeres ..... lucratus rediit *spuria uidentur Haackio, Martino, Lachmanno; uncis inclusit editio Weidmanniana; cfr. Schneidewini Philol. I* 164 *sqq. uersus* 17 *et* 28 *etiam Stallbaumius uncis inclusit. cfr. praef. p. LXXVIII* — 2784 Annibalis *Cruquiana.* annabilis *B* — 2785 *Hunc uersum delendum censuerunt Bentleius, Buttmannus Mythol.* 2. *p.* 367; *seclusit Mei-*

lucratus rediit clarius indicant
laudes quam Calabrae Pierides. neque
si chartae sileant quod bene feceris,

mercedem tuleris. quid foret Iliae
Mauortisque puer, si taciturnitas
obstaret meritis inuida Romuli?
ereptum Stygiis fluctibus Aeacum

uirtus et fauor et lingua potentium
uatum diuitibus consecrat insulis.
[dignum laude uirum Musa uetat mori.]
caelo Musa beat. sic Iouis interest
optatis epulis inpiger Hercules,

clarum Tyndaridae sidus ab infimis
quassas eripiunt aequoribus ratis,
ornatus uiridi tempora pampino
Liber uota bonos ducit ad exitus.

CARMEN VIIII.

Ne forte credas interitura quae
longe sonantem natus ad Aufidum

nekius, qui tamen in editione altera 'omnibus accurate pensitatis' Lachmannum sequendum duxit et uerba non celeres fugae ..... lucratus rediit *itemque uersum* 2801 *in marginem relegauit* — cartaginis *B* — 2789 sic arte *B* — 2793 Aeacum] aequum *B* — 2794 pauor *B* — 2796 *Hunc uersum delendum censet Lachmannus; uid. u.* 2783 — 2797 beatus *B* — 2798 impiger *ut u.* 2785 impiae *Cruquiana, Orelliana* 3 — 2800 rateis *Cruquiana.* rates *Orelliana* 3 — 2801 *Vide adnotationem ad uersum* 2783. *Ceterum confer Excursum Orellianum ad uersum* 2785 — 2802 duxit *C*

VIII Ad M. Lollium cons. Consecrari dicit carmina sua mereri, quoniam nihil non carminibus illustratur *Cruquiana.* Ad

non ante uolgatas per artis
uerba loquor socianda chordis;

non, si priores Maeonius tenet
sedes Homerus, Pindaricae latent
Ceaeque et Alcaei minaces
Stesichorique graues Camenae;

nec siquid olim lusit Anacreon,
deleuit aetas; spirat adhuc amor
uiuuntque conmissi calores
Aeoliae fidibus puellae.

non sola comptos arsit adulteri
crinis et aurum uestibus inlitum
mirata regalisque cultus
et comites Helene Lacaena;

primusue Teucer tela Cydonio
direxit arcu; non semel Ilios
uexata; non pugnauit ingens
Idomeneus Sthenelusue solus

dicenda Musis proelia; non ferox
Hector uel acer Deiphobus grauis

Lollium *D. Om. BC.* Ad marcum lolium consularem *A* — 2805 uolgatas *A Cruquiana, Orelliana* 3. '*Habet scripturam* uolgatas *c* (*Bernensis tertius*)' *Orellius* — arteis *Cruquiana.* artes *A Orelliana* 3 — 2810 Stesichoriue *C.* Stesichorique *A Orelliana* 3, *Cruquiana* — 2813 commissi *Cruquiana, Orelliana* 3 — 2815 comtos *Cruquiana.* comptos *A Orelliana* 3 — 2816 crineis *Cruquiana.* crines *A Orelliana* 3 — illitum *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 2817 regalisque *ABCD.* regaleisque *Cruquiana* — 2818 helenae lacenae *B* — 2819 primusque *B.* primusue *ACD Cruquiana* — Cydoneo *AB* — 2820 dilexit *B* — 2821 non *ABC Cruquiana.* nec *D* — 2822 Sthenelusque (stenelusque) *ABD* (*?*). Sthenelusue *C*(*?*) *Cruquiana* — 2824 grauis *C.* gra-

excepit ictus pro pudicis
coniugibus puerisque primus.

uixere fortes ante Agamemnona
multi; sed omnes inlacrimabiles
urguentur ignotique longa
nocte, carent quia uate sacro.

PAVLLVM sepultae distat inertiae
celata uirtus. non ego te meis
chartis inornatum sileri
totue tuos patiar labores

inpune, Lolli, carpere liuidas
obliuiones. est animus tibi
rerumque prudens et secundis
temporibus dubiisque rectus,

uindex auarae fraudis et abstinens
ducentis ad se cuncta pecuniae,
consulque non unius anni;
sed quotiens bonus atque fidus

iudex honestum praetulit utili,
reiecit alto dona nocentium

ueis *Cruquiana*. graues *A* — 2828 inlacrimabiles *ABD*. illacrimabiles *Orelliana* 3. inlacrymabiles. *hic seruaui antiquam scripturam' Cruquius* — 2829 urgentur *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 2830 carentque uate *B* — 2831 sepultae distat inertia *malebat Bentleius* — 2833 sileri *ABD Cruquiana*. silebo *C Bentleius, quem secuta est editio Weidmanniana, Orelliana* 3, *aliae. Cfr. quae rectissime de hoc loco disputauit Horkelius Anal. Horat. p.* 21 *sq.* — 2835 impune *Orelliana* 3, *Cruquiana. Deficit codex B inde ab hoc uersu usque ad uersum* 2875 — 2837 que *om. A* — 2840—2842 *om. C* — 2842 quotiens *A*. quoties *Cruquiana, Orelliana* 3 — 2843 utili et *Cruquiana, Bentleius*. utili *ACD* — 2844 *hunc uersum om. C* — 2845 uoltu *A Cruquiana, Orelliana* 3 — per

uoltu, per obstantis cateruas
explicuit sua uictor arma.

NON possidentem multa uocaueris
recte beatum; rectius occupat
nomen beati, qui deorum
muneribus sapienter uti

duramque callet pauperiem pati
peiusque leto flagitium timet,
non ille pro caris amicis
aut patria timidus perire.

CARMEN X.

O crudelis adhuc et Veneris muneribus potens,
insperata tuae cum ueniet pluma superbiae,
et, quae nunc umeris inuolitant, deciderint comae,
nunc et qui color est puniceae flore prior rosae,

AD. et per *Cruquiana*, *Bentleius* — obstanteis *Cruquiana.* obstantes *A Orelliana* 3 — *hunc uersum ut qui insequuntur duos om. C* — 2852 letho *Cruquiana.* leto *A Orelliana* 3 — 2854 peribit *C.* perire *A Orelliana* 3. timidus perire. *ita habet codex antiquissimus. Alii duo habent*, timidus peribit. *sed quia altera lectio magis sapit Horatium, eam non mutaui, ut alias*, pro patria non timidus mori, *lib.* 3. *ode* 29' *Cruquius*

X Ad Ligurinum, puerum speciosum, sed arrogantem aduersus amatores *Cruquiana.* Ad Ligurinum puerum speciosum et arrogantem *CD.* Amicum quendam alloquitur *A* — 2856 bruma *malebat Bentleius* — 2857 humeris *A Cruquiana*, *Orelliana* 3

mutatus Ligurinum in faciem uerterit hispidam,
dices 'heu' quotiens te in speculo uideris alterum,
'quae mens est hodie, cur eadem non puero fuit,
uel cur his animis incolumes non redeunt genae?'

CARMEN XI.

Est mihi nonum superantis annum
plenus Albani cadus; est in horto,
Phylli, nectendis apium coronis;
est ederae uis

multa, qua crinis religata fulges;
ridet argento domus; ara castis
uincta uerbenis auet inmolato
spargier agno;

cuncta festinat manus, huc et illuc
cursitant mixtae pueris puellae;
sordidum flammae trepidant rotantes
uertice fumum.

ut tamen noris quibus aduoceris
gaudiis, idus tibi sunt agendae,
qui dies mensem Veneris marinae
findit Aprilem,

iure sollemnis mihi sanctiorque

2859 Ligurinum *ACD Cruquiana.* Ligurine *Bentleius* — 2860 quoties *Cruquiana.* quotiens *A Orelliana* 3 — te speculo *D.* te in speculo *AC.* 'te speculo. *duo codices Blandinii habent in speculo' Cruquius. cfr. C. Lachmanni comment. ad Lucret. p.* 219

XI Ad Phyllidem, de die natali Maecenatis, qui erat Id. April. inuitans illam ad conuiuium *Cruquiana.* Ad Phyllidem *CD.* Ad Phillidem amicam suam *A* — 2866 ederae *A Cruquiana.* hederae *Orelliana* 3 — 2867 crinis *C.* crineis *Cruquiana.* crines *A* — 2869 habet *A* — immolato *A Cruquiana, Orel-*

paene natali proprio, quod ex hac luce Maecenas meus adfluentis ordinat annos.

Telephum, quem tu petis, occupauit non tuae sortis iuuenem puella diues et lasciua tenetque grata compede uinctum.

terret ambustus Phaethon auaras spes, et exemplum graue praebet ales Pegasus terrenum equitem grauatus Bellerophontem,

semper ut te digna sequare et ultra quam licet sperare nefas putando disparem uites. age iam meorum finis amorum

(non enim posthac alia calebo femina), condisce modos, amanda uoce quos reddas: minuentur atrae carmine curae.

CARMEN XII.

Iam ueris comites, quae mare temperant, inpellunt animae lintea Thraciae;

liana 3 — 2872 mistae *Cruquiana.* mixtae *A Orelliana* 3 — 2873 sordium *A* — crepitant *malebat Bentleius* — 2881 affluentis *CB.* affluentes *A.* affluenteis, *Cruquiana* — 2890 Bellorofontem *A*

XII Ad Virgilium, continens ueris descriptionem: quod tempus mortalibus est gratissimum *Cruquiana.* Veris descriptio ad Virgilium *C.* Ad Virgilium loquitur quendam unguentarium *D. Om. B.* Virgilium negociatorem alloquitur *A* — 2900 inpellunt *B.* impellunt *A Cruquiana* — linthea traciae *A*

iam nec prata rigent, nec fluuii strepunt
Hiberna niue turgidi.

nidum ponit Ityn flebiliter gemens
infelix auis et Cecropiae domus
aeternum opprobrium, quod male barbaras
regum est ulta libidines.

dicunt in tenero gramine pinguium
custodes ouium carmina fistula
delectantque deum cui pecus et nigri
colles Arcadiae placent.

adduxere sitim tempora, Vergili.
sed pressum Calibus ducere Liberum
si gestis, iuuenum nobilium cliens,
nardo uina merebere.

nardi paruus onyx eliciet cadum,
qui nunc Sulpiciis accubat horreis,
spes donare nouas largus amaraque
curarum eluere efficax.

ad quae si properas gaudia, cum tua
uelox merce ueni: non ego te meis
inmunem meditor tinguere poculis,
plena diues ut in domo.

2903 hithis *B*. ytin *A* — 2804 'infelix auis. *Comment. hic secutus est communem opinionem; sed in manuscripto codice Bland. uetustissimo ex characterum frustulis comperi Prognen quidem in lusciniam, Philomelam uero in hirundinem transformatam eamque hic dici infelicem auem, tum propter stuprum et linguam abscissam, tum quod suo consilio et opera Itys esset interfectus .....' Cruquius* — 2906 regnum *A* — 2907 in tenero] integro *B* — 2909 delectantque *CD Cruquiana*. delectante *B*. delectant *A* — nigrae *ex uaria lectione codicis Batteliani Bentleius* — 2911 Vergili *C*. Virgili *A Cruquiana* — 2914 merebere *ACD Cruquiana*.

uerum pone moras et studium lucri,
nigrorumque memor dum licet ignium
misce stultitiam consiliis breuem:
DVLCE est desipere in loco.

CARMEN XIII.

Audiuere, Lyce, di mea uota, di
audiuere, Lyce: fis anus, et tamen
uis formosa uideri,
ludisque et bibis inpudens,

et cantu tremulo pota Cupidinem
lentum sollicitas. ille uirentis et
doctae psallere Chiae
pulchris excubat in genis.

inportunus enim transuolat aridas
quercus et refugit te, quia luridi
dentes te, quia rugae
turpant et capitis niues.

mereberis *B Bentleius* — 2916 suppliciis *B* — 2921 inmunem *B.* immunem *A Cruquiana* — tinguere *B.* tinguere. *sic habet codex Bland. antiquissimus Cruquius.* tingere *A Orelliana* 3 — 2923 mores *B*

XIII Ad Lycen, meretricem uetulam. Gaudet compotem se uoti sui factum esse, quod illa anus iam facta sit *Cruquiana.* Compotem se uoti sui factum esse dicit quod Lyce anus facta sit *C.* Ad Lycen uetulam meretricem *D. Om. B.* Ad Licen meretricem senescentem *A* — 2927 dij .. dij *A Cruquiana* — 2930 impudens *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2935 importunus *A*

nec Coae referunt iam tibi purpurae
nec cari lapides tempora quae semel
notis condita fastis
inclusit uolucris dies.

quo fugit Venus, heu, quoue color? decens
quo motus? quid habes illius, illius,
quae spirabat amores,
quae me surpuerat mihi,

felix post Cinaram, notaque et artium
gratarum facies? sed Cinarae breuis
annos fata dederunt,
seruatura diu parem

cornicis uetulae temporibus Lycen,
possent ut iuuenes uisere feruidi
multo non sine risu
dilapsam in cineres facem.

---

rari *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2940 cari *B Bentleius.* clari *AC.* cari *D.* ‘nec cari lapides. *hanc lectionem cur non mutarim, fecit codex antiquissimus et interpretatio adnotata, scilicet* preciosi: *sed duo alii cod. habent* clari’ *Cruquius. Cfr. Paldamum in Rhen. Mus. VI p.* 633 — 2943 color decens? quo *B Cruquiana.* color? decens quo *Orelliana* 3 — 2945 sperabat *B* — 2947 Cynaram *A Cruquiana.* Cinaram *Orelliana* 3 — notaque *uoci corruptelae signum adposuit Meinekius p.* 90; *cfr. Bentleii adnotationem* — 2948 breuis *C.* breueis *Cruquiana.* breues *A* — 2954 Delapsam *CD.* dilapsam *AB Cruquiana; addit Orellius Blandinii uetustissimi auctoritatem, omittit autem, quod addi necesse fuit,* ‘*Petro Nannio Miscell. III* 17 *notante*’ (*uide Bentleii adnotationem*); *nam Nannii Bland. uetustiss. non idem est ac Cruquii, quia ipse Nannius dicit:* ‘*suum codicem in Sermonibus et Epistulis nihil se iuuisse*’ *Cruquianus autem omnia Horatii poemata continuit* — cinerem *B.* cineres *ACD Cruquiana*

CARMEN XIIII.

Quae cura patrum quaeue Quiritium
plenis honorum muneribus tuas,
Auguste, uirtutes in aeuum
per titulos memoresque fastus
aeternet, o qua sol habitabilis
inlustrat oras maxime principum?
quem legis expertes Latinae
Vindelici didicere nuper,

quid Marte posses. milite nam tuo
Drusus Genaunos, inplacidum genus,
Breunosque uelocis et arcis
Alpibus inpositas tremendis

deiecit acer plus uice simplici.
maior Neronum mox graue proelium

XIIII Ad Augustum, patres et populum esse sollicitos de honoribus ei decernendis *Cruquiana.* Laudes Augusti *D. Om. B.* Cesarem alloquitur *A* — 2955 quiritum *A* — 2956 tuas *om. B* — 2958 fastos *Cruquiana.* fastus *A B C D. Versu* 2064 *iidem codices* fastos *exhibent, quo loco iam Priscianus p.* 711. *P. (I* 267 *Kr.) dicit utramque formam se inuenisse in codicibus — hic uersus in C ultimus est* — 2959 aeternae etqua *B.* aeternet. qua *A* — habitabileis *Cruquiana.* habitabiles *Orelliana* 3 — 2960 horas m. principium *B* — illustrat *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 2964 Genaunos *A B D.* 'Genaunos. *sic scriptum inueni in trib. codicibus Bland. sine ulla litura aut macula, quod uix dubito esse* Velaunos' *Cruquius* — implacidum *Cruquiana, Orelliana* 3. inplacidum *A B* — 2965 Breunosque *B D.* 'Breunosq. *sic scribitur in tribus codicibus Bland. quos secutus sum' Cruquius.* Brencosque *Lambinus.* Brēnosque *A* — ueloceis ... arceis *Cruquiana.* ueloces ... arces *A Orelliana* 3 — 2966 impositas *A Cruquiana, Orelliana* 3

conmisit inmanisque Raetos
auspiciis pepulit secundis,

spectandus in certamine Martio
deuota morti pectora liberae
quantis fatigaret ruinis,
indomitas prope qualis undas

exercet Auster, Pleiadum choro
scindente nubes, inpiger hostium
uexare turmas et frementem
mittere equum medios per ignis.

sic tauriformis uoluitur Aufidus,
qui regna Dauni praefluit Apuli,
cum saeuit horrendamque cultis
diluuiem minitatur agris,

ut barbarorum Claudius agmina
ferrata uasto diruit impetu
primosque et extremos metendo
strauit humum, sine clade uictor,

te copias, te consilium et tuos

2969 commisit immaneisque *Cruquiana*. commisit immanesque *A Orelliana* 3 — Rhetos *B D*. Rhaetos *Cruquiana*. rhethos *A* — 2970 pepulit] redit *B* — 2973 fatigarat *D*. fatigaret *Cruquiana, Orelliana* 3 — 2974 indomitus *B et Bentleius coniectura*. indomitas *A D Cruquiana* — 2976 nubeis *Cruquiana*. nubes *Orelliana* 3 — impiger *Cruquiana, Orelliana* 3 — 2978 igneis *Cruquiana*. ignes *A Orelliana* 3. enses *malebat Bentleius* — 2980 qua *Bentleii coniectura* — praefluit *A B D*. praefluit. *sic ode tertia huius lib.* praefluunt. *in tribus cod. Bland. quos secutus sum' Cruquius*. perfluit *Lambinus* — 2982 minitatur *A B*. meditatur *D*. 'meditatur. *tres codices habent* minitatur; *sed quia annotatio scripta habet* meditatur *nolui ab ea discedere' Cruquius. Apud Nonium p.* 203, 29 *legitur:* cultus minatur — 2985 et *om. B* —

praebente diuos. nam tibi quo die
portus Alexandrea supplex
et uacuam patefecit aulam,

fortuna lustro prospera tertio
belli secundos reddidit exitus,
laudemque et optatum peractis
imperiis decus adrogauit.

te Cantaber non ante domabilis
Medusque et Indus, te profugus Scythes
miratur, o tutela praesens
Italiae dominaeque Romae.

te fontium qui celat origines
Nilusque et Hister, te rapidus Tigris,
te beluosus qui remotis
obstrepit Oceanus Britannis,

te non pauentis funera Galliae
duraeque tellus audit Hiberiae,
te caede gaudentes Sygambri
conpositis uenerantur armis.

2986 humi *Cruquiana* — 2987 et uos *A* — 2988 namque *A* — 2989 alexandri *B*. Alexandrea *A Cruquiana*. Alexandrea *D* — 2994 arrogauit *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2998 domineque *AB* — 3000 Hister *AB*. Ister *Cruquiana* — 3001 belluosus *Cruquiana*. beluosus *ADB* — qua *Bentleius in adnotatione ad u.* 26 — 3003 pauentis *BD Cruquiana*. pauentes *'e recentioribus duobus uno Collegii regii et altero Episcopi Noruicensis' Bentleius, eumque secutus est Meinekius in editione altera* — 3004 Iberiae *Cruquiana* — 3005 Sygambri *AD*. Sicambri *B Cruquiana*. *Cfr. uersum* 2532 — 3006 compositis *A Cruquiana*, *Orelliana* 3

CARMEN XV.

Phoebus uolentem proelia me loqui,
uictas et urbis, increpuit lyra,
ne parua Tyrrhenum per aequor
uela darem. tua, Caesar, aetas
fruges et agris rettulit uberes,
et signa nostro restituit Ioui
derepta Parthorum superbis
postibus, et uacuum duellis

Ianum Quirini clausit et ordinem
rectum euaganti frena licentiae
iniecit emouitque culpas
et ueteres reuocauit artis,

per quas Latinum nomen et Italae
creuere uires famaque et imperi
porrecta maiestas ad ortum
solis ab Hesperio cubili.

XV Ad Diuum Augustum *D Cruquiana. Om. B.* Iterum ad Cesarem loquitur *A* — 3007 ʿPhoebus uolentem. *Haec ode inuenitur in codic. manuscrip. adhaerere praecedenti indiuisa, ea fortasse de causa, quod eisdem numeris et modis esset descripta et esset eiusdem argumenti*' *Cruquius* — 3008 urbeis *Cruquiana.* urbes *A Orelliana* 3 — increpuit, lyra, Ne *sic distinxit Cruquiana* — 3010 daremus tua *B* — 3011 retulit *A* — 3013 direpta *ABD.* ʿderepta. *sic habent duo codices: tertius autem* direpta, *sed per lituram*' *Cruquius* — 3015 Ianum Quirini *ABD Cruquiana.* Ianum Quirinum *ex Passeratii et I. Fr. Gronouii coniectura Fea* — 3016 euaganti *Orelliana* 3. ʿeuaganti. *haec lectio est trium cod. Bland.*' *Cruquius.* et uaganti *A Pottierii plerique* — 3017 dimouitque *B.* emouitque *A Orelliana* 3. ʿemouitq. culpas. *duo codices sic scriptum habent, in tertio legitur* dimouit, *sed priori respondent adnotationes*' *Cruquius* — 3018 arteis *Cruquiana.* artes *A Orelliana* 3 — 3020 fameque imperij *A* — 3021 porrectaque *B* — ortum *B Bentleius.* ortus *AD.* ʿad ortum. *unus codex*

custode rerum Caesare non furor
ciuilis aut uis exiget otium,
non ira, quae procudit ensis
et miseras inimicat urbis.

non qui profundum Danubium bibunt
edicta rumpent Iulia, non Getae,
non Seres infidiue Persae,
non Tanain prope flumen orti.

nosque et profestis lucibus et sacris
inter iocosi munera Liberi,
cum prole matronisque nostris
rite deos prius adprecati,

uirtute functos more patrum duces
Lydis remixto carmine tibiis
Troiamque et Anchisen et almae
progeniem Veneris canemus.

habet ad ortus' *Cruquius* — 3024 eximet *D.* eximet *A*, *sed in marg. ab eadem manu* exiget. existimet *B.* exiget *Orelliana* 3, *Bentleius.* 'aut uis eximet. *duo codices consentiunt lectioni uulgari, quos secutus sum ..... tertius autem codex, unde sumta uidetur Porphyrionis lectio* exigit, *mendose habet* exegit' *Cruquius* — ocium *A Cruquiana* — 3025 iraque quae *B* — 3025 *et* 3026 enseis .... urbeis *Cruquiana.* enses .... urbes *A Orelliana* 3 — 3028 rumpunt uilia *A.* — 3929 infidique *AD.* infidiue *B Cruquiana* — 3034 apprecati *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 3036 remisto *Cruquiana.* remixto *A Orelliana* 3

Explicit IIII *et in sequenti pagina* Incipit V (Carminum *ab alt. m.*) *A. Sequuntur autem in eodem codice nunc Epodi et tum demum Carmen saeculare*

Q. HORATII FLACCI
CARMEN SAECVLARE.

Phoebe siluarumque potens Diana,
lucidum caeli decus, o colendi
semper et culti, date quae precamur
tempore sacro,

quo et Sibyllini monuere uersus
uirgines lectas puerosque castos
dis, quibus septem placuere colles,
dicere carmen.

alme Sol curru nitido diem qui

CARMEN SAECVLARE ad Apollinem et Dianam, προσακτικῶς, quod trinoctio patrimi et matrimi cantauerunt pueri puellaeque *Cruquiana*. Incipit carmen seculare quod patri meo et matri meae cantaueram ad chorum puerorum puellarumque ad Apollinem et Dianam proseutice tetracolos *A*. (*I. Bernaysius in Rhen. Mus. nou. VI p.* 138 *et Horkelius Anal. Horat. p.* 16 *emendauerunt* 'patrimi et matrimi'). Carmen seculare quod patrimi et matrimae cantauerunt ad chorum puerorum puellarumque *C*, *ut testatur Baiter in praefatione ad Orellianae* 3 *tom. II. Idem repperit Strodtmannus in scheda antiqua bibliothecae Hamburgensis, in qua scriptum est sic:* INCIP CARM̄. SECVLARE. CARM̄. SECVLARE QVOD PATRIMI ET MATRIME CANTAVERVNT AD CHORVM PVERORVM PVELLARV̄QVE

— 5 quo et] quos Syb. *A*. quod Sibyllini *CD*. quo Sib. *B*.

promis et celas aliusque et idem
nasceris, possis nihil urbe Roma
uisere maius.

rite maturos aperire partus
lenis, Ilithyia, tuere matres,
siue tu Lucina probas uocari
seu Genitalis:

diua, producas subolem, patrumque
prosperes decreta super iugandis
feminis prolisque nouae feraci
lege marita,

certus undenos deciens per annos
orbis ut cantus referatque ludos
ter die claro totiensque grata
nocte frequentis.

uosque ueraces cecinisse, Parcae,
quod semel dictum est stabilisque rerum
terminus seruet, bona iam peractis
iungite fata.

'quo Sibyllini monuere uersus. *quatuor codices Bland. habent una cum Diuaei exemplari*, quod Sibyllini monuere' *Cruquius* — 6 lectas *BC Cruquiana.* laetas *D* — 7 dij *A.* diis *Cruquiana* — 14 ylithia *A* — 16 Genetyllis *Bentleii coniectura* — 17 sobolem *Cruquiana.* subolem *A Orelliana* 3. *Cfr. Carm. uersus* 1960 *et* 2570 — 20 *Hic uersus est ultimus in B* — 21 decies *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 'certus undenos. *sic scriptum inueni in quattuor cod. Bland. et Diuaei' Cruquius.* certus ut denos ..... Orbis et *codices aliquot Lambini.* certus undenos *A Orelliana* 3 — 23 totiesque *Cruquiana, Orelliana* 3. totidemque *C.* grata toties *A* — 24 frequenteis *Cruquiana.* frequentes *A Orelliana* 3 — 26 dictum est stabilisque rerum *ACD Cruquiana.* dictum stabilis per aeuum *Bentleius coniecit* — 27 seruet *ACD Bentleius.* 'seruet, *habent quattuor cod. Blandinii et Diuaei, non, seruat' Cruquius.* seruat

fertilis frugum pecorisque tellus
spicea donet Cererem corona;
nutriant fetus et aquae salubres
et Iouis aurae.

condito mitis placidusque telo
supplices audi pueros, Apollo;
siderum regina bicornis audi
Luna puellas.

Roma si uestrum est opus, Iliaeque
litus Etruscum tenuere turmae,
iussa pars mutare laris et urbem
sospite cursu,

cui per ardentem sine fraude Troiam
castus Aeneas patriae superstes
liberum muniuit iter daturus
plura relictis:

di, probos mores docili iuuentae,
di, senectuti placidae quietem,
Romulae genti date remque prolemque
et decus omne;

Orelliana 3 — 37 Iliaeque *om. A* — 38 littus *Cruquiana* — 39 Lareis *Cruquiana.* Lares *A Orelliana* 3 — urbes *C.* urbem *AD Cruquiana* — 45 docilis *cum pr. m. Batteliani Bentleius.* docili *A Cruquiana, Orelliana* 3 — dii .... dii *Cruquiana* — 46 senectutis '*e codicibus Graeuiano, Reginensi, Colbertino et duobus aliis inferioris notae*' *Bentleius eumque secutus est utroque uersu Meinekius in editione altera* — placidae *ACD Cruquiana, Bentleius.* placidam *Bentleii Battelianus et Peerlkampius* — 49 'quaeque uos bobus ueneratur albis etc. *deinde* impetret bellante prior etc. *hanc lectionem non mutaui quia in quattuor codicibus eadem erat cum suis annotationibus et Diuaei cod. si cui tamen alia magis apta uidebitur, scilicet,* quique uos *et* imperet bellante prior, *per me illi hoc erit liberum*' *Cruquius.* quaeque *ACD Bentleius.* quique

quaeque uos bobus ueneratur albis
clarus Anchisae Venerisque sanguis,
inpetret, bellante prior, iacentem
lenis in hostem.

iam mari terraque manus potentis
Medus Albanasque timet securis;
iam Scythae responsa petunt, superbi
nuper, et Indi.

iam Fides et Pax et Honos Pudorque
priscus et neglecta redire Virtus
audet, adparetque beata pleno
Copia cornu.

augur et fulgente decorus arcu
Phoebus acceptusque nouem Camenis,
qui salutari leuat arte fessos
corporis artus,

si Palatinas uidet aequus aras,
remque Romanam Latiumque felix
alterum in lustrum meliusque semper
prorogat aeuum.

aliquot Pottierii, *Fea* — bubus *DA* — impetret *CD Bentleius.* imperet *A Pottierii plures*, *Fea* — 52 laetus *C* — 53 manum potentem *Bentleii coniectura.* manus potenteis *Cruquiana.* manus potentes *A Orelliana* 3 — 54 secureis *Cruquiana.* secures *A Orelliana* 3 — 57 honor *ACD Cruquiana* — 59 apparetque *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 62 Camoenis *Cruquiana.* Camenis *A Orelliana* 3 — 65 aras *A.* arces *CD Bentleius.* 'arceis. *aras habent codices Blandinii' Cruquius. Ceterum Bentleius et Fea sic distinguunt:* (Si Palatinas ..... Latiumque) felix Alterum *e. q. s.* — 66 felix *adscr.* 'uel laetum' *C* — 68 'proroget. *quattuor cod. Bland. haec uerba*, proroget, curet, applicet, *habent in praesenti indicandi modo, scilicet*, prorogat, curat, applicat: *quae lectio mihi certe commodior uidetur, adeo ut eam iudicem alteri praeferen-*

quaeque Auentinum tenet Algidumque,
quindecim Diana preces uirorum
curat et uotis puerorum amicas
adplicat auris.

haec Iouem sentire deosque cunctos
spem bonam certamque domum reporto,
doctus et Phoebi chorus et Dianae
dicere laudes.

dam: non mutaui tamen uulgatam, quia satis apta uideatur et eruditorum hic opinionem iudiciumque expectare malui' Cruquius. prorogat *C Bentleius.* proroget *AD* — 69 alidumque *A* — 71 curat *AC Bentleius.* cur et *D* — 72 applicat *AC Bentleius.* applicet *D* — aureis *Cruquiana.* aures *A Orelliana* 3. auris *C*

(Explicit Carmen seculare Horatii Flacci *A*)

Q. HORATII FLACCI

E P O D O N

LIBER.

EPODOS I.

Ibis Liburnis inter alta nauium,
amice, propugnacula,
paratus omne Caesaris periculum
subire, Maecenas, tuo.
quid nos? quibus te uita si superstite
iocunda, si contra, grauis.
utrumne iussi persequemur otium,
non dulce, ni tecum simul,
an hunc laborem mente laturi decet
qua ferre non mollis uiros?
feremus et te uel per Alpium iuga,

Incipit V carminum. Mecenatem alloquitur *A*

I Ad Maecenatem, quem deducit ad Actiacum bellum proficiscentem cum Augusto contra Antonium. Ἐπῳδός Iambica I *Cruquiana.* Ad Maecenatem *BC. om. D* — 4 tuo *BCD Cruquiana.* tui *Wakefieldius* — 5 uita si *ABC.* uita sit *Cruquiana.* uita *D.* uita si *Bentleius* — 6 iocunda *AB* — *Stallbaumius uu.* 5 *et* 6 *sic distinguit:* quid nos, quibus t. u. s. s., iucunda; si contra, grauis? *Cfr. l. l. p. LXXVIIII* — 7 iussi] uis si *A* — [8 *Qui hunc uersum insequuntur reliqui om. C (?)*] — 10 qua *BC Cruquiana.* quem *AD* — molles *A Cruquiana, Orelliana* 3

inhospitalem et Caucasum,
uel occidentis usque ad ultimum sinum
forti sequemur pectore.
roges tuum labore quid iuuem meo
inbellis ac firmus parum?
comes minore sum futurus in metu,
qui maior absentis habet;
ut adsidens implumibus pullis auis
serpentium adlapsus timet
magis relictis, non uti sit auxili
latura plus praesentibus.
libenter hoc et omne militabitur
bellum in tuae spem gratiae,
non ut iuuencis inligata pluribus
aratra nitantur mea,
pecusue Calabris ante sidus feruidum
Lucana mutet pascuis,
neque ut superni uilla candens Tusculi
Circaea tangat moenia.
satis superque me benignitas tua
ditauit: haud parauero

15 laborem *AB*. labore *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 16 inbellis *B*. imbellis *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 17 sim *auctore N. Heinsio Bentleius* — 18 absenteis *Cruquiana*. absentes *A Orelliana* 3: *quae hunc uersum sequuntur usque ad* 341 *om. B* — 19 assidens implumibus *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 20 serpentum *A* — adlapsus *Cruquiana*. allapsus *A Orelliana* 3 — 21 ut assit auxili *A*. ut adsit, auxili *C*. ut sit, auxili *D*. 'non ut adsit. *sic habent tres cod. Bland. et* ut *interpretatur* si. *Quartus habet* non uti sit auxili' *Cruquius*. uti sit auxili *Bentleius* — 25 illigata *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 26 meis *ACD Cruquiana*. mea *Bentleius cum Bodleiano aliisque* — 28 pascula *C*. pascuis *AD*. 'Lucana mutet pascua. *non mutaui uulgarem lectionem, etiam si omnes cod. Bland. habeant* pascuis' *Cruquius*. pascuis *Bentleius* — 29 nec *D Cruquiana*. neque *A Orelliana* 3 — supini *Bentleii*

quod aut auarus ut Chremes terra premam,
discinctus aut perdam ut nepos.

EPODOS II.

'Beatus ille qui procul negotiis,
ut prisca gens mortalium,
paterna rura bobus exercet suis
solutus omni fenore,
neque excitatur classico miles truci,
neque horret iratum mare,
forumque uitat et superba ciuium
potentiorum limina.
ergo aut adulta uitium propagine
altas maritat populos,
aut in reducta ualle mugientium
prospectat errantis greges,
inutilisque falce ramos amputans
feliciores inserit,
aut pressa puris mella condit amphoris

coniectura ab ipso recepta — 34 perdam ut nepos *AD Cruquiana, Bentleius.* perdam nepos *Orelliana* 3

II Laudatio uitae rusticae exornatae summa rerum tranquillitate. Epodos Iamb. II *Cruquiana.* Vitam agricolarum summa tranquillitate rerum exornatam persequitur *C. Om. D.* Laus rusticae fortunae *A* — 35 negociis *A* — 37 bobus *in marg. adscript.* bubus *A* — [exarat; *apud Abbonem Floriacensem in Ang. Mai class. auct. t. V p.* 336, *qui hunc uersum affert quo ostendat,* aro *uerbum corripere priorem syllabam*] — 38 foenore *Cruquiana.* fenore *A Orelliana* 3 — 39 *et* 40 neque ... nec *D Bentleius.* 'neque. *hic codices bis habent,* neque. *Lambinus semel: libri impressi fere omnes:* nec, nec; *sed parum interest*' *Cruquius.* neque ... neque *A* — 41 superbia *A* — 46 erranteis *Cruquiana.* errantes *A Orelliana* 3 — 47 inutilisque *AC.* inutileis-

aut tondet infirmas ouis:
uel cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus agris extulit,
ut gaudet insitiua decerpens pyra,
certantem et uuam purpurae,
qua muneretur te, Priape, et te, pater
Siluane, tutor finium.
libet iacere modo sub antiqua ilice,
modo in tenaci gramine.
labuntur altis interim riuis aquae,
queruntur in siluis aues,
fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
somnos quod inuitet leuis.
at cum tonantis annus hibernus Iouis
imbris niuisque conparat,
aut trudit acris hinc et hinc multa cane
apros in obstantis plagas,
aut amite leui rara tendit retia,
turdis edacibus dolos,

que *Cruquiana.* inutilisue *Bentleii coniectura, recepta in editione Weidm. et Meinekiana altera* — 50 oueis *Cruquiana.* oues *Orelliana* 3. ouis *A* — 52 agris *AC.* aruis *D.* ʿautumnus aruis extulit. *cod. quattuor habent,* autumnus agris extulit; *quae lectio minus placet propter hoc Festi, Aruum dicimus agrum necdum satum; sed et altera aeque sonora' Cruquius* — 53 pira *AC.* pyra *Cruquiana, Orelliana* 3 — 54 purpurae *ACD Cruquiana.* ʿpurpurae. *iidem codices habent,* purpura. *quae lectio per ellipsin praepositionis plenior apparet' Cruquius* — 57 ʿlibet iacere modo sub antiqua ilice. *hic secta est haec Epodos in duobus codicibus Bland. et Buslidiano uno his uerbis: Inducit foeneratorem laudantem uitam quietam, sed tamen propositum non deserentem, quasi alia sit haec Epodos a priori' Cruquius. Noua epodos incipit etiam in A* — 59 ripis *ACD Cruquiana, Bentleius.* ʿlabuntur altis interim ripis aquae. *codex antiquissimus habet,* riuis. *quod mihi magis arridet, tum propter proprietatem uerbi, tum propter praepositionem, ab, quae erat adscripta sic, ab altis riuis labuntur aquae' Cruquius* — 62 inuitat

pauidumque leporem et aduenam laqueo gruem
iocunda captat praemia.
quis non malarum, quas amor curas habet,
haec inter obliuiscitur?
quodsi pudica mulier in partem iuuet
domum atque dulcis liberos,
Sabina qualis aut perusta solibus
pernicis uxor Apuli,
sacrum uetustis exstruat lignis focum
lassi sub aduentum uiri,
claudensque textis cratibus laetum pecus
distenta siccet ubera,
et horna dulci uina promens dolio
dapes inemptas adparet?
non me Lucrina iuuerint conchylia
magisue rhombus aut scari,
si quos Eois intonata fluctibus
hiems ad hoc uertat mare.
non Afra auis descendat in uentrem meum,

leueis *Cruquiana*. inuitet leues *A Orelliana* 3 — 63 hiberni *C* — 64 imbreis niueisque *Cruquiana*. imbres niuesque *A Orelliana* 3 — comparat *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 65 acreis *Cruquiana*. acres *Orelliana* 3. acris *A* — 66 obstantis *AC*. obstanteis *Cruquiana*. obstantes *Orelliana* 3 — 67 tetendit *A* — 69 pauidumue *Bentleii coniectura. Cfr. quae de hoc uersu, in primis de anapaesto* laqueo *rectissime monuit Meinekius l. l. p. XXI sq.* — gruem *om. A* — 70 iucunda *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 (*hic uersus ultimus est in codice C*) — 71 malorum *D pr. m.* malarum *AC* (*?*), *corr. D*, *Cruquiana* — 73 quod si *Cruquiana*, *Orelliana* 3. quid si, *interrogationis signo uersu* 82 *post* adparet *uocem posito*, *editio Weidmanniana* — uiuet *A* — 74 dulceis *Cruquiana*. dulces *A Orelliana* 3 — 76 Appuli *Cruquiana*. Apuli *A Orelliana* 3 — 77 'sacrum uetustis. *lege* sacrum et uetustis *ex cod. Siluio' Cruquius*. sacrum uetustis *A Orelliana* 3 — 79 cadensque *A* — 81 orna *A* — 82 ineptas apparet *A*. inemtas apparet *Cruquiana*. inemptas apparet *Orelliana* 3 — 83 conchilia *A* — 84 scauri *A*

non attagen Ionicus
iocundior quam lecta de pinguissimis
oliua ramis arborum,
aut herba lapathi prata amantis et graui
maluae salubres corpori,
uel agna festis caesa Terminalibus,
uel haedus ereptus lupo.
has inter epulas ut iuuat pastas ouis
uidere properantis domum,
uidere fessos uomerem inuersum boues
collo trahentis languido,
positosque uernas, ditis examen domus,
circum renidentis laris.'
haec ubi locutus fenerator Alfius,
iam iam futurus rusticus,
omnem redegit idibus pecuniam,
quaerit calendis ponere.

EPODOS III.

Parentis olim siquis inpia manu
senile guttur fregerit,
edit cicutis allium nocentius.

89 iucundior *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 94 hoedus *Cruquiana.* haedus *Orelliana* 3. hedus *A* — 95 *et* 96 oueis properanteis *Cruquiana.* oues properantes *A Orelliana* 3 — 98 trahenteis *Cruquiana.* trahentes *A Orelliana* 3 — 100 renidenteis lareis *Cruquiana.* renidentes lares *Orelliana* 3. renidentis lares *A* — 101 foenerator *Cruquiana.* fenerator *A Orelliana* 3 — Alphius *D Cruquiana.* Alfius *A C Orelliana* 3 — 103 redegit *A.* relegit *D.* 'omnem redegit idibus pecuniam. *Sic habent quattuor codices Bland. et Buslidiani duo, cum Diuaei codice, non etiam* relegit' *Cruquius* — 104 Kalendis *D Orelliana* 3. calendis *A Cruquiana*

III Ad Maecenatem. Iambica epodos III. Execratur allium, **quod apud Maecenatem** ederat, cuius aestu torquebatur *Cru-*

o dura messorum ilia!
quid hoc ueneni saeuit in praecordiis?
num uiperinus his cruor
incoctus herbis me fefellit, an malas
Canidia tractauit dapes?
ut Argonautas praeter omnis candidum
Medea mirata est ducem,
ignota tauris inligaturum iuga
perunxit hoc Iasonem;
hoc delibutis ulta donis pellicem
serpente fugit alite.
nec tantus umquam siderum insedit uapor
siticulosae Apuliae,
nec munus umeris efficacis Herculis
inarsit aestuosius.
at si quid umquam tale concupiueris,
iocose Maecenas, precor
manum puella sauio opponat tuo,
extrema et in sponda cubet.

EPODOS IIII.

Lupis et agnis quanta sortito obtigit

quiana. Ad Maecenatem. Execratur allium *C. Om. B.* Ad Mecenatem *A* — 105 impia *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 107 edit *A C.* edit *D.* ᶜedit cicutis. *sic habent quattuor codices contra uulgarem lectionem' Cruquius.* edat *complures alii* — allium *A Cruquiana.* alium *C. uid. Schneideri Gram. lat. I p.* 408. *Wagneri Ortograph. Vergil. p.* 416 — 110 non *D* — 112 *Reliquos uersus om. C* — 113 omneis *Cruquiana.* omnes *A Orelliana* 3 — 115 inligaturum *Cruquiana.* illigaturum *A Orelliana* 3 — 121 humeris *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 123 at si *AD Cruquiana.* quod si *Orellii Sangallensis* — 125 sauio *AD.* ᶜsauio. *sic legitur in scriptis codicibus*, *non* suauio' *Cruquius.* suauio *Cruquiana*

IIII. In Volteium Menam, libertum Pompeii Magni Epo-

tecum mihi discordia est,
Hibericis peruste funibus latus
et crura dura compede.
licet superbus ambules pecunia,
fortuna non mutat genus.
uidesne, sacram metiente te uiam
cum bis trium ulnarum toga,
ut ora uertat huc et huc euntium
liberrima indignatio?
'sectus flagellis hic triumuiralibus
praeconis ad fastidium
arat Falerni mille fundi iugera,
et Appiam mannis terit,
sedilibusque magnus in primis eques
Othone contempto sedet.
quid attinet tot ora nauium graui
rostrata duci pondere
contra latrones atque seruilem manum,
hoc hoc tribuno militum?'

EPODOS V.

'At o deorum quidquid in caelo regit

dos Iambica IIII *Cruquiana*, *om. B.* Libertum alloquitur *A* — 129 Ibericis *Cruquiana.* Hibericis *A Orelliana* 3 — 134 bis t̄. ulnarum *C.* bis ter ulnarum *AD Cruquiana.* bis trium ulnarum *de coniectura Barthii* (*Aduersar.* 54, 26) *Bentleius et post hunc omnes fere editores* — 140 apiam *A* — 142 contemto *Cruquiana.* contempto *A Orelliana* 3 — 143 ora] aera *malebat Bentleius*

V Ad Canidiam ueneficam. Epodos Iambica V *Cruquiana.* Puerum praetextatum defossum inducit a Canidia quo necato Alpho Varo daret potionem delinimentorum *D.* In gratidiam conuerso nomine ternarius, iamb⁹ epodicos *A* — 147 At] t *littera* a *initiali omissa A* — quidquid .. regis *D.* quidquid .. regit *C Cruquiana.* quicquid .. regit *A*, '*sic habent Bland. codices*' *Cruquius.* quisquis .. regis *Diomedes p.* 527. *P.*, *Priscianus*

terras et humanum genus,
quid iste fert tumultus? et quid omnium
uoltus in unum me truces?
per liberos te, si uocata partubus
Lucina ueris adfuit,
per hoc inane purpurae decus precor,
per inprobaturum haec Iouem,
quid ut nouerca me intueris aut uti
petita ferro belua?'
ut haec trementi questus ore constitit
insignibus raptis puer,
inpube corpus, quale posset inpia
mollire Thracum pectora,
Canidia breuibus inplicata uiperis
crinis et incomptum caput
iubet sepulcris caprificos erutas,
iubet cupressus funebris
et uncta turpis oua ranae sanguine
plumamque nocturnae strigis
herbasque, quas Iolcos atque Hiberia
mittit uenenorum ferax,
et ossa ab ore rapta ieiunae canis
flammis aduri Colchicis.

p. 1105. *P.* (*Sed Krehlius II* 92 *e codicibus non* quisquis .. regis, *sed item* quidquid .. regit *legendum esse monet*) — 149 aut quid *A C.* et quid *D Bentleius.* ‘et quid omnium. *non*, aut quid omnium, *ut habent impressi libri*’ *Cruquius* — 150 uoltus *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 152 affuit *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 154 improbaturum *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 156 bellua *Cruquiana.* belua *A Orelliana* 3 — 157 trementi *A C D Cruquiana.* tremente *Bentleius* — 159 impube *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — posset] solet *C* — impia *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 161 illigata *A C.* implicata *D Cruquiana* — 162 crineis et incomtum *Cruquiana.* crines et incomptum *A Orelliana* 3 — 164 cupressos *C D.* cupressus *A Cruquiana* — funebris *C.* funebreis *Cruquiana.* funebres *A* — 167 Iolcos *Orelliana* 3. ‘Iolchos. *non Colchos*, *ut*

at expedita Sagana, per totam domum
spargens Auernalis aquas,
horret capillis ut marinus asperis
echinus aut Laurens aper.
abacta nulla Veia conscientia
ligonibus duris humum
exhauriebat ingemens laboribus,
quo posset infossus puer
longo die bis terque mutatae dapis
inemori spectaculo,
cum promineret ore quantum exstant aqua
suspensa mento corpora;
exsucta uti medulla et aridum iecur
amoris esset poculum,
interminato cum semel fixae cibo
intabuissent pupulae.
non defuisse masculae libidinis
Ariminensem Foliam
et otiosa credidit Neapolis
et omne uicinum oppidum,

habent libri impressi fere omneis contra codices manuscrip. Blandinios 4.' *Cruquius.* colchos *A* — atque] aut *C* — Hiberia *A Orelliana* 3. Iberia *Cruquiana* — 172 auernalis *C.* Auernaleis *Cruquiana.* auernales *A* — 174 currens *A Orelliana* 3. Laurens *auctore N. Heinsio Bentleius.* [*'currens] furens ut inhorruit armos' Acro', quae in Fabricii editione sic leguntur: 'furens, ut: infremuitque furens et inhorruit armos' cfr. Verg. Aen. X* 710 *ubi diligentius codices uetustissimi consulendi sunt*] — 179 terque *A C D Bentleius.* terue *Cruquiana* — 183 exsucta uti *Orelliana* 3. exectati *C.* exsecta uti *A Cruquiana.* 'exsecta. *in hac dictione consentiunt cod. Blandinii. uerum in annotationibus scriptum est, extracta ..... Lambinus admonitus a Guilelmo Faërno legit* exsucta, *cui subscribit codex Diuaei manuscriptus cum adnotatione codicum Blandiniorum supra dicta. habet enim* exucta, id est, extracta ..... *Vulgati codices habent,* exerta' *Cruquius.* exesa '*N. Heinsius in ora sui exemplaris' unde recepit Bentleius, cuius adnotationem conferas* — 187

quae sidera excantata uoce Thessala
lunamque caelo deripit.
hic inresectum saeua dente liuido
Canidia rodens pollicem
quid dixit aut quid tacuit? 'o rebus meis
non infideles arbitrae,
Nox et Diana, quae silentium regis,
arcana cum fiunt sacra,
nunc nunc adeste, nunc in hostilis domos
iram atque numen uertite.
formidolosis dum latent siluis ferae
dulci sopore languidae,
senem, quod omnes rideant, adulterum
latrent Suburanae canes
nardo perunctum, quale non perfectius
meae laborarint manus.
quid accidit? cur dira barbarae minus
uenena Medeae ualent?
quibus superbam fugit ulta pellicem,
magni Creontis filiam,

di
ne *A* — 189 ociosa credit *A* — 192 deripit *A Orelliana* 3. 'deripit. *sic habent cod. Bland. non, ut uulgo*, diripit' *Cruquius* — 193 inresectum *A Cruquiana.* irresectum *Orelliana* 3 — 195 o rebus meis *om. A* — 198 archana *A* — 199 hostilis *C.* hostileis *Cruquiana.* hostiles *A Orelliana* 3 — 201 formidolosis *AC.* formidolosae *D Cruquiana.* 'formidolosae. *sic scriptum est in* 4. *cod. Bland. cum adnotatione hac, propter horrorem noctis et ferarum: sed quod parum interesset et aliam annotationem inuenirem, nolui mutare communem lectionem' Cruquius.* formidolosis *Bentleius.* (*Cruquium scribere uoluisse* 'formidolosis. *sic e. q. s.' iam Bentleius uidit*) — cum *CD.* dum *A Cruquiana* — 206 laborarunt *C.* laborarint *AD Bentleius.* 'laborarunt. *antiquissimus codex habet*, laborarint' *Cruquius* — 209 superba *C.* superbam *AD.* 'superbam. *sic offendi in* 4. *codicibus Bland. contra uulgatam lectionem*, superba' *Cruquius* — paelicem *C.* pelicem *A.* pellicem *Cruquiana*

cum palla, tabo munus imbutum, nouam
incendio nuptam abstulit.
atqui nec herba nec latens in asperis
radix fefellit me locis.
indormit unctis omnium cubilibus
obliuione pellicum.
ah ah, solutus ambulat ueneficae
scientioris carmine.
non usitatis, Vare, potionibus,
o multa fleturum caput,
ad me recurres, nec uocata mens tua
Marsis redibit uocibus.
maius parabo, maius infundam tibi
fastidienti poculum,
priusque caelum sidet inferius mari
tellure porrecta super,
quam non amore sic meo flagres uti
bitumen atris ignibus.'
sub haec puer iam non ut ante mollibus
lenire uerbis inpias,
sed dubius unde rumperet silentium
misit Thyesteas preces.
'uenena maga non fas nefasque, non ualent

211 imbutum] infectum *C* — 214 me fefellit *A* — 216 paelicum *C*. pelicum *A* — 217 aha! *Bentleius*. ah, ah! *Cruquiana*, *Orelliana* 3. ah *A*, *om*. *C* — 227 mei *Bentleius* — 229 non iam *A* — 230 impias *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 233 uenena, magnum fas, nefasque, non ualent conuertere *Cruquiana*. uenena magnum fas nefasque non u. c. *A Orelliana* 3. Venena magica fas nefasque non ualent, non uertere *malebat Bentleius*. uenena maga non fas nefasque, non ualent conuertere *sic etiam editio Weidmanniana*. uenena, magnum fas nefasque, non ualent *hac interpunctione Stallbaumius; cfr. l. l. p. LXXVIIII* — 239 uoltus *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 241 assidens *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 244 contundat obscenas *C* — 246 Esquilinae alites *A Orelliana* 3. 'Esquilinae alites. *ita*

conuertere humanam uicem.
diris agam uos: dira detestatio
nulla expiatur uictima.
quin, ubi perire iussus exspirauero,
nocturnus occurram furor,
petamque uoltus umbra curuis unguibus,
quae uis deorum est manium,
et inquietis adsidens praecordiis
pauore somnos auferam.
uos turba uicatim hinc et hinc saxis petens
contundet obscaenas anus.
post insepulta membra different lupi
et Esquilinae alites,
neque hoc parentis heu mihi superstites
effugerit spectaculum.'

EPODOS VI.

Quid inmerentis hospites uexas canis
ignauus aduersum lupos?
quin huc inanis uerte, si potes, minas

reperi in quattuor cod. Blandiniis; non Esquiliniae, *ut legendum arbitratur Bonfinis, propter elisionem diphtongi 'ae' Cruquius* — 247 parenteis *Cruquiana.* parentes *A Orelliana* 3 — 248 effugerint *CD.* effugerit *A Cruquiana*

VI In Cassium Seuerum. Iambica Epodos VI *Cruquiana.* Maledicum poetam in se irritat minaturque si solita rabie fuerit elatus *C*, *cui inscriptioni haece:* al. in cassium Seuerum Ternarius iambicus podicus *addit A.* '*In inscriptione huius epodi tres codices Blandinii consentiunt, quartus sequitur uulgatam lectionem' Cruquius* — 249 immerenteis *Cruquiana.* immerentes *Orelliana* 3. in merentes *A* — 250 aduersos *C.* aduersum *AD Cruquiana* — 251 inaneis *Cruquiana.* inanes *A Orelliana* 3 — uerte *C corr.* uertis *Orelliana* 3. 'quin huc inaneis, si potes, uerte minas. *hanc lectionem*

et me remorsurum pete.
nam qualis aut Molossus aut fuluus Lacon,
amica uis pastoribus,
agam per altas aure sublata niuis,
quaecumque praecedet fera.
tu cum timenda uoce conplesti nemus,
proiectum odoraris cibum.
caue, caue: namque in malos asperrimus
parata tollo cornua,
qualis Lycambae spretus infido gener,
aut acer hostis Bupalo.
an si quis atro dente me petiuerit,
inultus ut flebo puer?

EPODOS VII.

Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris
aptantur enses conditi?
parumne campis atque Neptuno super
fusum est Latini sanguinis?

habet codex antiquissimus, et codex Diuaei, quam seruaui ..... hanc etiam lectionem reliqui tres codices Blandin. in annotationibus agnoscunt, nam uertis pro conuerte, et petis pro impete, positum est, inquiunt' Cruquius. uerte si potes minas *Peerlkampius* — 252 petes *D.* petis *Orelliana* 3. pete *A Cruquiana* — 253 Laco *C.* 'Lacon. *duo codic. Bland. habent* Laco' *Cruquius.* Lacon *A Orelliana* 3 — 255 niueis *Cruquiana.* niues *A Orelliana* 3 — 256 praecedet *A C D Cruquiana.* procedat *codices apud Feam* — 257 tu cum tu *A* — complesti *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 261 licambe *A* — 262 'Bupalo. *non autem* Bubalo *habent quattuor cod. et Diuaei cum Buslidiano' Cruquius.* Bupalo *Orelliana* 3. bubalo *A*

VII Ad populum Romanum, execratio belli ciuilis in Brutum et Cassium. Iambica Epodos VII *Cruquiana.* Primo ciuili bello finito ut ab alio abstineat precatur. Metrum quod supra.

non ut superbas inuidae Carthaginis
Romanus arcis ureret,
intactus aut Britannus ut descenderet
sacra catenatus uia,
sed ut secundum uota Parthorum sua
urbs haec periret dextera.
neque hic lupis mos nec fuit leonibus
umquam nisi in dispar feris.
furorne caecos an rapit uis acrior
an culpa? responsum date.
tacent, et albus ora pallor inficit
mentesque perculsae stupent.
sic est: acerba fata Romanos agunt
scelusque fraternae necis,
ut inmerentis fluxit in terram Remi
sacer nepotibus cruor.

EPODOS VIII.

Rogare longo putidam te saeculo

Ternarius Iambicus binariū iambice podicos *A*. Primo ciuili bello finito ut ab alio bello abstineant deprecatur *C* — 268 sanguinis? *et uersu* 274 dextera. *A Cruquiana.* sanguinis, ... dextera? *Orelliana* 3 — 269 Karthaginis *C.* Carthaginis *A Cruquiana* — 270 arceis *Cruquiana.* arces *A Orelliana* 3 — 271 Brittannus *A* — 276 umquam *ACD Cruquiana.* numquam *ex editione Ven. a.* 1590. *Bentleius* — 277 caecus *CD Cruquiana.* caecos *A*, *e codice Regiae Societatis Bentleius* — 279 et ora pallor albus *D Cruquiana.* et albus ora pallor *A Bentleius* — 280 menteisque *Cruquiana.* mentesque *A Orelliana* 3 — 283 immerentis *Cruquiana*, *Orelliana* 3. imerentis *A*

VIII Ad anum libidinosam. Epodos Iamb. VIII *Cruquiana.* Prostitutam putidam anum sectatur uitia corporis eius proscribens *C.* In gratidiam prostitutam putidam anum sectatur uitia corporis eius. metrum quod supra *A* — 285 seculo *A Cruquiana*,

uires quid eneruet meas?
cum sit tibi dens ater et rugis uetus
frontem senectus exaret,
hietque turpis inter aridas nates
podex uelut crudae bouis?
sed incitat me pectus et mammae putres,
equina quales ubera,
uenterque mollis et femur tumentibus
exile suris additum.
esto beata, funus atque imagines
ducant triumphales tuum,
nec sit marita quae rotundioribus
onusta bacis ambulet.
quid quod libelli Stoici inter sericos
iacere puluillos amant?
inliterati num minus nerui rigent?
minusue languet fascinum?
quod ut superbo prouoces ab inguine,
ore adlaborandum est tibi.

Orelliana 3 — 286 uireis *Cruquiana.* uires *A Orelliana* 3 — quid *D Cruquiana.* quod *C.* qd *A* — eneruet *A Cruquiana.* enerues *D* — 296 triumphaleis *Cruquiana.* triumphales *A Orelliana* 3 — 298 bacis *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 301 inliterati *A Cruquiana.* illiterati *Orelliana* 3. illiteratis *malebat cum Guieto ad Terent. Andr.* 4, 1 *Bentleius*, *item uers.* 302 magisue *pro* minusue. '*Rigere qui pro languere uel iacere dictum esse affirmant quo iure id faciant docere neglexerunt; intellegerem locum, si pro* minus *scriptum esset* magis, *quod Bentleius sequenti uersu pro* minus *desiderabat, sententia mihi quidem non perspecta*' *Meinekius l. l. p. XXII* — 304 adlaborandum *AC Cruquiana.* allaborandum *Orelliana* 3

EPODOS VIIII.

Quando repostum Caecubum ad festas dapes
uictore laetus Caesare
tecum sub alta, sic Ioui gratum, domo,
beate Maecenas, bibam
sonante mixtum tibiis carmen lyra,
hac Dorium, illis barbarum:
ut nuper, actus cum freto Neptunius
dux fugit ustis nauibus,
minatus urbi uincla, quae detraxerat
seruis amicus perfidis?
Romanus eheu, posteri negabitis,
emancipatus feminae
fert uallum et armà miles et spadonibus
seruire rugosis potest,
interque signa turpe militaria
sol adspicit conopium.
at hoc frementes uerterunt bis mille equos

VIIII Ad Maecenatem uotis designat uictoriam Caesaris aduersus Anton. et Cleopatram. Epodos Iambica IX *Cruquiana*. Bello aduersus Antonium et Cleopatram. Designat uotis uictoriam Caesaris *C*. Ad Mecenatem. ternarius iambicus binarius iambicus podicos. Bellum aduersus amonium (*i. e. Antonium*) et cleopatram designat uotis uictoria cesaris *A* — 305 quando o repostum *auctore N. Heinsio Bentleius* — cecubum *A* — 309 mistum *Cruquiana*. mixtum *A C D*. mixtis *e duobus codicibus Lambini Bentleius* — 316 *qui insequuntur uersus om. C* — 320 aspicit *A Cruquiana*. adspicit *Orelliana* 3 — conopeum *D Cruquiana*. conopium *Bentleius*. canopeum *A* — 321 at huc *Cruquiana*. adhunc *A*. ad hunc *D*. at hoc (*accusat.*) *Orelliana* 3. 'at huc uerterunt. *haec uerba habet codex Diuaei et unus codex Bland. manuscriptus expresse: alii tres habent*, Ad hunc: alias, At huc; *quam notam secutus sum tanquam magis appositam atque consentientem scriptis annotationibus' Cruquius*. ad hoc *Bentleius coniecit*. ad haec *altera eius suspicio* — frementeis *Cruquiana*. frementes *A Orel-*

Galli canentes Caesarem,
hostiliumque nauium portu latent
puppes sinistrorsum citae.
io Triumphe, tu moraris aureos
currus et intactas boues?
io Triumphe, nec Iugurthino parem
bello reportasti ducem,
neque Africanum, cui super Carthaginem
uirtus sepulcrum condidit.
terra marique uictus hostis Punico
lugubre mutauit sagum.
aut ille centum nobilem Cretam urbibus
uentis iturus non suis,
exercitatas aut petit Syrtis Noto,
aut fertur incerto mari.
capaciores adfer huc, puer, scyphos
et Chia uina aut Lesbia,
uel quod fluentem nauseam coerceat
metire nobis Caecubum.
curam metumque Caesaris rerum iuuat
dulci Lyaeo soluere.

liana 3 — 324 'citae. *duo codices habent*, sitae, *id est, ad sinistram partem motae .... Verum ego priorem lectionem seruaui, quod altera non careret litura' Cruquius.* citae *A D Orelliana* 3 — 329 Africano *D pr. m. et Cruquiana.* Africanum *A, D corr., Bentleius* — cui] quo *malebat Bentleius* — 331 Punico *Cruquiana.* punico (= *puniceo*) *Orelliana* 3. *Cfr. Lachmanni locum us.* 332 *laudatum* — 332 mutabit *C. Lachmannus in comment. ad Lucret. p.* 123. mutauit *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 335 Syrteis *Cruquiana.* Syrtes *Orelliana* 3. syrthes *A* — 337 affer *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 338 scyphos; aut Chia *Bentleius* — 339 coherceat *A*

EPODOS X.

Mala soluta nauis exit alite
ferens olentem Maeuium.
ut horridis utrumque uerberes latus,
Auster, memento fluctibus.
niger rudentis Eurus inuerso mari
fractosque remos differat.
iusurgat Aquilo, quantus altis montibus
frangit trementis ilices.
nec sidus atra nocte amicum adpareat,
qua tristis Orion cadit;
quietiore ne feratur aequore
quam Graia uictorum manus,
cum Pallas usto uertit iram ab Ilio
in inpiam Aiacis ratem.
o quantus instat nauitis sudor tuis
tibique pallor luteus,
et illa non uirilis eiulatio,
preces et auersum ad Iouem,

X In Maeuium poetam, quem deuouet horrendis tempestatibus. Iambica Epodos X *Cruquiana.* Inuisum sibi Maeuium deuouet ut horrendis prematur tempestatibus *C*, *om. B*, *eadem, additis hisce:* metrum quod supra *A* — 343 malo *Victorinus p.* 1252. *P.* — 347 rudentis *C.* rudentes *A Cruquiana* — 349 'quantus. *unus codex Blandinius hic habet* qualis' *Cruquius.* quantus *A Orelliana* 3 — 350 trementeis *Cruquiana.* trementes *A Orelliana* 3 — frangit *A C D Cruquiana.* fregit *Plotius p.* 1647. *P.* uertit *uel* sternit *dubitanter proposuit Bentleius* — 351 appareat *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 355 usto *A Cruquiana*, *Orelliana* 3. usta *Lachmannus l. l.*, *editio Weidmanniana et Meinekiana* — 356 *hunc uersum ut infra uersus* 360—362 *om. C* — impiam *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 359 heiulatio *A* — 360 auersum *Cruquiana*, *Orelliana* 3. 'auersum. *duplex lectio est*, *uel* auersum, *id est*, *non audientem uota tua*, ... *uel* aduersum, *id est*, *contrarium infensum et ira-*

Ionius udo cum remugiens sinus
noto carinam ruperit.
opima quodsi praeda curuo litore
porrecta mergos iuueris,
libidinosus inmolabitur caper
et agna Tempestatibus.

EPODOS XI.

Petti, nihil me sicut antea iuuat
scribere uersiculos amore percussum graui,
amore, qui me praeter omnis expetit
mollibus in pueris aut in puellis urere.
hic tertius december, ex quo destiti
Inachia furere, siluis honorem decutit.
heu me, per urbem, nam pudet tanti mali,

tum' Commentator Cruquianus — 361 *et* 362 sinu notho *A*. sinus noto *B C D Bentleius*. 'Ionius udo cum remugiens sinu Notus. *codices Blandinii in hac lectione consonant, quae mihi probatior uidetur quam uulgata' Cruquius* — 363 optima *A* — littore *A Cruquiana*. litore *Orelliana* 3 — 364 proiecta *Orellii codex Bernensis d et Bentleius coniectura*. porrecta *A Cruquiana* — iuueris *Cruquiana, Bentleius*. iuuerit *A B C D et Bentleii omnes codices* — 365 immolabitur *Cruquiana, Orelliana* 3. imolabitur *A*

XI Ad Pettium contubernalem, indicans occupato sibi amore Lycisci pueri non libere uersus scribere. Epodos Elegiambica seu elegoiambica *συναρτήτως* XI *Cruquiana*. Pectio amico suo inuisam sibi poeticen esse in cubitus suos irrumpentem *C*, *om. D*. Ad peticium de inachia quam diligit senarius iambicus quadratus a dactilo in iambicum. peticio amico suo inuisam sibi inachiam in concubitos suos irruentem *A* — 367 Pati *A*. Pecti *C B*. Petti *D*. 'Petti nihil me. *Tametsi parum intersit Pettine an Pecti legamus, seruaui tamen Petti, gemino t, propter antiquitatem codicum Blandiniorum et annotationes carminibus*

fabula quanta fui! conuiuiorum et paenitet,
in quis amantem et languor et silentium
arguit et latere petitus imo spiritus.
'contrane lucrum nil ualere candidum
pauperis ingenium' querebar adplorans tibi,
simul calentis inuerecundus deus
feruidiore mero arcana promorat loco.
'quodsi meis inaestuet praecordiis
libera bilis, ut haec ingrata uentis diuidat
fomenta uolnus nil malum leuantia,
desinet inparibus certare submotus pudor.'
ubi haec seuerus te palam laudaueram,
iussus abire domum ferebar incerto pede
ad non amicos heu mihi postis et heu
limina dura, quibus lumbos et infregi latus.
nunc gloriantis quamlibet mulierculam
uincere mollitie amor Lycisci me tenet;
unde expedire non amicorum queant

ascriptas' Cruquius — 368 percussum *A B C D.* perculsum *Cruquiana* — 369 omneis *Cruquiana.* $\overline{\text{oms}}$ *A.* omnes *Orelliana* 3 — 370 aut pueris *malebat Bentleius* — 'pueris aut in puellis urere. *umus codex Bland. hic habet*, et in puellis' *Cruquius.* aut in puellis *A Orelliana* 3 — 372 Inachaia *B* — 374 et poenitet *A B C D Cruquiana.* ut poenitet *Bentleii coniectura* — 375 queis *Cruquiana.* quis *A Orelliana* 3 — amantem languor *A B C D.* amantem et languor *Cruquiana, Bentleius* — 377 contrane *A B C D.* contraque *Lambinus.* 'contrane lucrum. *hic secutus sum codices Blandinios et annotationes manu sine ulla litura aut maculu scriptas contra uulgatam lectionem* .... contraque lucrum' *Cruquius* — nihil *A B* — 378 *qui insequuntur uersus om. C* — applorans *Cruquiana, Orelliana* 3. adplorans *A* — 381 inaestuat *D* — 382 uentis *A B D Cruquiana.* uentus *codices aliqui* — 383 uulnus *Cruquiana.* uolnus *A Orelliana* 3 — 384 inparibus *B.* imparibus *Cruquiana* — summotus *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 387 posteis *Cruquiana.* postes *A Orelliana* 3 — 390 mollitia *B D Cruquiana.* mollitie *Bentleius, alii.* mollicia *A* — dicisci *A*

libera consilia nec contumeliae graues,
sed alius ardor aut puellae candidae
aut teretis pueri longam renodantis comam.

EPODOS XII.

Quid tibi uis, mulier nigris dignissima barris?
munera cur mihi, quidue tabellas
mittis nec firmo iuueni neque naris obesae?
namque sagacius unus odoror,
polypus an grauis hirsutis cubet hircus in alis,
quam canis acer ubi lateat sus.
qui sudor uietis et quam malus undique membris
crescit odor, cum pene soluto
indomitam properat rabiem sedare, neque illi
iam manet umida creta colorque
stercore fucatus crocodili, iamque subando
tenta cubilia tectaque rumpit;

392 graueis *Cruquiana.* graues *A Orelliana* 3 — 393 arbor *B* — 394 redonantis *B*

XII In libidinosam Canidiam, conuerso nomine. Epodos heroica XII *Cruquiana.* Summae mulierem libidinis repellit. Dignam esse ait elephantis *C D, om. B.* '*In uno codice Blandinio hanc inueni inscriptionem: Ad Canidiam meretricem ....*' *Cruquius.* In gratidiam conuerso nomine senarius epicus quadratus dactilos podicos. sumae libidinis matrem repellit et dignam ait esse elephantis *A* — 396 cur mihi *B D Cruquiana.* quid mihi *A C Bentleius. Confer Carminum uersus* 930 *et* 932 — 397 mittes *C* — firmo iuueni *A B C Cruquiana.* iuueni firmo *D.* 'nec firmo iuueni, neq. naris obesae. *in hac lectione non dissentiunt uersus scripti. sed in annotationibus habetur, non firmo iuueni neque*' *Cruquius.* nec *A Orelliana* 3 — nec naris *C* — 399 polipus *A* — 401 quis *B C D Cruquiana.* qui *e codicibus Bentleius* — 402 crescat *A* — 403 nec *Cruquiana.* neque *A Orelliana* 3 — 404 humida *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 405 crocodilli *A*

uel mea cum saeuis agitat fastidia uerbis:
'Inachia langues minus ac me;
Inachiam ter nocte potes, mihi semper ad unum
mollis opus. pereat male quae te
Lesbia quaerenti taurum monstrauit inertem,
cum mihi Cous adesset Amyntas,
cuius in indomito constantior inguine neruus
quam noua collibus arbor inhaeret.
muricibus Tyriis iteratae uellera lanae
cui properabantur? tibi nempe,
ne foret aequalis inter conuiua, magis quem
diligeret mulier sua quam te.
o ego non felix, quam tu fugis ut pauet acris
agna lupos capreaeque leones.'

EPODOS XIII.

Horrida tempestas caelum contraxit, et imbres

— 409 potens *AB* — 412 mi *A* — amintas *A* — 415 tiriis *A* — 416 'cui properabantur. *unus cod. Bland. hic habet*, cui properabuntur *in futuro promissiuo*' *Cruquius*. cui properabantur *Orelliana* 3. cui properabuntur *A* — *Hunc uersum in cod. B sequitur hic:* Cetera mitte loqui, deus haec fortasse benigna, *infra uersu* 427 *omissus* — 417 aequalis *ABC*. aequaleis *Cruquiana* — 419 o ego non felix *ABCD Bentleius*, *Cruquiana*. e ego infelix '*codices quidam tàm aliorum quam nostri, sed ii non ultimae uetustatis*' *Bentleius* — acris *ABC*. acreis *Cruquiana* — 420 lupus *B*

XIII Ad amicos comicos. Epodos Iambelega συναρτήτως XIII *Cruquiana*. Amicos hortatur ut uim tempestatis de die discumbendo uitent et dum sit impedimento senectus uoluptatibus uacent *C*. *Eandem inscriptionem inserta post* dum *uocula* non *et additis hisce:* senarius epicus quadratus. comicos a iambo in dactilon *A*. *om. B* — 421 *et* 422 imbreis niueisque *Cruquiana*. ['niueisq. deducunt. *hic uersus in omnibus libris scriptis* συναρτήτως

niuesque deducunt Iouem; nunc mare nunc siluae
Threicio Aquilone sonant: rapiamus, amici,
occasionem de die, dumque uirent genua
et decet, obducta soluatur fronte senectus.
tu uina Torquato moue consule pressa meo.
cetera mitte loqui: deus haec fortasse benigna
reducet in sedem uice. nunc et Achaemenio
perfundi nardo iuuat et fide Cyllenea
leuare diris pectora sollicitudinibus,
nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno:
'inuicte mortalis dea nate puer Thetide,
te manet Assaraci tellus, quam frigida proni
findunt Scamandri flumina, lubricus et Simois;
unde tibi reditum certo subtemine Parcae
rupere, nec mater domum caerula te reuehet.
illic omne malum uino cantuque leuato,
deformis aegrimoniae dulcibus adloquiis.'

EPODOS XIIII.

Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
obliuionem sensibus,

legitur' Cruquius] — 423 amici *A B C D Cruquiana.* amice *Bentleii coniectura* — 427 *uide supra uersum* 416 — 428 Achaemenio *A B C D Bentleius.* Achaemenia *Cruquiana* — 429 cyllenia *A.* Cyllenaeae *Cruquiana* — 430 diris *A B C D Cruquiana.* duris *e codice Galeano Bentleius* — 431 cecinit grandi *A C.* grandi cecinit *Cruquiana.* graui cecinit *B* — 433 pui *A.* parui *Cruquiana, Orelliana* 3. proni *malebat Bentleius.* tardi *Meinekius Philol. II* 462; *recepit editio Weidmanniana.* paui *B* — 435 curto *malebat Bentleius.* certo *A B C D Cruquiana* — 438 aegrimoniae dulcibus alloquiis *A B C D* '*ita habent quattuor cod. Bland. sine ulla copula*' *Cruquius.* aegrimoniae ac dulcibus alloquiis *malebat Bentleius*

XIIII Ad Maecenatem. Epodos Iambica XIIII *Cruquiana.* Maecenati accusat desidiam suam *C.* Mecenati excusat desi-

pocula Lethaeos ut si ducentia somnos
arente fauce traxerim,
candide Maecenas, occidis saepe rogando:
deus deus nam me uetat
inceptos, olim promissum carmen, iambos
ad umbilicum adducere.
non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonta Teium,
qui persaepe caua testudine fleuit amorem
non elaboratum ad pedem.
ureris ipse miser: quodsi non pulchrior ignis
accendit obsessam Ilion,
gaude sorte tua; me libertina neque uno
contenta Phryne macerat.

EPODOS XV.

Nox erat et caelo fulgebat luna sereno
inter minora sidera,
cum tu magnorum numen laesura deorum
in uerba iurabas mea,

diam suam et obiurgat se, quod non consumauit iambica opera amoribus euocatus. Senarius epicus binarius iambice podicos *A. om. B* — 441 ut si ducentia *Cruquiana*, *Orelliana* 3. uti ducentia *D.* ueluti *A* — 447 batyllo *A* — 451 miser do q' non *C.* miser quodsi non *A Cruquiana*, *Orelliana* 3. *Pro* quodsi non *cod. B* (*i. e. C meus*) do q' non, *in quo Orellio latere uidebatur* quando non. *Magis placeret* quo si non (pulchrior ignis) *quamquam defendi potest* quodsi' *Meinekius l. l. p. XXIII*

XV Ad Neaeram amicam, querela periurii. Epodos Iambica XV *Cruquiana.* Neaeram amicam alloquitur *C.* Neeram amicam suam alloquitur periurusque (*leg.* periuriisque) eius se deceptum significat, quod suum amorem in alium transtulisset, quem negat perpetuum futurum, metrum quod supra *A. om. B*

artius atque edera procera adstringitur ilex
lentis adhaerens brachiis,
dum pecori lupus, et nautis infestus Orion
turbaret hibernum mare,
intonsosque agitaret Apollinis aura capillos,
fore hunc amorem mutuum.
o dolitura mea multum uirtute Neaera:
nam si quid in Flacco uirist,
non feret adsiduas potiori te dare noctis,
et quaeret iratus parem:
nec semel offensae cedet constantia formae,
si certus intrarit dolor.
et tu, quicumque es felicior atque meo nunc
superbus incedis malo,
sis pecore et multa diues tellure licebit,
tibique Pactolus fluat,
nec te Pythagorae fallant arcana renati,
formaque uincas Nirea,
eheu translatos alio maerebis amores:
ast ego uicissim risero.

459 edera *Cruquiana.* hedera *Orelliana* 3 — astringitur *AC Cruquiana* — 462 turbaret *ABCD Cruquiana.* turbarit *e codice Bodleiano Bentleius* — 463 agitaret *ACD Cruquiana.* agitarit *B Bentleius* — 466 uiri est *Cruquiana*, *Orelliana* 3. uirium est *AB. Cfr. Carminum uersum* 125 — 467 assiduas ... nocteis *Cruquiana.* assiduas ... noctes *A Orelliana* 3 — 468 quaerit *C* — 469 offensi *Bentleius* — 470 ‘*malim* intrauit’ *Meinekius addens l. l. p. XXIII: ‘Certo dolore iam nunc mouetur poeta, qui multum minarum atrocitati detraheret, si de futuro aliquo dolore loquereturʼ* — 471 et tu *ABCD Bentleius.* ‘et tu quicunque es. *uulgata editio habet*, at tu quicunque es: *quam sequuntur omneis. At quattuor cod. Blandinii habent*, et tu, quicunque es, *quos secutus sumʼ Cruquius* — 473 precor *A* — 476 nerea *BC.* neera *A* — 477 heu heu *ABD.* eheu eheu *C.* eheu *Cruquiana.* ‘eheu translatos. *tres codices Bland. habent heu, heu: 4. autem eheuʼ Cruquius*

EPODOS XVI.

Altera iam teritur bellis ciuilibus aetas,
suis et ipsa Roma uiribus ruit:
quam neque finitimi ualuerunt perdere Marsi
minacis aut Etrusca Porsenae manus,
aemula nec uirtus Capuae, nec Spartacus acer
nouisque rebus infidelis Allobrox,
nec fera caerulea domuit Germania pube
parentibusque abominatus Hannibal;
inpia perdemus deuoti sanguinis aetas,
ferisque rursus occupabitur solum.
barbarus heu cineres insistet uictor et urbem
eques sonante uerberabit ungula,
quaeque carent uentis et solibus ossa Quirini,
nefas uideri, dissipabit insolens.
forte quid expediat communiter aut melior pars
malis carere quaeritis laboribus:
nulla sit hac potior sententia, Phocaeorum
uelut profugit execrata ciuitas

XVI Ad populum Romanum commiseratio Reip. propter ciuilia bella *Cruquiana.* Rei publicae deflet fortunam *C.* Ad populum alterna uice heroo alterna iambico scripta sunt ũm (*i. e.* uersu). Oratius reip. deflet fortunam *A. om. B* — 482 porsennae *A C.* Porsenae *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 484 nouisue *Bentleii coniectura* — 486 parentibusue *Bentleii coniectura* — ʿabominatus. *unus cod. Bland. hic habet, abominandus*' *Cruquius.* abominatus *Orelliana* 3. abhominatus *A* — 488 impia *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 492 uidere *C.* uideri *A B D.* ʿuideri. *ita habent quattuor codices Bland. cum annotationibus, ut, Buslidianus cum Diuaei cod.*' *Cruquius* — 493 quid expediat ..... laboribus *Cruquiana.* (quod expediat!) *e. q. s. Bentleius.* quid expediat ... laboribus: *A Orelliana* 3. *Cfr. Stallbaumii praef. p. LXXX* — 495 ʿsententia Phocaeorum. *hoc modo habent expresse tres cod. Bland. cum Buslidia. nimirum uel per διαίρεσιν διφθόγγου, uel a nomine φοκαεύς*' *Cruquius*, [*nec alia scriptura quod sciam*

agros atque laris patrios, habitandaque fana
apris reliquit et rapacibus lupis,
ire pedes quocumque ferent, quocumque per undas
Notus uocabit aut proteruus Africus.
sic placet, an melius quis habet suadere? secunda
ratem occupare quid moramur alite?
sed iuremus in haec: simul imis saxa renarint
uadis leuata, nec redire sit nefas;
neu conuersa domum pigeat dare lintea, quando
Padus Matina lauerit cacumina,
in mare seu celsus procurrerit Apenninus,
nouaque monstra iunxerit libidine
mirus amor, iuuet ut tigris subsidere ceruis,
adulteretur et columba miluo,
credula nec rauos timeant armenta leones,
ametque salsa leuis hircus aequora.
haec et quae poterunt reditus abscindere dulcis
eamus omnis execrata ciuitas,
aut pars indocili melior grege; mollis et exspes
inominata perprimat cubilia.
uos quibus est uirtus, muliebrem tollite luctum,
Etrusca praeter et uolate litora.
nos manet Oceanus circumuagus: arua, beata

extat]. phoeceorum *A* — 497 lareis *Cruquiana.* lares *A Orelliana* 3 — 499 ferunt *ABD.* ferent *C Bentleius.* ᶜferent. *hanc lectionem 4. codicum et Diuaei, quia illi respondet in tempore uocabit' Cruquius* — 503 uideremus *B* — renarent *B* — 505 lintea *om. B* — 507 procurrerit *ABCD Cruquiana.* proruperit *e codicibus Fea* — 509 tigreis *Cruquiana.* tigres *A Orelliana* 3 — 510 *hunc uersum post uersum* 517 *ponit C* — miluo *A Orelliana* 3. ᶜmiluio. *quattuor codic. Bland. cum Buslid. et Diuaei habent milïo per diaeresin' Cruquius* — 511 rauos *C.* flauos *ABD.* ᶜrauos. *haec dictio* rauus ..... *aptior mihi uisa est quam* flauus, *praesertim in eam consentientibus quattuor cod. Bland.' Cruquius,* rauos *Bentleius* — 512 aequora et *A* — 513 dulceis *Cruquiana.* dulces *A Orelliana* 3 — 514 execrata *A Cruquiana.* exsecrata

petamus arua, diuites et insulas,
reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis
et inputata floret usque uinea,
germinat et numquam fallentis termes oliuae,
suamque pulla ficus ornat arborem,
mella caua manant ex ilice, montibus altis
leuis crepante lympha desilit pede.
illic iniussae ueniunt ad mulctra capellae,
refertque tenta grex amicus ubera;
nec uespertinus circumgemit ursus ouili,
neque intumescit alta uiperis humus.
pluraque felices mirabimur; ut neque largis
aquosus Eurus arua radat imbribus,
pinguia nec siccis urantur semina glaebis,
utrumque rege temperante caelitum.
non huc Argoo contendit remige pinus,
neque inpudica Colchis intulit pedem;
non huc Sidonii torserunt cornua nautae,
laboriosa nec cohors Vlixei.
nulla nocent pecori contagia, nullius astri
gregem aestuosa torret inpotentia.
Iuppiter illa piae secreuit litora genti,
ut inquinauit aere tempus aureum;

Orelliana 3, *ut etiam us.* 496 — 515 expes *A Cruquiana.* exspes *Orelliana* 3 — 516 inhominata *A* — 518 littora *Cruquiana.* litora *A Orelliana* 3 — 519 circumuagus arua beata; petamus arua *Bentleius* — 522 inputata *A.* imputata *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 523 numquam *Cruquiana.* nunquam *Orelliana* 3 — 526 Nympha *B.* limpha *A* — 529 ouili *B.* ouile *ACD.* 'circumgemit ursus ouile. 4. *cod. habent* ouili' *Cruquius* — 530 neque *A Orelliana* 3, *Bentleius.* nec *BD Cruquiana. uersum om. C* — 533 glebis *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 536 impudica *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 538 Vlyssei *Cruquiana.* Vlixei *A Orelliana* 3 — 539 austri *C* — 540 inpotentia *AB.* impotentia *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 541 Iuppiter *Cruquiana* (*in qua alias fere semper* Iupiter *scriptum est*), *Orelliana* 3. Iupiter *A*

aere, dehinc ferro durauit saecula, quorum
piis secunda, uate me, datur fuga.

EPODOS XVII.

Iam iam efficaci do manus scientiae,
supplex et oro regna per Proserpinae,
per et Dianae non mouenda numina,
per atque libros carminum ualentium
refixa caelo deuocare sidera,
Canidia, parce uocibus tandem sacris,
citumque retro solue, solue turbinem.
mouit nepotem Telephus Nereium
in quem superbus ordinarat agmina
Mysorum et in quem tela acuta torserat.
unxere matres Iliae addictum feris
alitibus atque canibus homicidam Hectorem,
postquam relictis moenibus rex procidit

543 secula *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — aere, dehinc *A B C D Cruquiana*, *Bentleius*. aerea dehinc *quinque Bentleii codices*. [*Cfr. quae Meinekius in altera editione l. l. p. XXIII monet*] — quorum] quorsum *Graeuii emendatio a N. Heinsio nobis seruata*. quo nunc *dubitanter proposuit Bentleius*

XVII In Canidiam, cuius se fingit ueneficiis superatum; et allegoricos illam deprecatur ut sibi parcat. Iambicus trimeter *Cruquiana*. Fingit se Canidiae ueneficiis superatum. allegoricōs deprecatur ut sibi parcat *A C*. *om B*. '*Hoc carmen neque Epodon inscriptam in his cod. Bland. inuenio, neque oden, sicuti nec praecedens*' *Cruquius* — 545 *hunc uersum et qui insequuntur usque ad* 596 *om. C. (uide tamen Praef. edit. primae p. VI)* — 549 defixa *D*. refixa *A B C Cruquiana*. [*De codicum Blandiniorum, quos addit Orellius, scriptura nil apud Cruquium repperi*] — 551 solue *alterum om. B* — 555 unxere *B D*. luxere *A C Bentleius*. unxere. *Lambinus .... legendum esse asserit* luxere; *quam quidem*

heu peruicacis ad pedes Achillei.
setosa duris exuere pellibus
laboriosi remiges Vlixei
uolente Circe membra: tunc mens et sonus
relapsus atque notus in uoltus honor.
dedi satis superque poenarum tibi,
amata nautis multum et institoribus.
fugit iuuentas, et uerecundus color
reliquit ossa pelle amicta lurida,
tuis capillus albus est odoribus,
nullum a labore me reclinat otium;
urguet diem nox et dies noctem, neque est
leuare tenta spiritu praecordia.
ergo negatum uincor ut credam miser,
Sabella pectus increpare carmina,
caputque Marsa dissilire nenia.
quid amplius uis? o mare, et terra, ardeo
quantum neque atro delibutus Hercules
Nessi cruore, nec Sicana feruida
uirens in Aetna flamma; tu, donec cinis

lectionem non reprobo; uerum tamen malui seruare antiquam 4. *cod. Blandiniorum et unius Diuaei; hac ratione praecipue ad id inductus, quod in duobus cod. Bland. uidi adnotata haec uerba: Vnxere legendum est, et non luxere, quibus uerbis nulla causa praeterea adscripta erat' Cruquius* — 561 Circe *ABD Cruquiana.* Circa *C et Valerius Probus p.* 1446. *P. Bentleius* — 562 relapsus *B Bentleius.* relatus *ACD.* 'relatus. *duo cod. habent* relatus, *quos secutus sum ... alii duo habent*, relapsus' *Cruquius* — uoltus *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 563 *et* 564 tibi O amata *malebat Bentleius* — 566 ossa *ABCD Cruquiana.* ora *Bentleii coniectura* — amictus *C.* amicta *Cruquiana, Orelliana* 3 — 568 a *ACD Cruquiana.* ab *B Orelliana* 3 — ocium *A* — 569 urguet *B.* urget *A Orelliana* 3. 'urget diem nox. *duo cod. habent urguet' Cruquius* — 574 mare et terra *ABCD Cruquiana.* mare, o terra *correxit ex Acrone et edito et manuscripto Bentleius* — 577 uirens *BC.* Vrens *AD.* furens *cum codicibus aliquot Bentleius.* 'uirens. *hoc participium*

iniuriosis aridus uentis ferar,
cales, uenenis officina Colchicis.
quae finis aut quod me manet stipendium?
ecfare: iussas cum fide poenas luam,
paratus expiare, seu poposceris
centum iuuencos, siue mendaci lyra
uoles sonari, tu pudica, tu proba
perambulabis astra sidus aureum.
infamis Helenae Castor offensus uice,
fraterque magni Castoris, uicti prece
adempta uati reddidere lumina:
et tu, potes nam, solue me dementia,
o nec paternis obsoleta sordibus,
neque in sepulcris pauperum prudens anus
nouendialis dissipare puluere.
tibi hospitale pectus et purae manus,
tuusque uenter Pactumeius, et tuo
cruore rubros obstetrix pannos lauit,
utcumque fortis exsilis puerpera.

in 4. *cod. scriptum tollere suo loco nolui, propterea quod mihi uideatur accommode seruire praesenti comparationi .....' Cruquius* — tu *ABC.* tum *D.* tua *et deinde uersu* 579 calet *Bentleius* — 581 effare *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 582 Paratus, expiare seu poposceris iuuencis, siue mendaci lyra Voles sonare Tu pudica, tu proba; Perambulabis .... *Bentleius in curis nouissimis* — 583 iuuencis *e uaria lectione codicis Batteliani Bentleius.* iuuencos *A Cruquiana, Orelliana* 3. *Cfr. Carminum us.* 140 — 586 uice *ABCD Cruquiana.* uicem *ex uno codice Torrentii Bentleius, Orelliana* 3 — 588 ademta *Cruquiana.* adempta *A Orelliana* 3 — reddere *B* — 591 nec *AC Cruquiana.* neque *BD* — 592 nouendialis *C.* nouendialeis *Cruquiana.* nouendiales *A Orelliana* 3 — 594 Pactumeius *AC, D in rasura, Bentleius.* pactumq; eius *B.* Partumeius *Pottierii quinque.* 'Pactumeius. *sic repperi scriptum in quattuor cod. Bland. cum Buslid. et Diuaei, et annotationibus; iccirco mutare nolui, cum parum interesse uiderem in ficticio uocabulo Pactumeiusne, an Partumeius diceretur' Cruquius* — 596 ut-

'quid obseratis auribus fundis preces?
non saxa nudis surdiora nauitis
Neptunus alto tundit hibernus salo.
inultus ut tu riseris Cotyttia
uolgata, sacrum liberi Cupidinis,
et Esquilini pontifex uenefici
inpune ut urbem nomine inpleris meo?
quid proderit ditasse Pelignas anus,
uelociusue miscuisse toxicum,
si tardiora fata te uotis manent?
ingrata misero uita ducenda est in hoc,
nouis ut usque suppetas doloribus.
optat quietem Pelopis infidi pater,
egens benignae Tantalus semper dapis,
optat Prometheus obligatus aliti,
optat supremo conlocare Sisyphus
in monte saxum: sed uetant leges Iouis.
uoles modo altis desilire turribus,
modo ense pectus Norico recludere,

cumque *A Cruquiana*. utcunque *Orelliana* 3. — exilis *A* — *Post hunc uersum in Cruquiana leguntur uerba haec:* 'Verba Canidiae respondentis et Horatio ueniam denegantis, quia eius ueneficia uulgauerat'. *in codice A:* 'Negat canidiam sibi reconciliari ideo quod ueneficia eius uolgauerit. Et ipsam Canidiam introducit loquentem' — 600 inultus ut *ACD Cruquiana*. inultus et *B* — Cocytia *BCD*. Cotytia *Cruquiana*. cocycia *A* — 601 uolgata *A Orelliana* 3. uulgata *Cruquiana* — socrum *B* — 603 inpune *B*. impune *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — impleris *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 604 proderit *ABD Cruquiana*. proderat *C Bentleius* — 606 si .... manent? *BD Cruquiana*. sed .... manent. *AC Bentleius* — te uotis] deuotis *B corr.* — 608 doloribus *AB Cruquiana*. laboribus *CD Bentleius* — 609 infidi *ABCD*. infidus *aliquot Bentleii codices*. 'infidi. *sic inueni in* 4. *cod. cum interpretatione apposita*' *Cruquius* — 611 alite *C*. aliti *A Orelliana* 3. 'obligatus aliti. *sic etiam habent* 4. *cod.*' *Cruquius* — 612 collocare *A Cruquiana*, *Orelliana* 3

frustraque uincla gutturi innectes tuo
fastidiosa tristis aegrimonia.
uectabor umeris tunc ego inimicis eques,
meaeque terra cedet insolentiae.
an quae mouere cereas imagines,
ut ipse nosti curiosus, et polo
deripere lunam uocibus possim meis
possim crematos excitare mortuos
desiderique temperare pocula
plorem artis in te nil agentis exitum.

616 innectes *ABC.* nectes *D Bentleius.* 'nectes. *duo cod. habent* nectes, *alii duo* innectes' *Cruquius* — 618 humeris *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 621 ut et ipse *Cruquiana.* ut ipse *A Orelliana* 3 — curiosus nosti *C.* nostri curiosus *A* — 622 diripere *B.* deripere *A Orelliana* 3. 'deripere. *ita scriptum est in tribus cod. sed quartus habet* diripere' *Cruquius* — possim *ABCD Cruquiana.* possum *unus Pottierii* — 624 pocula *AC Bentleius.* poculum *BD Cruquiana* — 625 nil agentis *ACD.* nihil agentis *B.* nullum habentis *Lambinus* — exitus *CD.* exitum *AB.* 'plorem artis in te nil agentis exitum. *duo cod. habent* nil agentis exitum, *alii duo* nil agentis exitus. *in unis adnotationibus scriptum est, nunquid plorem artem meam non habentem in se exitum, cum maiora possim*' *Cruquius*

Subscriptio codicis A haece est: 'Q. Horatii Flacci epodon explicit. Veteius agorius Basilius Mauortius ut. (*leg.* u. c.) et inl. excom. dom. excons. ord'. legi et ut potui emendaui conferente m mgro felice oratore urbis rome'. *Cfr. Bentleii praefat. p. X*

Q. HORATII FLACCI
SERMONVM
LIBER PRIMVS.

ECLOGA I.

Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem
seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa

I 'In tribus codicibus Blandiniis et Buslidiano pro titulo ita scriptum est: Incipit primus liber Sermonum Horatii. deinde singula poemata inscribuntur Eclogae. quinque autem alii codices nullam omnino habent inscriptionem. antiquissimus autem ex bibliotheca Blandinia ..... habet: Q. H. F. carmen seculare explicit, incipit Eclogarum liber primus, maiusculis quibusdam (ita tamen ut aliquo modo legi possent) characteribus erasis atque in eorum locis depictis aliis, qui lectori τὸ Sermonum exhibent' Cruquius. Q. Oratii Flacci Liber Sermonum incipit *A m. rec.* Satirarum liber I *inscripsit Orelliana* 3 *et Cruquiana. Libris* Sermonum, *singulis poematis* eclogae *nomen inscripsit Bentleius, uid. ipsius praef. p. VIIII. Libris* Sermonum, *singulis poematis* Satirae *nomen dedit Kirchner. Cfr. quae de singulis inscriptionibus docte exposuit Stallbaumius praef. p. XXIIII sqq.*

Ecloga I. Tantalus *Cruquiana, et quidem e codicibus ut Cruquius 'in epistola ad Lectorem Beneuolum' aperte testatur. Cfr. Kirchneri edit. p. XLII et p.* 25 *et* 26 — 2 fors *A Cruquiana, Orelliana* 3. 'seu ratio. *admodum proprie dicit rationem dare et fortunam obiicere sortem (sic enim habent manuscripti codic.)* seu fors obiecerit, *non etiam* sors obiecerit, *ut aliqui legunt, non apte' Cruquius* — illa *ACD Cruquiana.* ulla *'S et Pottierii' Orellius*

contentus uiuat, laudet diuersa sequentis?
'o fortunati mercatores!' grauis annis
miles ait multo iam fractus membra labore.
'contra mercator, nauem iactantibus austris,
'militia est potior. quid enim? concurritur: horae
momento cita mors uenit aut uictoria laeta.'
agricolam laudat iuris legumque peritus,
sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.
ille, datis uadibus qui rure extractus in urbem est,
solos felices uiuentis clamat in urbe.
cetera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem
delassare ualent Fabium. ne te morer, audi
quo rem deducam. si quis deus 'en ego' dicat
'iam faciam quod uoltis: eris tu, qui modo miles,
mercator; tu, consultus modo, rusticus: hinc uos,
uos hinc mutatis discedite partibus. heia!
quid statis?' nolint. atqui licet esse beatis.
quid causae est, merito quin illis Iuppiter ambas
iratus buccas inflet neque se fore posthac
tam facilem dicat, uotis ut praebeat aurem?
praeterea ne sic ut qui iocularia ridens
percurram: quamquam ridentem dicere uerum

3 sequentis *C.* sequentes *A Orelliana* 3. sequenteis *Cruquiana* — 4 annis *ACD Cruquiana.* armis *Bouhierius* — 6 nauem *AD.* nauim *C Cruquiana* — 8 cita mors *ACD.* 'cita mors. *sic habent* 4. *codices Bland. Tons. Diu. et Marl.*' *Cruquius.* aut cita mors *e quattuor codicibus Lambinus, Bentleius* — 10 hostia *A sed* h *littera ab ead. m. oblitterata* — 11 est *om. A* — 12 feliceis *Cruquiana* — sequenteis *Cruquiana.* sequentes *A Orelliana* 3 — cantat *C* — 16 uultis *A Cruquiana.* uoltis *Orelliana* 3 — 18 mittatis *A* — heia *A.* eia *Cruquiana, Orelliana* 3 — 19 nolint *AD.* nolent *C.* 'nolint. *sic scriptum est in omnibus codic. ut sit modi potentialis*' *Cruquius* — 20 clausae *A* — Iupiter *Cruquiana* — 21 post haec *Cruquiana* — 27 amoto] amisso *C* — 28 '*Ad Horatii artem qui attenderit haud inuitus*

quid uetat? ut pueris olim dant crustula blandi doctores, elementa uelint ut discere prima:
sed tamen amoto quaeramus seria ludo.
ille grauem duro terram qui uertit aratro,
perfidus hic caupo, miles nautaeque per omne
audaces mare qui currunt, hac mente laborem
sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,
aiunt, cum sibi sint congesta cibaria: sicut
paruola, nam exemplo est, magni formica laboris
ore trahit quodcumque potest atque addit aceruo
quem struit, haud ignara ac non incauta futuri.
quae, simul inuersum contristat Aquarius annum,
non usquam prorepit et illis utitur ante
quaesitis sapiens, cum te neque feruidus aestus
demoueat lucro, neque hiems, ignis, mare, ferrum,
nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter.
quid iuuat inmensum te argenti pondus et auri
furtim defossa timidum deponere terra?
'quod,' si conminuas, uilem redigatur ad assem.'
at ni id fit, quid habet pulchri constructus aceruus?
milia frumenti tua triuerit area centum,
non tuus hoc capiet uenter plus ac meus: ut si

opinor concedet scribendum esse duro qui terram uertit aratro' *Meinekius l. l. p. XXIII sq.* — 29 perfidus hic caupo *A Cruquiana, Orelliana* 3; *cfr. quas ad hunc locum congessit uirorum doctorum coniecturas Kirchner in noua Sermonum editione Lips.* 1854 *tom. I p.* 31 *sq.* — 33 paruula *A Orelliana* 3. 'paruola *habent Bland. codices' Cruquius* — 38 patiens *ACD.* 'sapiens. *in hoc consentiunt omnes manuscripti codices' Cruquius* — 39 dimoueat *A.* demoueat *CD.* 'demoueat. *in omnibus scriptis praeter Mart.' Cruquius* — 40 nescit *A* — 41 immensum *A Cruquiana, Orelliana* 3, *item uers.* 43 comminuas — 42 tumdum *A* — 45 milia *A Orelliana* 3. 'milia. *per* 1 *unicum in omnibus scriptis' Cruquius* — 46 plus quam *AD Cruquiana.* plus ac *C Bentleius*

reticulum panis uenalis inter onusto
forte uehas umero, nihilo plus accipias quam
qui nil portarit. uel dic quid referat intra
naturae finis uiuenti, iugera centum an
mille aret? 'at suaue est ex magno tollere aceruo.'
dum ex paruo nobis tantundem haurire relinquas,
cur tua plus laudes cumeris granaria nostris?
ut tibi si sit opus liquidi non amplius urna
uel cyatho, et dicas 'magno de flumine mallem
quam ex hoc fonticulo tantundem sumere.' eo fit,
plenior ut siquos delectet copia iusto,
cum ripa simul auolsos ferat Aufidus acer.
at qui tantulo eget quanto est opus, is neque limo
turbatam haurit aquam, neque uitam amittit in undis.
at bona pars hominum decepta cupidine falso
'nil satis est' inquit, 'quia tanti quantum habeas sis.'
quid facias illi? iubeas miserum esse, libenter
quatinus id facit: ut quidam memoratur Athenis
sordidus ac diues, populi contemnere uoces
sic solitus, 'populus me sibilat, at mihi plaudo
ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.'

47 uenaleis *Cruquiana*. uenales *A Orelliana* 3 — 48 humero *A Cruquiana*, *Orelliana* 3; *cfr. Wagneri Orthogr. Verg. p.* 477 — nichilum *A* — 50 finis *A*. fines *Orelliana* 3. fineis *Cruquiana* — 52 haurire relinquas *A m. alt. add.* — 55 mallem *ACD Cruquiana*. malim *e codicibus Bentleius* — 58 auulsus *A*. auulsos *Cruquiana*. auolsos *Orelliana* 3 — 59 tanto *A*. tantuli *C*. tantulo *D Cruquiana* — quanto est *AD Cruquiana*. quantost *C*. quantum est *e codicibus Lambinus*, *Bentleius* — 60 nec *D et Bentleius* — uitā mittit *A* — 61 ut *A* — 64 quatenus *A Orelliana* 3. 'quatinus. *sic habent codices Bland. Mart. et Tons. cum hac adnotatione: quia seruit pecuniae' Cruquius* — 67 archa *A* — 68 alabris *A* — 71 tamquam *A Orelliana* 3. tanquam *Cruquiana*, *sic etiam uers.* 72 — 72 aut] ac *D* — 73 quo *A Orelliana* 3. quid *Cruquiana*. 'quo. *sic legitur in* 3. *Bland. Tons.*

Tantalus a labris sitiens fugientia captat
flumina — quid rides? mutato nomine de te
fabula narratur: congestis undique saccis
indormis inhians, et tamquam parcere sacris
cogeris aut pictis tamquam gaudere tabellis.
nescis quo ualeat nummus, quem praebeat usum?
panis ematur, holus, uini sextarius, adde
quis humana sibi doleat natura negatis.
an uigilare metu exanimem, noctesque diesque
formidare malos fures, incendia, seruos,
ne te conpilent fugientes, hoc iuuat? horum
semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.
at si condoluit temptatum frigore corpus,
aut alius casus lecto te adflixit, habes qui
adsideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
suscitet ac gnatis reddat carisque propinquis?
non uxor saluum te uolt, non filius; omnes
uicini oderunt, noti, pueri atque puellae.
miraris, cum tu argento post omnia ponas,
si nemo praestet quem non merearis amorem?
at si cognatos, nullo natura labore

Busl. Diu. codic.' *Cruquius.* — 74 holus *A.* olus *Cruquiana*, *Orelliana* 3; *cfr. Wagneri Orthogr. Verg. p.* 442, *Schneideri elem. p.* 185 — 75 queis *Cruquiana* — 76 an inuigilare *A* — 78 compilent *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 79 optarim *A Cruquiana.* optarem *CD* — bonorum] malorum *C* — 80 temptatum *A.* tentatum *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 81 afflixit *ACD.* adfixit *cum exemplaribus aliquibus Bentleius.* 'afflixit, *habent omnes codices praeter Tons. qui habet* affixit' *Cruquius* — 82 assideat *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 83 ac reddat gnatis (*s.* natis) *CD.* ac gnatis reddat *A.* 'ac reddat na. *tres Bland. codices habent* ac gnatis reddat, *quod magis est sonorum*' *Cruquius* — 84 uolt *Orelliana* 3. uult *A Cruquiana* — 86 miraris *alt. m.* cur *suprascr. A* — 88 at *AD Cruquiana.* an *C.* 'at si cognatos. *in duobus Bland. codicibus reperi haec interrogatiue scripta per* an *ad eum*

quos tibi dat, retinere uelis seruareque amicos,
infelix operam perdas, ut si quis asellum
in campo doceat parentem currere frenis.
denique sit finis quaerendi, cumque habeas plus,
pauperiem metuas minus, et finire laborem
incipias parto quod auebas; ne facias quod
Vmmidius quidam. non longa est fabula. diues
ut metiretur nummos, ita sordidus ut se
non umquam seruo melius uestiret, ad usque
supremum tempus ne se penuria uictus
opprimeret metuebat. at hunc liberta securi
diuisit medium, fortissima Tyndaridarum.
'quid mi igitur suades? ut uiuam Naeuius aut sic
ut Nomentanus?' pergis pugnantia secum
frontibus aduersis conponere. non ego auarum
cum ueto te fieri, uappam iubeo ac nebulonem.
est inter Tanain quiddam socerumque Viselli:

usque uersum denique sit finis' *Cruquius* — 90 perdas *A Orelliana* 3. 'perdas. *codex unus Bland. habet* perdes. *Mart.* perdis. *reliqui omnes* perdas' *Cruquius* — 91 in campum *A.* in campo *Orelliana* 3. 'in campo. *sic scriptum est in omnibus antiquis, ut sit motus in loco*' *Cruquius* — 92 quoque *Cruquiana* — 94 ne facias *ACD.* nec facias *Cruquiana.* 'ne facias. *in hac scriptura consentiunt omnes scripti codices*' *Cruquius* — 95 Vmmidius *D Bentleius.* Vmidius *AC.* Numidius *Cruquiana.* '.... *hactenus Charisius, apud quem etiam uides seruatam hanc dictionem*, Numidius, *de qua etiamnum magna fuit controuersia ex codicibus manusc. quaenam ea esset, an* Vmidius, Vmmidius, Humidius, Fufidius, *an* Vuidius, *legi deberet .....*' *Cruquius* — quidam] qui tam *Bentleii coniectura* — 97 unquam *Cruquiana.* umquam *A Orelliana* 3 — 98 opprimerat *A* — 101 Neuius *CD*, *A m. alt.* nenius *A pr. m.* 'ut uiuam Naeuius, aut sic ut No. *sic habent omnes scripti codices*' *Cruquius.* Maenius *Bentleius* — aut sic] an sic *AC* — 103 componere *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 104 luxuriosum uappam *A* — aut ac *A* — 105 Tanain *C.* tana in *A.* Tanaim *D Cruquiana* — li-

est modus in rebus, sunt certi denique fines,
quos ultra citraque nequit consistere rectum.
illuc unde abii redeo, qui nemo, ut auarus,
se probet ac potius laudet diuersa sequentis,
quodque aliena capella gerat distentius uber,
tabescat, neque se maiori pauperiorum
turbae conparet, hunc atque hunc superare laboret,
sic festinanti semper locupletior obstet,
ut, cum carceribus missos rapit ungula currus,
instat equis auriga suos uincentibus, illum
praeteritum temnens extremos inter euntem.
inde fit ut raro, qui se uixisse beatum
dicat et exacto contentus tempore uita
cedat uti conuiua satur, reperire queamus.
iam satis est. ne me Crispini scrinia lippi
conpilasse putes, uerbum non amplius addam.

selli *A m. alt. add.* — 106 certi] recti *D* — 108 nemon' ut auarus *CD*. ne nemon ñ ut auarus *A*. ᶜnemon' ut auarus. *haec uulgaris lectio in duobus est cod. Bland. Diuaei, Tonsani, Mart. Busl. Nan. sed tertius Blandin. habet* nemo ut auarus ..... *quartus autem Bland. et antiquissimus habet*, qui nemo ut auarus, *quae lectio mihi uidetur optima. In Diuaei codice τὸ* qui *ponitur supra τὸ* ac *postea*, ac potius laudat' *Cruquius.* nunc nemo ut auarus *Ritschelius coniecit.* nemo umquam ut auarus *Kirchner scribendum proponit l. l. p.* 42 — 109 ac *A Orelliana* 3. ᶜac potius laudat. *Bland. antiquiss. cod. et Sil. habent* at' *Cruquius* — sequenteis *Cruquiana.* sequentes *A Orelliana* 3 — 111 meliorî *Cruquiana* — 112 conparet *A* — 113 obstat *A Cruquiana, Orelliana* 3. ᶜlocupletior obstet. *sic habet codex Tonsanus sine ulla litura' Cruquius* — 115 suis *AD* — 118 uita *A Orelliana* 3. uitae *D*. ᶜuita cedat. *haec est uera et genuina lectio; in ea namque correspondent omnes cod. manusc. praeter Diuae.' Cruquius* — 120 lippum *Bentleii coniectura* — 121 compilasse *A Cruquiana, Orelliana* 3

ECLOGA II.

Ambubaiarum conlegia, pharmacopolae,
mendici, mimae, balatrones, hoc genus omne
maestum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli.
quippe benignus erat. contra hic, ne prodigus esse
dicatur metuens, inopi dare nolit amico,
frigus quo duramque famem propellere possit.
hunc si perconteris, aui cur atque parentis
praeclaram ingrata stringat malus ingluuie rem,
omnia conductis coemens obsonia nummis:
sordidus atque animi quod parui nolit haberi,
respondet. laudatur ab his, culpatur ab illis.
Fufidius uappae famam timet ac nebulonis
diues agris, diues positis in fenore nummis:
quinas hic capiti mercedes exsecat, atque
quanto perditior quisque est, tanto acrius urguet;
nomina sectatur, modo sumpta ueste uirili,
sub patribus duris tironum. 'maxime' quis non
'Iuppiter!' exclamat, simul atque audiuit? 'at in se

'Ecloga II Cupiennius' *Cruquiana inscripsit* — 122 collegia *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 124 Tigilli *A* — 127 quod urāque *A* — propellere *A C D.* depellere *Cruquiana et e quattuor codicibus Bentleius* — 128 percuncteris *Cruquiana* — 129 'stringat uen^{s} ingluuie (*sic fere*) *C' Orellius* — 131 parui quod *Cruquiana* — 133 Futidius *A.* 'Fufidius uappae. *Codex Bland. antiquiss. habet Futidius. Mart. uero* Fufidius' *Cruquius.* Fufidius *Orelliana* 3 — famam *Orelliana* 3. 'famam. *codex Tons. habet,* nomen' *Cruquius* — 134 *hunc uersum uncis inclusit ut spurium edit. Weidmanniana; in marginem relegauit Meinekius conl. Lachmann. Philol. uol. I p.* 166, *cfr. l. l. p. XXIIII* — 135 exsecat *A Orelliana* 3. exigit *Cruquiana.* 'quinas hic capiti exsecat. *exsecat scriptum est in omnibus codicibus' Cruquius* — 136 urget *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 137 sumta *Cruquiana.* sumpta *A Orelliana* 3 — 139 exclamat *A C D.* exclamet *Cruquiana* — at in se *A Orelliana* 3. 'at in se. *sic habent omnes cod. praeter Diuae.*

pro quaestu sumptum facit hic.' uix credere possis,
quam sibi non sit amicus, ita ut pater ille, Terenti
fabula quem miserum gnato uixisse fugato
inducit, non se peius cruciauerit atque hic.
siquis nunc quaerat: 'quo res haec pertinet?', illuc:
dum uitant stulti uitia, in contraria currunt.
Malthinus tunicis demissis ambulat; est qui
inguen ad obscaenum subductis usque facetus.
pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum.
nil medium est. sunt qui nolint tetigisse nisi illas
quarum subsuta talos tegat instita ueste:
contra alius nullam nisi olenti in fornice stantem.
quidam notus homo cum exiret fornice, 'macte
uirtute esto' inquit sententia dia Catonis:
'nam simul ac uenas inflauit taetra libido,
huc iuuenes aequum est descendere, non alienas
permolere uxores.' 'nolim laudarier' inquit
'sic me' mirator cunni Cupiennius albi.
audire est operae pretium, procedere recte
qui moechos non uoltis, ut omni parte laborent,

in se, pro, erga se, per enallagen' Cruquius. at ipse *D* — 140 sumtum *Cruquiana.* sumptum *A Orelliana* 3 — facit. hic *Cruquiana.* facit. hoc *A.* facit hoc *D.* facit hic *Orelliana* 3 — 142 nato *Cruquiana.* gnato *A Orelliana* 3 — 146 Maltinus *AC.* Malthinus *Cruquiana.* Malchinus *D Bentleius* — 147 obscenum *A Cruquiana.* obscoenum *Orelliana* 3 — 148 Gaorgonius *C.* Galgonius *A.* Gorgonius *Cruquiana.* Gargonius *Orelliana* 3, *Bentleius* — 151 olente *Bentleius 'ad morem Horatianum'* — fornice stantem macte *A* — 152 *hic uersus ab eadem alt. m. quae* stantem *supra scripsit, additus est* — 154 tetra *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 159 moechis *ACD Cruquiana.* moechos *Orelliana* 3, *Bentleius.* — procedere recte qui moechis rem uoltis *Meinekius p. XXIIII, quo similior euadat locus Ennianis uersibus ab Acrone conparatis. Vid. Ennianae poesis reliq. ed. Vahlen p.* 68 — uultis *A Cruquiana.* uoltis *Orelliana* 3

utque illis multo corrupta dolore uoluptas
atque haec rara cadat dura inter saepe pericla.
hic se praecipitem tecto dedit; ille flagellis
ad mortem caesus; fugiens hic decidit acrem
praedonum in turbam; dedit hic pro corpore nummos;
hunc perminxerunt calones; quin etiam illud
accidit, ut cuidam testis caudamque salacem
demeterent ferro. 'iure' omnes: Galba negabat.
tutior at quanto merx est in classe secunda,
libertinarum dico: Salustius in quas
non minus insanit quam qui moechatur. at hic si,
qua res, qua ratio suaderet, quaque modeste
munifico esse licet, uellet bonus atque benignus
esse, daret quantum satis esset, nec sibi damno
dedecorique foret. uerum hoc se amplectitur uno,
hoc amat et laudat: 'matronam nullam ego tango.'
ut quondam Marsaeus, amator Originis ille,
qui patrium mimae donat fundumque laremque,
'nil fuerit mi' inquit 'cum uxoribus umquam alienis.'
uerum est cum mimis, est cum meretricibus; unde

164 de' ni pro *A pr. m.* — 165 calones *A* serui — 166 quidam *ACD.* cuidam *Cruquiana*, *Bentleius.* 'ut cuidam t. *Lambini emendationem ex uetustis codic. non possum non amplecti cum et in codice Tons.* τὸ cuidam *expresse sit adscriptum et in codice Diuae. dictione*, ferro, *maculata uideatur ultima syllaba, atque pro, um, substitutum sit, o. fortasse notatur Carbo, quem Babienus deprehensum foedum in modum castrasse dicitur' Cruquius* — testeis *Cruquiana.* testes *A Orelliana* 3 — 167 demeteret ferrum *Cruquiana.* demeteret ferro *ACD.* demeterent ferro *Barthii et Bentleii coniectura* — 168 at *Cruquiana*, *Orelliana* 3. et *A* at — 169 Salustius *AC.* Sallustius *Cruquiana* — in qua *ex codice Regio Bentleius* — 170 at hic si *Cruquiana*, *Orelliana* 3. ut hic si *A et pr. m. D.* 'at si qua. *qua, in Tonsano cod. id est, quatenus. In Diuae. qua, id est, in quantum' Cruquius.* si sit *C* — 172 munifico *A Orelliana* 3. munificō um *D.* 'munifico. *sic habent omnes codices praeter*

fama malum grauius quam res trahit. an tibi
abunde
personam satis est, non illud, quidquid ubique
officit, euitare? bonam deperdere famam,
rem patris oblimare, malum est ubicumque. quid inter
est in matrona, ancilla peccesne togata?
Villius in Fausta Sullae gener, hoc miser uno
nomine deceptus, poenas dedit usque superque
quam satis est, pugnis caesus ferroque petitus,
exclusus fore, cum Longarenus foret intus.
huic si mutonis uerbis mala tanta uidentis
diceret haec animus 'quid uis tibi? numquid ego a te
magno prognatum deposco consule cunnum
uelatumque stola, mea cum conferbuit ira?'
quid responderet? 'magno patre nata puella est.'
at quanto meliora monet pugnantiaque istis
diues opis natura suae, tu si modo recte
dispensare uelis ac non fugienda petendis
inmiscere. tuo uitio rerumne labores,
nil referre putas? quare, ne paeniteat te,

Diuae. et Busl. qui habent munificum' *Cruquius* — 175 et laudat *ACD.* 'hoc amat, hoc laudat. *cod. Tons. Diuae. Mart. et unus Blan. habent*, hoc amat et laudat' *Cruquius* — 177 patrum *A pr. m.* — 178 michi *A* (*ubique ut* nichil) — unquam *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 183 '*certissimum est perperam in Horatii sermonum I* 2, 62 *plerosque scribere:* quid inter-Est' *Lachmannus in comment. ad Lucret. p.* 82 — ubicunque *Orelliana* 3. ubicumque *A Cruquiana* — 184 peccesue *ACD.* peccesne *Bentleius e tribus codicibus.* 'matrona, ancilla peccesue to. *sic habent omnes codices scripti, non etiam* peccesne' *Cruquius* — 185 Tillius *D* — in fauta sille *A* — genero *scribendum uidetur Meinekio l. l. p. XXIIII sq.* — 189 muttonis *A* — uidentis *Cruquiana.* uidenti *ACD Bentleius* — 190 tibi uis *A pr. m.* — nunquid *Cruquiana.* numquid *A Orelliana* 3 — 194 ad *A* — 197 immiscere *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 198 poeniteat *Cruquiana*, *Orelliana* 3. peniteat *A*

desine matronas sectarier, unde laboris
plus haurire mali est quam ex re decerpere fructus.
nec magis huic, inter niueos uiridisque lapillos,
sit licet hoc, Cerinthe, tuum, tenerum est femur aut crus
rectius; atque etiam melius persaepe togatae est.
adde huc quod mercem sine fucis gestat; aperte
quod uenale habet ostendit; nec siquid honesti est
iactat habetque palam, quaerit quo turpia celet.
regibus hic mos est, ubi equos mercantur; opertos
inspiciunt, ne si facies, ut saepe, decora
molli fulta pede est, emptorem inducat hiantem,
quod pulchrae clunes, breue quod caput, ardua
ceruix.
hoc illi recte: ne corporis optima Lyncei
contemplere oculis, Hypsaea caecior illa
quae mala sunt spectes. 'o crus, o brachia!' uerum
depugis, nasuta, breui latere ac pede longo est.

199 sectari matronas *AC.* matronas sectarier *Cruquiana, Orelliana* 3 — 201 uirideisq. *Cruquiana.* uiridesque *Orelliana* 3. uiridisque *A* — nec] hoc *A* — 202 Sit licet hoc, Cerinthe, tuum *CD Cruquiana.* sit licet hocerinthe tuum *A.* sit licet, o Cerinthe, tuo *e codicibus Bentleius.* 'sit licet hoc Cer. *horum trium uersuum sese continuo subsequentium uaria est lectio. Tons. cum Diuae. codice habet*, sit licet, o Caerinthe, tuum *etc. Bland. unus*, sit licet haec Caerinthe tuum. *Martinius cum reliquis*, sit licet hoc Caerinthe tuum, tenerum est femur, aut crus rectius, atque etiam melius persaepe togatae est' *Cruquius* — 203 est *om. AC et Cruquiana* — 205 neque *D Bentleius.* nec *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 206 q̄d pia *A* — 207 *ab hoc uersu noua Ecloga incipit in A* — opertos *A Orelliana* 3. 'opertos inspiciūt ..... *habent omnia (scripta) τὸ opertos contra Pseudoporphyrionem, qui legit*, apertos, *cum uulgatis aliquot libris*' *Cruquius* — 208 faciās *A* — 209 emptorem *A Orelliana* 3. emtorem *Cruquiana* — ducat *contra libros Bentleius, coll. Pers. V* 176 — 211 Lyncei *C.* Linceis *DA.* 'ne cor. o. L. *Lyncei, habet codex Bland. uetustiss. quem secuti sumus*' *Cruquius* — tu corporis .. contempla-

matronae praeter faciem nil cernere possis,
cetera, ni Catia est, demissa ueste tegentis.
si interdicta petes, uallo circumdata (nam te
hoc facit insanum) multae tibi tum officient res,
custodes, lectica, ciniflones, parasitae,
ad talos stola demissa et circumdata palla,
plurima, quae inuideant pure adparere tibi rem.
altera, nil obstat; Cois tibi paene uidere est
ut nudam, ne crure malo, ne sit pede turpi;
metiri possis oculo latus. an tibi mauis
insidias fieri pretiumque auellier ante
quam mercem ostendi? 'leporem uenator ut alta
in niue sectetur, positum sic tangere nolit'
cantat, et adponit 'meus est amor huic similis: nam
transuolat in medio posita et fugientia captat.'
hiscine uersiculis speras tibi posse dolores
atque aestus curasque grauis e pectore tolli?

ris ..... spectas *Bentleii coniectura* — 213 malas spectes *A* — 214 depugis *Orelliana* 3. depygis *A Cruquiana.* 'depugis. *sic habent omnes Bland. codices in quibus y fere per u scribitur' Cruquius* — 216 Catia] copia *C* — 217 circumdate *A* — 218 officiunt *D corr.* officient *A Orelliana* 3. 'tum officient res. *sic habet codex Bland. antiquiss. reliqui omnes scripti*, officiunt. *unus autem Bland. habet*, dum officiunt res' *Cruquius* — 220 dimissa *A* — 221 apparere *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 223 ut nudam *A Orelliana* 3. '*codex unus Bland. habet*, ut nudum' *Cruquius* — 227 sectetur *A Orelliana* 3. sectatur *Lambinus.* 'in niue sectetur. *sic scriptum est in omnibus codicibus praeter Diuaei, in quo ponitur*, sectatur' *Cruquius* — 228 apponit *Cruquiana*, *Orelliana* 3. opponit *D pr. m.* — 230 hiscine *A Orelliana* 3. 'hiscine (*sic habent omnes scripti libri quos legere mihi contigit*) uersiculis .....' *Cruquius.* hiscene *Cruquiana* — 231 grauis *A.* graueis *Cruquiana.* graues *Orelliana* 3 — pelli *CD.* illi (*sic*) *A adscripto ab altera manu* pelli. 'e pectore tolli. *sic habet codex Bland. antiquissimus, quem secutus sum, praecipue propter euphoniam' Cruquius*

nonne, cupidinibus statuat natura modum quem,
quid latura, sibi quid sit dolitura negatum,
quaerere plus prodest et inane abscindere soldo?
num, tibi cum faucis urit sitis, aurea quaeris
pocula? num esuriens fastidis omnia praeter
pauonem rhombumque? tument tibi cum inguina, num, si
ancilla aut uerna est praesto puer, impetus in quem
continuo fiat, malis tentigine rumpi?
non ego: namque parabilem amo uenerem facilemque.
illam 'post paullo; sed pluris; si exierit uir' ·
Gallis, hanc Philodemus ait sibi quae neque magno
stet pretio neque cunctetur, cum est iussa uenire.
candida rectaque sit; munda hactenus ut neque longa
nec magis alba uelit quam dat natura uideri.
haec ubi supposuit dextro corpus mihi laeuum,
Ilia et Egeria est; do nomen quodlibet illi,
nec uereor ne, dum futuo, uir rure recurrat,
ianua frangatur, latret canis, undique magno
pulsa domus strepitu resonet, uepallida lecto
desiliat mulier, miseram se conscia clamet,

232 statuat *ACD.* statuit *codices aliquot, Lambinus alii.* 'statuat. *statuere debet, ut sit modi potentialis. in hoc etiã secutus sum scriptos codices' Cruquius* — 235 fauceis *Cruquiana.* fauces *A Orelliana* 3 — 242 Gallius *A* — 243 nec *Bentleius.* nq̣ᶜ *A* — 245 dat *ACD.* det *Cruquiana* — 246 dextro .. laeuum *AD.* dextro .. laeuo *C.* 'haec ubi supposuit. *Codex Tonsanus habet* dextrum corpus mihi laeuo' *Cruquius* — 248 uereor *A* — 249 latrat *A* — 250 uepallida *CD.* ue pallida *A.* uel pallida *Cruquiana.* 'uepallida. *ue, hic auget, ut habet Comment. e. q. s.' Cruquius.* ne pallida *Bentleius* — 252 doti haec deprensa *cum N. Heinsio Bentleius* — 253 ac *Cruquiana.* et *ACD* — 254 pyga *A Cruquiana.* puga *Orelliana* 3

Ecloga III Tigellius *Cruquiana.* De cantu *A m. alt. in mar-*

cruribus haec metuat, doti deprensa, egomet mi.
discincta tunica fugiendum est ac pede nudo,
ne nummi pereant aut puga aut denique fama.
deprendi miserum est: Fabio uel iudice uincam.

ECLOGA III.

Omnibus hoc uitium est cantoribus, inter amicos
ut numquam inducant animum cantare rogati,
iniussi numquam desistant. Sardus habebat
ille Tigellius hoc. Caesar, qui cogere posset,
si peteret per amicitiam patris atque suam, non
quicquam proficeret; si conlibuisset, ab ouo
usque ad mala citaret 'io Bacche', modo summa
uoce, modo hac, resonat quae chordis quattuor ima.
nil aequale homini fuit illi, saepe uelut qui
currebat fugiens hostem, persaepe uelut qui
Iunonis sacra ferret; habebat saepe ducentos,
saepe decem seruos; modo reges atque tetrarchas,
omnia magna loquens, modo 'sit mihi mensa tripes et

gine additum — 257 numquam *A Cruquiana.* nunquam *Orelliana* 3, *ut etiam uersu, qui sequitur* — 259 Tigillius *A* — 261 quidquam *A Cruquiana, Orelliana* 3 — collibuisset *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 262 iteraret *Bentleii coniectura.* recitaret citaret *A* — Bacche *A Orelliana* 3. 'Io Bacche. *in uocandi casu singulariter legere potius uelim cum consensu omnium codicum scriptorum, quam Bacchae, in numero multitudinis, ita ut per Diastolen, e, prolongetur' Cruquius. Cfr. C. Lachmanni commentarium in Lucret. p.* 76. io Bacche et modo. *Sic emend. et ed. Fabr. et nuper Horkelius Analecta Hor. p.* 141 *sq.* — 263 resonet *A.* (resonans *Fabricii editio.*) resonat *Cruquiana, Orelliana* 3 — ima] una *A* — 266 habebat] alebat *Bentleius ex codicis Vossiani errore:* halebat — 268 agebat modo *A*

concha salis puri et toga quae defendere frigus
quamuis crassa queat.' deciens centena dedisses
huic parco, paucis contento, quinque diebus
nil erat in loculis. noctis uigilabat ad ipsum
mane, diem totum stertebat. nil fuit umquam
sic inpar sibi. nunc aliquis dicat mihi 'quid tu?
nullane habes uitia?' imo alia et fortasse minora.
Maenius absentem Nouium cum carperet, 'heu tu'
quidam ait, 'ignoras te an ut ignotum dare nobis
uerba putas?' 'egomet mi ignosco' Maenius inquit.
stultus et inprobus hic amor est dignusque notari.
cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
cur in amicorum uitiis tam cernis acutum
quam aut aquila aut serpens Epidaurius? at tibi contra
euenit, inquirant uitia ut tua rursus et illi.
iracundior est paullo, minus aptus acutis
naribus horum hominum; rideri possit eo quod
rusticius tonso toga defluit et male laxus
in pede calceus haeret: at est bonus, ut melior uir
non alius quisquam, at tibi amicus, at ingenium ingens
inculto latet hoc sub corpore. denique te ipsum
concute, numqua tibi uitiorum inseuerit olim

270 decies *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 272 noctes *A Orelliana* 3. nocteis *Cruquiana* — 273 dormiuit stertebat *A* — unquam *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 274 impar *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 275 immo *A Orelliana* 3, *Cruquiana.* imo *Cruquius in adnotatione* — et *AD.* 'et fortasse. *sic habent omnes codices manuscr. non* haud' *Cruquius* — minora] siora *A*, *quamquam* s *littera dubia est* — *totum uersum om. C* — 276 Maenius *ACD Cruquiana.* Mallius *I. Becker Rhen. Mus. V p.* 375 — nouum *A* — 277 aut ut ignotum *D* — 279 improbus *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 280 cum tua peruideas *ACD Cruquiana.* cum tua praeuideas *e codice Regiae Societatis Bentleius.* cum tua tu uideas *malebat idem Bentleius* — mala *ACD.* male *Bentleius.* 'mala. *quidam codices scripti habent*, male' *Cruquius* — 282 at *Cruquiana.*

natura aut etiam consuetudo mala: namque
neglectis urenda filix innascitur agris.
illuc praeuertamur, amatorem quod amicae
turpia decipiunt caecum, uitia aut etiam ipsa haec
delectant, ueluti Balbinum polypus Hagnae.
uellem in amicitia sic erraremus, et isti
errori nomen uirtus posuisset honestum.
at pater ut gnati, sic nos debemus amici
siquod sit uitium non fastidire. strabonem
adpellat paetum pater, et pullum, male paruus
si cui filius est, ut abortiuus fuit olim
Sisyphus; hunc uarum distortis cruribus, illum
balbutit scaurum, prauis fultum male talis.
parcius hic uiuit: frugi dicatur. ineptus
et iactantior hic paullo est: concinnus amicis
postulat ut uideatur. at est truculentior atque
plus aequo liber: simplex fortisque habeatur.
caldior est: acris inter numeretur. opinor,
haec res et iungit, iunctos et seruat amicos.
at nos uirtutes ipsas inuertimus atque
sincerum cupimus uas incrustare. probus quis
nobiscum uiuit, multum demissus homo ille:

ac *ACD* — 283 rursus] prorsus *A* — 284 aduncis *dubia Bentleii suspicio* — 289 incultu *A* — corpore] pectore *D* — 290 numqua] non aliqn̄ *A* — inseruit insederit *D* — 294 'haec ita *distinxi, ut* uitia *cum sequentibus iungatur, de quo recte admonuit Horkelius Anal. Hor. p.* 147' *Meinekius l. l. p. XXV* — 295 Agnae *D Cruquiana.* Hagnae *C.* igne *A* — 296 amicitias sic *A* — 298 gnati *A Orelliana* 3. nati *Cruquiana.* — 299 fastire *A* — 300 appellat *A Cruquiana, Orelliana* 3 — paruos *C* — 305 paulo *A et Orelliana* 3 *ubique.* paullo *Cruquiana ubique* — 308 acres *A Orelliana* 3. acreis *Cruquiana* — 311 cupimus] furimus *A* — 'unus *codex Bland. pro* incrustare, *habet* incurtare, *cum hac adnotatione, imminuere' Cruquius* — 312 illi *ACD.* 'illi tardo. *codex Bland. uetustiss. habet* ille, *ut iungatur τῷ probus,*

tardo cognomen, pingui damus. hic fugit omnis
insidias nullique malo latus obdit apertum,
cum genus hoc inter uitae uersemur, ubi acris
inuidia atque uigent ubi crimina: pro bene sano
ac non incauto fictum astutumque uocamus.
simplicior quis et est qualem me saepe libenter
obtulerim tibi, Maecenas, ut forte legentem
aut tacitum inpellat quouis sermone, 'molestus,
communi sensu plane caret,' inquimus. eheu
quam temere in nosmet legem sancimus iniquam!
nam uitiis nemo sine nascitur: optimus ille est,
qui minimis urguetur. amicus dulcis, ut aequum est,
cum mea conpenset uitiis bona, pluribus hisce,
si modo plura mihi bona sunt, inclinet, amari
si uolet: hac lege in trutina ponetur eadem.
qui ne tuberibus propriis offendat amicum
postulat, ignoscet uerrucis illius: aequum est

sed et interpretationes aliorum codicum supra τὸ illi, habent, probo' Cruquius — 313 tardo cognomen *A C D.* 'tardo cognomen p. d. *hanc lectionem habent omnes codices manuscripti praeter Tonsa. qui τὸ pinguis habet, sed s littera non ad latus, sed supra notata est' Cruquius.* tardo ac cognomen *Bentleius.* tardo et cognomen *Hauptius Obseruationes criticae p.* 35 — omneis *Cruquiana.* omnes *A Orelliana* 3 — 315 uersetur *A C D.* 'uersetur. *Blandin. codex antiquus habet,* uersemur. *et* ubi, *exponit, in quo tempore' Cruquius.* uersemur *Bentleius* — 316 inuidi atque *A* — 318 'simplicior quis et est. *sic habent omnes scripti manu' Cruquius, Orelliana* 3. simplicior quis at est *Bentleii codex Reginensis pro uaria lectione a manu recenti* — licenter *Praedikowius et nuper Horkelius l. l. p.* 37 *sq. correxerunt; quam emendationem 'certissimam' non in suam edit. receptam esse dolet Meinekius l. l. p. XXV* — 320 impellat *A Orelliana* 3. appellem *Cruquiana.* appellet *Lambinus.* impediat *Bentleii coniectura.* 'aut tacitum impellat. *sic habent omnes quos legi manuscripti. quare non fui ausus mutare lectionem. praesertim quod in Diu. codice haec adnotata sit interpretatio, impellat ad iram. omnes Bland. habent* impellat, *id est,*

peccatis ueniam poscentem reddere rursus.
denique, quatinus excidi penitus uitium irae,
cetera item nequeunt stultis haerentia, cur non
ponderibus modulisque suis ratio utitur, ac res
ut quaeque est ita suppliciis delicta coercet?
siquis eum seruum, patinam qui tollere iussus
semesos piscis tepidumque ligurrierit ius,
in cruce suffigat, Labeone insanior inter
sanos dicatur. quanto [hoc] furiosius atque
maius peccatum est! paullum deliquit amicus
(quod nisi concedas, habeare insuauis): acerbus
odisti et fugis ut Rusonem debitor aeris,
qui nisi, cum tristes misero uenere calendae,
mercedem aut nummos unde unde extricat, amaras
porrecto iugulo historias captiuus ut audit.
conminxit lectum potus mensaue catillum
Euandri manibus tritum deiecit: ob hanc rem,

alloquatur .....' Cruquius — quouis sermone: 'Molestus! c. s. p. c.' inquimus *sic distinxerunt etiam Kirchner et Meinekius* — 324 urguetur *A*. urgetur *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — est *om. A* — 325 cum *A C D*. cùm *Cruquiana* — compenset *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 328 quin e *A* — 329 ignoscet *A Bentleius*. ignoscat *C*, *D corr. Cruquiana* — 331 quatinus *Cruquiana*. quatenus *A Orelliana* 3 — 334 coheret *A* — 336 pisces *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — tepidumque *A C D Cruquiana*, *Bentleius*. trepidumque *Fea* — 337 Labieno *malebat Bentleius* — 338 quanto hoc furiosius *A C*. quanto furiosius *D*. 'quanto furiosius. *Codex Blandin. uetustiss. ostendit tribus subscriptis punctis τὸ hoc, uulgatum, abundare' Cruquius* — 340 quoi nisi *malebat Bentleius* — 341 Rusonem *A Orelliana* 3. 'ut Rusonem. *sic scripta fere omnia, quare D litteram arbitror accessisse ex affinitate litterae t praecedentis' Cruquius*. Drusonem *Lambinus et tres codices Bentleii* — 342 Kalendae *C D Cruquiana*. calendae *A* — 343 n̄ unde *A* — 345 comminxit *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 346 tritum] tortum *codex Regius et a sec. m. codex alter Magdalenensis probante Bentleio* — proiecit *C*

aut positum ante mea quia pullum in parte catini
sustulit esuriens, minus hoc iocundus amicus
sit mihi? quid faciam, si furtum fecerit, aut si
prodiderit conmissa fide sponsumue negarit?
quis paria esse fere placuit peccata, laborant,
cum uentum ad uerum est: sensus moresque repugnant,
atque ipsa utilitas, iusti prope mater et aequi.
cum prorepserunt primis animalia terris,
mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter
unguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro
pugnabant armis, quae post fabricauerat usus;
donec uerba, quibus uoces sensusque notarent,
nominaque inuenere: dehinc absistere bello,
oppida coeperunt munire, et ponere leges,
ne quis fur esset, neu latro, neu quis adulter.
nam fuit ante Helenam cunnus taeterrima belli
causa; sed ignotis perierunt mortibus illi,
quos uenerem incertam rapientis more ferarum
uiribus editior caedebat ut in grege taurus.
iura inuenta metu iniusti fateare necesse est,
tempora si fastosque uelis euoluere mundi.
nec natura potest iusto secernere iniquum,
diuidit ut bona diuersis, fugienda petendis,
nec uincet ratio hoc, tantundem ut peccet idemque

348 iocundus *A* — 350 commissa *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 351 queis *Cruquiana*. quis *A Orelliana* 3 — 359 asistere *A* — 362 deterrima *Cruquiana*. teterrima *A Orelliana* 3 — 364 rapientes *Cruquiana*, *Orelliana* 3. rapientis *A* — 371 cauleis *Cruquiana*. caules *Orelliana* 3. caulos *A* — infregerit *N. Heinsio auctore Bentleius* — 372 sacra diuum *ACD*. diuum sacra *Cruquiana* — 373 irroget *Cruquiana*, *Orelliana* 3. inroget *A* — 374 scutira *A* — 376 pareis *Cruquiana*. pares *A Orelliana* 3 — 377 magnis .. mineris] in agnis .. minoris *A* — 382 crisippus *A* — numquam *A* — 383 quo *AD*. qui *Orelliana* 3. quo. *unus codex*

qui teneros caulis alieni fregerit horti
et qui nocturnus sacra diuum legerit. adsit
regula, peccatis quae poenas inroget aequas,
ne scutica dignum horribili sectere flagello.
nam ut ferula caedas meritum maiora subire
uerbera non uereor, cum dicas esse paris res
furta latrociniis et magnis parua mineris
falce recisurum simili te, si tibi regnum
permittant homines. si diues, qui sapiens est,
et sutor bonus et solus formosus et est rex,
cur optas quod habes? 'non nosti quid pater' inquit
'Chrysippus dicat. sapiens crepidas sibi numquam
nec soleas fecit: sutor tamen est sapiens.' qui?
'ut quamuis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
optimus est modulator; ut Alfenus uafer, omni
abiecto instrumento artis clausaque taberna,
tonsor erat; sapiens operis sic optimus omnis
est opifex solus, sic rex.' uellunt tibi barbam
lasciui pueri; quos tu nisi fuste coerces,
urgueris turba circum te stante, miserque
rumperis et latras, magnorum maxime regum.
ne longum faciam: dum tu quadrante lauatum
rex ibis neque te quisquam stipator ineptum
praeter Crispinum sectabitur, et mihi dulces

Blan. habet qui; *sed reliqui omnes*, quo' *Cruquius* — 385 ut *om. A* — Alfenus *A*, *ut omnes libri.* Alfenius *Orellius.* 'Alfinius Varus, *ut quattuor codices Bland. in annotationibus habent apertissime .....' Cruquius* — 387 sutor *A C D.* 'clausaq. taberna. *ustrina, habet codex antiquiss. Bland. et in ipso carmine subsequenti erasis characteribus*, tonsor erat' *Cruquius.* tonsor *Bentleius* — optumus *D* — 389 coherces *A* — 390 urgueris *A.* urgeris *Cruquiana, Orelliana* 3. *hunc uersum et qui sequuntur om. C* — 394 et *A C D Cruquiana.* at *tres codices Feae probante Maduigio ad Cic. de Finn. p.* 730

ignoscent, siquid peccaro stultus, amici,
inque uicem illorum patiar delicta libenter,
priuatusque magis uiuam te rege beatus.

ECLOGA IIII.

Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae
atque alii quorum comoedia prisca uirorum est,
siquis erat dignus describi, quod malus ac fur,
quod moechus foret aut sicarius aut alioqui
famosus, multa cum libertate notabant.
hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus,
mutatis tantum pedibus numerisque; facetus,
emunctae naris, durus conponere uersus.
nam fuit hoc uitiosus: in hora saepe ducentos,
ut magnum, uersus dictabat stans pede in uno;
cum flueret lutulentus, erat quod tollere uelles;
garrulus atque piger scribendi ferre laborem,
scribendi recte; nam ut multum, nil moror. ecce
Crispinus minimo me prouocat: 'accipe, si uis,
accipiam tabulas; detur nobis locus, hora,
custodes; uideamus uter plus scribere possit.'

395 peccauero *Cruquiana.* peccabo *A.* peccaro *Orelliana* 3 IIII Crispinus *A Cruquiana* — 400 ac *AD Orelliana* 3. aut *Cruquiana* — 405 componere *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 411 minimo] nummo *Bentleii coniectura.* numero *Horkelius l. l. p.* 72 *sqq.* — 412 accipiam *D.* accipe iam *A Bentleius.* 'accipiam tab. *sic habent scripti omnes praeter Tons. et Busl., qui uulgatis consentiunt' Cruquius* — 415 loquentis *A Orelliana* 3. loquentem *auctore Lambino Bentleius.* 'raro et perpauca loquentis. *sic habent omnes et scripti et uulgati codices, quos uidi' Cruquius* — 417 laboranteis *Cruquiana.* laborantes *Orelliana* 3. 'laborantis *A* — emolliat *Bentleii coniectura* — 418 maius *A* — 420 uulgo *A* — 421 minimum *A* — plureis *Cruquiana.* plures *A Orelliana* 3. 'utpote plures culpari dignos. *non credo haec sana esse. Hor-*

di bene fecerunt inopis me quodque pusilli
finxerunt animi, raro et perpauca loquentis:
at tu conclusas hircinis follibus auras,
usque laborantis dum ferrum molliat ignis,
ut mauis, imitare. beatus Fannius ultro
delatis capsis et imagine, cum mea nemo
scripta legat uolgo recitare timentis ob hanc rem
quod sunt quos genus hoc minime iuuat, utpote pluris
culpari dignos. quemuis media elige turba:
aut ob auaritiam aut misera ambitione laborat.
hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum;
hunc capit argenti splendor; stupet Albius aere;
hic mutat mercis surgente a sole ad eum quo
uespertina tepet regio, quin per mala praeceps
fertur uti puluis conlectus turbine, nequid
summa deperdat metuens aut ampliet ut rem:
omnes hi metuunt uersus, odere poetas.
'foenum habet in cornu, longe fuge: dummodo risum
excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico;
et quodcumque semel chartis inleuerit, omnis
gestiet a furno redeuntis scire lacuque,
et pueros et anus.' agedum, pauca accipe contra.
primum ego me illorum, dederim quibus esse poetas,

kelius (l. l. p. 44 sq.) iures *tentabat pro* plures' *Meinekius l. l. p. XXV* — 422 elige *AD.* 'midia erue t. *tres Bland. cod.* Eripe, *quartus cum Tons. Busl. Nan. et Diuae. Martiniique codice habent,* elige' *Cruquius.* elige *Bentleius.* arripe *eiusdem dubia suspicio* — 423 ob auaritiam *AD Cruquiana.* ab auaritia *cum Iano Douza patre Bentleius. receperunt nuper edidt. Weidmanniana et Meinekiana* — 426 mittat *A* — merceis *Cruquiana.* merces *A Orelliana* 3 — 428 collectus *A Cruquiana, Orelliana* 3 — nequit *A* — 429 deperdet *A* — 430 poetam *Bentleii coniectura* — 432 nō non *A* — 433 inleuerit *A.* illeuerit *Cruquiana, Orelliana* 3 — omnis *A.* omneis *Cruquiana.* omnes *Orelliana* 3 — 434 redeuntis *A.* redeunteis *Cruquiana.* redeuntes *Orelliana* 3 — 436 poetas *AD Cruquiana.* poetis *cum Acrone ad uersum* 669.

excerpam numero: neque enim concludere uersum
dixeris esse satis; neque siquis scribat uti nos
sermoni propiora, putes hunc esse poetam.
ingénium cui sit, cui mens diuinior atque os
magna sonaturum, des nominis huius honorem.
idcirco quidam comoedia necne poema
esset quaesiuere, quod acer spiritus ac uis
nec uerbis nec rebus inest, nisi quod pede certo
differt sermoni, sermo merus. 'at pater ardens
saeuit, quod meretrice nepos insanus amica
filius uxorem grandi cum dote recuset,
ebrius et, magnum quod dedecus, ambulet ante
noctem cum facibus.' numquid Pomponius istis
audiret leuiora, pater si uiueret? ergo
non satis est puris uersum perscribere uerbis,
quem si dissoluas, quiuis stomachetur eodem
quo personatus pacto pater. his, ego quae nunc,
olim quae scripsit Lucilius, eripias si
tempora certa modosque et quod prius ordine uerbum est
posterius facias, praeponens ultima primis;
non, ut si soluas 'postquam Discordia taetra
belli ferratos postis portasque refregit',
inuenias etiam disiecti membra poetae.
hactenus haec: alias iustum sit necne poema.

post N. Heinsium Bentleius — 438 si quis *A*. si qui *D*. siqui *ex duobus codicibus Bentleius*. si quis *Cruquiana* — 439 propiore *A* — putas *A*. putes *D Cruquiana* — 442 iccirco *Cruquiana*. idcirco *A Orelliana* 3 — quaedam *A* — 446 nepos] nefas *scribendum uidetur Horkelio l. l. p.* 121 *sq.* — insanus *A Orelliana* 3. insanit *codices nonnulli*. 'insanus. *sic habent omnes manuscripti codices*' *Cruquius* — 457 tetra *Cruquiana*, *Orelliana* 3. terra *A* — 458 posteis *Cruquiana*. postes *A Orelliana* 3 — 465 puris uiuat *Cruquiana* — 466 Birrique *A Orelliana* 3. Byrrique *Cruquiana* — 467 sim *AC Cruquiana Bentleius*. sum *Orelliana* 3 — 469 uolgi *Orelliana* 3. uulgi *A Cruquiana* — 470

nunc illud tantum quaeram, meritone tibi sit
suspectum genus hoc scribendi. Sulcius acer
ambulat et Caprius, rauci male cumque libellis,
magnus uterque timor latronibus: at bene siquis
et uiuat puris manibus, contemnat utrumque.
ut sis tu similis Caeli Birrique latronum,
non ego sim Capri neque Sulci: cur metuas me?
nulla taberna meos habeat neque pila libellos,
quis manus insudet uolgi Hermogenisque Tigelli.
nec recito cuiquam nisi amicis, idque coactus,
non ubiuis coramue quibuslibet. in medio qui
scripta foro recitent sunt multi quique lauantes:
suaue locus uoci resonat conclusus. inanis
hoc iuuat, haud illud quaerentis, num sine sensu,
tempore num faciant alieno. 'laedere gaudes'
inquit, 'et hoc studio prauus facis.' unde petitum
hoc in me iacis? est auctor quis denique eorum
uixi cum quibus? absentem qui rodit amicum,
qui non defendit alio culpante, solutos
qui captat risus hominum famamque dicacis,
fingere qui non uisa potest, conmissa tacere
qui nequit, hic niger est, hunc tu, Romane, caueto.
saepe tribus lectis uideas cenare quaternos,
e quibus unus auet quauis aspergere cunctos

nec *AD*. non *Cruquiana* — recitem *cum codicibus Lambini Bentleius* — quicquam *e codice Magdalensi Bentleius* — 472 recitent *A Cruquiana*. recitant *D* — 473 inanis *A*. inaneis *Cruquiana*. inanes *Orelliana* 3 — 474 quaerentis *A*. quaerenteis *Cruquiana*. quaerentes *Orelliana* 3 — haud] aut *A* — 476 inquis *A*, *corr. D Cruquiana* — 481 iussa *A* — commissa *Cruquiana*, *Orelliana* 3. conmissa *A* — 483 lectis *A in litura* — uidea *A* — coenare *Cruquiana*, *Orelliana* 3. cenare *A* — 484 auet *D*. auet *A ab alt. m.*, *a prima fuisse uidetur* emet. amet *Bentleius*. 'unus auet. *unus codex Bland. habet*, amet, *qui idem habet τὸ* quamuis, *sed cum litura in' Cruquius* — quauis *Cru-*

praeter eum qui praebet aquam; post hunc quoque potus,
condita cum uerax aperit praecordia Liber.
hic tibi comis et urbanus liberque uidetur,
infesto nigris: ego si risi, quod ineptus
pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum,
liuidus et mordax uideor tibi? mentio siqua
de Capitolini furtis iniecta Petilli
te coram fuerit, defendas ut tuus est mos:
'me Capitolinus conuictore usus amicoque
a puero est, causaque mea permulta rogatus
fecit, et incolumis laetor quod uiuit in urbe;
sed tamen admiror quo pacto iudicium illud
fugerit.' hic nigrae sucus loliginis, haec est
aerugo mera: quod uitium procul afore chartis,
atque animo prius, ut siquid promittere dē me
possum aliud uere, promitto. liberius si
dixero quid, si forte iocosius, hoc mihi iuris
cum uenia dabis: insueuit pater optimus hoc me,
ut fugerem exemplis uitiorum quaeque notando.
cum me hortaretur, parce frugaliter atque
uiuerem uti contentus eo, quod mi ipse parasset,

quiana, *Orelliana* 3. q̊uis *A* — 486 libet *A* — 488 impetus *A* 489 Gargonius *AD.* Gorgonius *Cruquiana* — 492 mors *A* r *littera ab eadem manu deleta* — 495 incolomis *A* — 496 ammiror *A.* admiror *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 497 nigret *A* — succus *Cruquiana.* sucus *A Orelliana* 3 — lolliginis *A* — 498 afore *A Orelliana* 3. 'procul afore. *sic inuenio in omnibus manuscriptis, praeterquam Mart. in quo* affore *ponitur' Cruquius* — 500 aliqd *A* — 502 'insueuit pater optimus hoc me. *in hac lectione consentiunt omnes scripti codices tam mei quam ii quos Lambinus ait se legisse' Cruquius.* insueuit p. o. hoc (hŏc *A*) me *A Orelliana* 3. inseuit p. o. h. mi *Lambini coniectura* — 505 quod et ipse mi parasset *A* — 506 atque *AD.* utque *Cruquiana* — 507 Barus *AD Bentleius.* Barrus *Cruquiana*, *Orelliana* 3. 'Barus inops. *sic cum uulgato codice habent lib. Mar. Diuae. Tons. at*

'nonne uides, Albi ut male uiuat filius, utque
Barus inops? magnum documentum, ne patriam rem
perdere quis uelit:' a turpi meretricis amore
cum deterreret, 'Scetani dissimilis sis:'
ne sequerer moechas, concessa cum Venere uti
possem, 'deprensi non bella est fama Treboni'
aiebat: 'sapiens, uitatu quidque petitu
sit melius, causas reddet tibi. mi satis est, si
traditum ab antiquis morem seruare tuamque,
dum custodis eges, uitam famamque tueri
incolumem possum: simul ac durauerit aetas
membra animumque tuum, nabis sine cortice.' sic me
formabat puerum dictis, et siue iubebat
ut facerem quid, 'habes auctorem, quo facias hoc,'
unum ex iudicibus selectis obiciebat,
siue uetabat, 'an hoc inhonestum et inutile factum
necne sit, addubites, flagret rumore malo cum
hic atque ille?' auidos uicinum funus ut aegros
exanimat mortisque metu sibi parcere cogit,
sic teneros animos aliena opprobria saepe
absterrent uitiis. ex hoc ego sanus ab illis,

4 *Bland. Busl.* Baius, *Nannii uero* Varus' *Cruquius* — ut qui farris *uel* panis inops *malebat Bentleius* — 508 â (aut) turpe *A* — 509 Scetani *Bentleius*, *Orelliana* 3. 'Sectani. *cod. Bland.* 3. *et Mart.* Scetani. *Tons.* Cetani. *Diuae.* Setani. *unus Bland. habet* Sectani' *Cruquius.* Sectani *A.* Scantini *Goettling. Philol. Schneidew. I* 167 — 510 uenerit *A* — 511 bona bella *A* — 516 possum *AD Bentleius.* 'incolumem possum. *sic habent omnes manuscripti, et rectius quam* possim, *teste Diomede, quem legito*' *Cruquius.* possim *Lambinus* — incolomem *A* — 520 obiiciebat *Cruquiana*, *Orelliana* 3. obiciebat *A* — 521 uetabit *A* — factum *AD.* 'inutile factum. *sic habetur in omnibus scriptis antiquis, atque ita legendum puto*' *Cruquius.* factu *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 522 ne nesciat dubites cum *A* — malo cum] malorum *D.* malorum *A* — 525 obpropria *A*

perniciem quaecumque ferunt, mediocribus et quis
ignoscas uitiis teneor. fortassis et istinc
largiter abstulerit longa aetas, liber amicus,
consilium proprium. neque enim, cum lectulus
aut me
porticus excepit, desum mihi. 'rectius hoc est.
hoc faciens uiuam melius. sic dulcis amicis
occurram. hoc quidam non belle: numquid ego illi
inprudens olim faciam simile?' haec ego mecum
conpressis agito labris; ubi quid datur oti,
inludo chartis. hoc est mediocribus illis
ex uitiis unum: cui si concedere nolis,
multa poetarum ueniet manus, auxilio quae
sit mihi (nam multo plures sumus) ac ueluti te
Iudaei cogemus in hanc concedere turbam.

ECLOGA V.

Egressum magna me accepit Aricia Roma
hospitio modico: rhetor comes Heliodorus,
Graecorum linguam doctissimus: inde Forum Appi,
differtum nautis, cauponibus atque malignis.

527 queis *Cruquiana.* quis *A Orelliana* 3 — 531 desum̄o rectius *A* — 534 imprudens *A Cruquiana, Orelliana* 3 — hoc *A* — 535 compressis *A Cruquiana, Orelliana* 3 — otI *Cruquiana* — 536 inludo *A.* illudo *Cruquiana, Orelliana* 3 — 537 noles *Bentleii coniectura* — 538 ueniet *A.* ueniat *D Cruquiana* — 539 uelut item *A*

V ὁδοιπορικόν *Cruquiana* — 541 accepit *AD Bentleius.* excepit *Orelliana* 3. 'me accepit. *hanc lectionem habet unus cod. Blan. tres alii*, excepit. *Buslid. autem Nan. Tons. Mart.* cepit' *Cruquius* — 543 linguae *AD.* longe *Cruquiana, Orelliana* 3. 'Graecorum longe. *tres cod. Bland. Diu. Mart. habent*, linguae. *alii autem*, longe' *Cruquius.* linguam *scripsi ad exemplum Carminum uersus*

hoc iter ignaui diuisimus, altius ac nos
praecinctis unum: minus est grauis Appia tardis.
hic ego propter aquam, quod erat deterrima, uentri
indico bellum, cenantis haud animo aequo
expectans comites. iam nox inducere terris
umbras et caelo diffundere signa parabat.
tum pueri nautis, pueris conuicia nautae
ingerere. 'huc adpelle. trecentos inseris. ohe
iam satis est.' dum aes exigitur, dum mula ligatur,
tota abit hora. mali culices ranaeque palustres
auertunt somnos. absentem ut cantat amicam
multa prolutus uappa nauta atque uiator
certatim, tandem fessus dormire uiator
incipit, ac missae pastum retinacula mulae
nauta piger saxo religat stertitque supinus.
iamque dies aderat, nil cum procedere lintrem
sentimus; donec cerebrosus prosilit unus
ac mulae nautaeque caput lumbosque saligno
fuste dolat. quarta uix demum exponimur hora.
ora manusque tua lauimus, Feronia, lympha.
milia tum pransi tria repimus atque subimus
inpositum late saxis candentibus Anxur.
huc uenturus erat Maecenas optimus atque
Cocceius, missi magnis de rebus uterque

1821: docte sermones — AppI *Cruquiana* — 546 minus *A Orelliana* 3. 'minus est g. *nescio an ea lectio melior sit propter plura eius uiae pericula et incommoda, quam offendi in codice Tons. puta*, nimis est grauis' *Cruquius* — 547 ergo *A* — teterrima *ex uno codice Pulmanni Bentleius* — 548 cenantis *A*. coenanteis *Cruquiana*. coenantes *Orelliana* 3 — 549 expectans *A* — 552 appelle *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 555 ut *om. A et Cruquiana* — 560 cum nil *Cruquiana* — 564 lauimur *N. Heinsio auctore Bentleius* — 565 repimus *A Orelliana* 3. 'repimus. *habent codices Blandin. Busl. Mart. reliqui* repsimus' *Cruquius* — milia *A* — 566 impositum *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — saxis late *Orelliana* 3. late saxis *A*. 'impositum saxis. *Quidam Bland. cod. et*

legati, auersos soliti conponere amicos.
hic oculis ego nigra meis collyria lippus
inlinere. interea Maecenas aduenit atque
Cocceius Capitoque simul Fonteius, ad unguem
fastus homo, Antoni non ut magis alter amicus.
Fundos Aufidio Lusco praetore libenter
linquimus, insani ridentes praemia scribae,
praetextam et latum clauum prunaeque uatillum.
in Mamurrarum lassi deinde urbe manemus,
Murena praebente domum, Capitone culinam.
postera lux oritur multo gratissima: namque
Plotius et Varius Sinuessae Vergiliusque
occurrunt, animae qualis neque candidiores
terra tulit neque quis me sit deuinctior alter.
o qui conplexus et gaudia quanta fuerunt!
nil ego contulerim iocundo sanus amico.
proxima Campano ponti quae uillula, tectum
praebuit, et parochi quae debent ligna salemque.
hinc muli Capuae clitellas tempore ponunt.
lusum it Maecenas, dormitum ego Vergiliusque:
namque pila lippis inimicum et ludere crudis.
hinc nos Coccei recipit plenissima uilla,

Busl. habent late saxis candent.' *Cruquius* — 569 componere *A Cruquiana, Orelliana* 3, *ut uersu* 571 illinere (inlinire *A*) — 570 colliria *A* — 573 AntonI *Cruquiana* — 576 uatillum *AD*. 'prunaeq. uatillum. *sic habent codices omnes praeter Mart. et Diu. qui habent* batillum' *Cruquius. Vetus lexicon Lat. a Maio editum p.* 80: '*Batum, uas uini. Batillum, paruum batum. Horatius*' — 578 munera *A* — 580 Varus *D* — Virgiliusque *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 581 qualeis *Cruquiana.* quales *A Orelliana* 3 — 582 misit *A* — 583 complexus *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 584 iocundo *A* — 587 mulae *A* — 588 Vergiliusque *A* — 590 Cocceii *Cruquiana, Orelliana* 3. Coccei *AD* — 591 Caudi *A.* Claudi *D.* ClaudI *Cruquiana.* 'quae superest Claudi c. *Claudi habent omnes manuscripti et quidam ex iis hanc adnotationem, Claudii Neronis ..... Ptolemaeus cum Lucano et Silio Italico*, Caudium

quae super est Caudi cauponas. nunc mihi paucis
Sarmenti scurrae pugnam Messique Cicirri,
Musa, uelim memores et quo patre natus uterque
contulerit litis. Messi clarum genus Osci;
Sarmenti domina exstat: ab his maioribus orti
ad pugnam uenere. prior Sarmentus 'equi te
esse feri similem dico.' ridemus, et ipse
Messius 'accipio,' caput et mouet. 'o tua cornu
ni foret exsecto frons' inquit, 'quid faceres, cum
sic mutilus minitaris?' at illi foeda cicatrix
setosam laeui frontem turpauerat oris.
Campanum in morbum, in faciem permulta iocatus,
pastorem saltaret uti Cyclopa rogabat;
nil illi larua aut tragicis opus esse cothurnis.
multa Cicirrus ad haec. donasset iamne catenam
ex uoto Laribus, quaerebat: scriba quod esset,
nihilo deterius dominae ius esse: rogabat
denique cur umquam fugisset, cui satis una
farris libra foret, gracili sic tamque pusillo.
prorsus iocunde cenam producimus illam.
tendimus hinc recta Beneuentum; ubi sedulus hospes
paene macros arsit dum turdos uersat in igni.

legit' Cruquius — 592 cicerri *A*. Cicerrei *D pr. m.* Cicerri *D corr.*, *Cruquiana*. Cicirri *cum Regio Bentleius* — 594 liteis *Cruquiana*. lites *A Orelliana* 3 — MessI *Cruquiana*. missi *A* — 596 uenire *A* — 600 miniteris *ex quatluor Pottierii aliisque Bentleius* — 601 leui frontem turpauerat orbe *Horkelius Anal. Horat. p.* 27 *sqq.* — 602 uocatus *A* — 605 cicerrus *A* — 607 nihilo deterius *D Bentleius*. deterius nihilo *A Cruquiana*. 'nihilo deterius. *sic habent Bland.* 4. *Tons. Busl. at Diu.* deterius nihilo. *Mart. autem*, nullum deterius' *Cruquius* — 608 unquam *Orelliana* 3. nūc quā *A*. 'cur umquam. *aliquando. sic habent omnes manuscripti' Cruquius* — 609 tamquam *A* — 610 iucundam *A* (*hoc uno loco non* iocundam, *quod Kirchner narrat*) — producimus *AD*. produximus *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 611 recte *D*. recta *A Cruquiana* — 612 turdos dum *Bentleius tacite*, *de quo*

nam uaga per ueterem dilapso flamma culinam
Volcano summum properabat lambere tectum.
conuiuas auidos cenam seruosque timentis
tum rapere atque omnis restinguere uelle uideres.
incipit ex illo montis Apulia notos
ostentare mihi, quos torret Atabulus et quos
numquam erepsemus, nisi nos uicina Triuici
uilla recepisset, lacrimoso non sine fumo,
udos cum foliis ramos urente camino.
hic ego mendacem stultissimus usque puellam
ad mediam noctem expecto: somnus tamen aufert
intentum Veneri: tum inmundo somnia uisu
nocturnam uestem maculant uentremque supinum.
quattuor hinc rapimur uiginti et milia rhedis,
mansuri oppidulo, quod uersu dicere non est,
signis perfacile est. uenit uilissima rerum
hic aqua; sed panis longe pulcherrimus, ultra
callidus ut soleat umeris portare uiator:
nam Canusi lapidosus, aquae non ditior urna
qui locus a forti Diomede est conditus olim.
flentibus hic Varius discedit maestus amicis.
inde Rubos fessi peruenimus, utpote longum

uide quae recte monet Meinekius praef. p. XXIII sq. dum turdos *AD Cruquiana* — ‘paene macros arsit. *sic habent omnes scripti, quos imitor, nec quicquam censeo immutandum; est enim aperta σύγχυσις, qua figura Horatius uidetur delectari*’ *Cruquius* — igni *A Orelliana* 3, *Bentleius.* igne *Cruquiana* — 613 delapso *A* — 614 Vulcano *A Cruquiana.* Volcano *Orelliana* 3 — 615 *et* 616 timentes .. omnis *A.* timenteis .. omneis *Cruquiana.* timentes .. omnes *Orelliana* 3 — 617 monteis *Cruquiana.* montes *Orelliana* 3. montis *A* — Apulia *A Cruquiana*, *Orelliana* 3. Appulia *Bentleius alii* — 618 atalabus *A* — 619 nunquam *Orelliana* 3. numquam *A Cruquiana* — 620 lacrimos nō *A* — 623 expecto *A* — 624 immundo *Cruquiana*, *Orelliana* 3. inmundo *A* — 626 quatuor *A ubique* — redis *A* — 630 humeris *A Cruquiana*, *Orelliana ubique* — 631 ditior *A.* dulcior *D corr.* ‘aqua non

carpentes iter et factum corruptius imbri.
postera tempestas melior, uia peior ad usque
Bari moenia piscosi. dehinc Gnatia lymphis
iratis exstructa dedit risusque iocosque,
dum flamma sine tura liquescere limine sacro
persuadere cupit. credat Iudaeus Apella,
non ego. namque deos didici securum agere aeuum,
nec siquid miri faciat natura, deos id
tristis ex alto caeli demittere tecto.
Brundisium longae finis chartaeque uiaeque.

ECLOGA VI.

Non quia, Maecenas, Lydorum quidquid Etruscos
incoluit finis, nemo generosior est te,
nec quod auus tibi maternus fuit atque paternus,
olim qui magnis legionibus imperitarent,
ut plerique solent, naso suspendis adunco
ignotos, ut me libertino patre natum.
cum referre negas quali sit quisque parente

dulcior urna. *sic habet codex Busl. quam ego lectionem seruaui et praetuli antiquae tanquam genuinam' Cruquius* — 632 *hunc uersum uncis inclusit Bentleius* — 633 hinc *D Cruquiana.* hic *A, cum codicibus aliquot Bentleius* — 637 dehinc *A Cruquiana.* dein *Orelliana* 3, *Bentleius* — Gnatia] gra̅ *A* — 638 extructa *A* — 639 tura *Cruquiana.* thura *Orelliana* 3. iura *A* — limine] flumine *A* — 640 Credet *A* — 642 mirificiat *A* — 643 tristis *A.* tristeis *Cruquiana.* tristes *Orelliana* 3 — 644 est *om. A Cruquiana, Bentleius*

VI Tullius *Cruquiana* — 645 quia] qd *A* — quicquid *Cruquiana.* quidquid *Orelliana* 3 — 646 finis *A.* fineis *Cruquiana.* fines *Orelliana* 3 — 648 imperitaret *A.* imperitarent *D.* imperitarint *Cruquiana* — 650 aut *corr. D.* aut ut *A.* ut *Cruquiana* — natos *A*

natus, dum ingenuus, persuades hoc tibi uere,
ante potestatem Tulli atque ignobile regnum
multos saepe uiros nullis maioribus ortos
et uixisse probos, amplis et honoribus auctos:
contra Laeuinum, Valeri genus, unde Superbus
Tarquinius regno pulsus fugit, unius assis
non umquam pretio pluris licuisse, notante
iudice quo nosti populo, qui stultus honores
saepe dat indignis et famae seruit ineptus,
qui stupet in titulis et imaginibus. quid oportet
nos facere a uolgo longe longeque remotos?
namque esto, populus Laeuino mallet honorem
quam Decio mandare nouo, censorque moueret
Appius, ingenuo si non essem patre natus:
uel merito, quoniam in propria non pelle quiessem.
sed fulgente trahit constrictos gloria curru
non minus ignotos generosis. quo tibi, Tilli,
sumere depositum clauum fierique tribuno?
inuidia adcreuit, priuato quae minor esset.

653 TullI (*ut u.* 656 ValerI) *Cruquiana* — 657 fugit *A D pr. m.* fuit *D corr.* ᶜpulsus fuit. 4. *Bland. codices habent*, fugit, *sed reliqui*, fuit, *quos secutus sum*' *Cruquius* — 658 nō numquam *A* — pretii *D in rasura* — 659 quo nosti *AD Bentleius.* quem nosti *Lambinus.* quo, nosti? *Cruquiana.* ᶜquo nosti? populo. *hanc lectionem habent omnes scripti libri: quam etiam non immutaui, quod characteres integri et immaculati fuere*' *Cruquius* — 662 uulgo *A Cruquiana.* uolgo *Orelliana* 3 — uos *Bentleius coniecit* — longe lateque *A.* longe loṅgeque *Orelliana* 3. ᶜlonge longeque rem. *sic habent libri omnes scripti, quorum lectionem tanquam genuinam seruaui*' *Cruquius* — 663 ᶜ*fortasse:* esto, ut populus. *u. Bentl. ad III Od.* 1, 9' *Kirchner* — mallit *A* — 667 ᶜconstrictos. *Codex Tonsanus habet τὸ* constructos' *Cruquius* — 668 Tulli *Cruquiana.* Tilli *AD* — 670 accreuit *A Cruquiana, Orelliana* 3, *ut uersu qui sequitur* impediit — 672 dimisit *A* — 673 quis homo hic est? quo patre n. *D.* quis homo hic? et quo p. n. *A.* q. h. hic, aut q. p. n. *Bentleius.* ᶜquis homo est hic?

nam ut quisque insanus nigris medium inpediit crus
pellibus et latum demisit pectore clauum,
audit continuo 'quis homo est hic? quo patre natus?'
ut siqui aegrotet quo morbo Barrus, haberi et
percupiat formosus, eat quacumque, puellis
iniciat curam quaerendi singula, quali
sit facie, sura, quali pede, dente, capillo;
sic qui promittit, ciuis, urbem sibi curae,
imperium fore et Italiam, delubra deorum,
quo patre sit natus, num ignota matre inhonestus,
omnis mortalis curare et quaerere cogit.
'tune, Syri, Damae, aut Dionysi filius, audes
deicere e saxo ciuis aut tradere Cadmo?
at Nouius conlega gradu post me sedet uno:
namque est ille, pater quod erat meus.' 'hoc tibi Paullus
et Messalla uideris? at hic, si plostra ducenta
concurrantque foro tria funera, magna sonabit
cornua quod uincatque tubas: saltem tenet hoc nos.'

quo pat. n. *sic habent omnes manuscripti' Cruquius* — 674 'Barrus. *codex Diuaei habet*, Varus' *Cruquius* — 675 et cupiat ***D***. pcupiat (percupiat) *A*. 'et cupiat. *sic scriptum est in omnibus cod. praeterquam Diuaei, ubi τὸ* ut *ponitur' Cruquius* — 676 iniiciat *Cruquiana*, *Orelliana* 3. illiciat *A* — 678 sit *A* — ciueis *Cruquiana*. ciues *Orelliana* 3. cuius *A* — curet *A* — 679 Italiam, delubra *DA*. Italiam et delubra *Cruquiana*, *Bentleius* — 681 omnis mortalis *A*. omneis mortaleis *Cruquiana*. omnes mortales *Orelliana* 3 — cogat *A* — 683 deiicere *Cruquiana*, *Orelliana* 3. deiecere *A* — e *A Cruquiana*, *Orelliana* 3. *Cfr. Philol. Schneidew. III p.* 541 — ciueis *Cruquiana*. cuius *A*. ciues *Orelliana* 3 — Cadmo *A Orelliana* 3. 'Cadmo ..... *Diuaei codex habet* chamo ..... *codex autem Martinius cum Busl. et Nann. legunt*, Camo' *Cruquius* — 684 collega *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 685 paulus *A* — 686 messala *A*. Messalla *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — plostra *AD Cruquiana*. plaustra *alii codices apud Kirchnerum* — 688 tenet *om. A*

nunc ad me redeo libertino patre natum,
quem rodunt omnes libertino patre natum,
nunc, quia sim tibi, Maecenas, conuictor, at olim,
quod mihi pareret legio Romana tribuno.
dissimile hoc illi est; quia non, ut forsit honorem
iure mihi inuideat quiuis, ita te quoque amicum,
praesertim cautum dignos adsumere, praua
ambitione procul. felicem dicere non hoc
me possim, casu quod te sortitus amicum:
nulla etenim mihi te fors obtulit; optimus olim
Vergilius, post hunc Varius dixere quid essem.
ut ueni coram, singultim pauca locutus
(infans namque pudor prohibebat plura profari)
non ego me claro natum patre, non ego circum
me Satureiano uectari rura caballo,
sed quod eram narro. respondes, ut tuus est mos,
pauca: abeo: et reuocas nono post mense iubesque
esse in amicorum numero. magnum hoc ego duco,
quod placui tibi, qui turpi secernis honestum,
non patre praeclaro, sed uita et pectore puro.
atqui si uitiis mediocribus ac mea paucis
mendosa est natura, alioqui recta, uelut si

690 natus *A* — 691 sim *A Cruquiana.* sum *D Bentleius. Praeterea:* Maecenas, tibi sim *Cruquiana* — 693 forsit *D.* fors sit *A.* ‘forsit. *sic habent omnes manuscripti codices, uetusto more, pro* forsitan’ *Cruquius. Cfr. Priscian. p.* 1015. *P. Hand. Tursell. II p.* 713 — 694 ita quiq. te amicum *A* — 695 adsumere *A.* assumere *Cruquiana, Orelliana* 3 — 697 possim *A, D pr. m.* possum *D corr.* ‘possim. *sic habent omnes libri scripti, et ea genuina est lectio. at Tons. tamen habet,* possum’ *Cruquius.* possunt *duce Commentatore Cruquiano Bentleius* — casui quo *A* — 698 tibi me *Bentleius.* mihi te *DA Cruquiana* — 699 Virgilius *A Cruquiana, Orelliana* 3 — Varus *D* — 704 tutus *A* — 707 qui] $\overline{\text{qd}}$ *A* — 708 uitae pectore *D in rasura* — 710 alioquin *D* — 711 insparsos *D* — reprehendas *A Orelliana* 3. repren-

egregio inspersos reprehendas corpore naeuos,
si neque auaritiam neque sordis nec mala lustra
obiciet uere quisquam mihi, purus et insons,
ut me conlaudem, si et uiuo carus amicis,
causa fuit pater his, qui macro pauper agello
noluit in Flaui ludum me mittere, magni
quo pueri magnis e centurionibus orti,
laeuo suspensi loculos tabulamque lacerto,
ibant octonis referentes idibus aera;
sed puerum est ausus Romam portare, docendum
artis quas doceat quiuis eques atque senator
semet prognatos. uestem seruosque sequentis,
in magno ut populo, siqui uidisset, auita
ex re praeberi sumptus mihi crederet illos.
ipse mihi custos incorruptissimus omnis
circum doctores aderat. quid multa? pudicum,
qui primus uirtutis honos, seruauit ab omni
non solum facto, uerum opprobrio quoque turpi:
nec timuit, sibi ne uitio quis uerteret, olim
si praeco paruas aut, ut fuit ipse, coactor
mercedes sequerer; neque ego essem questus: at hoc nunc
laus illi debetur et a me gratia maior.

das *Cruquiana*, *Bentleius* — 712 sordeis *Cruquiana*. sordes *Orelliana* 3 — ʿnec mala lustra. *sic habet codex Bland. uetustissimus, et ea lectio multo mihi probatur magis quam uulgata*' *Cruquius*. ac mala *D*. ăc̃ mala *A*. aut mala *ex Acrone manu scripto Bentleius* — 713 obiciet *A* — quisquam uere *A* — 714 conlaudem *A*. collaudem *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — si et uiuo *AD*. si uiuo et *Cruquiana*, *Lambinus*. ʿsi et uiuo car. ami. *sic habent omnes codices*' *Cruquius* — 717 qui *A* — 719 octenos referentis idibus aeri *A* — 721 arteis *Cruquiana*. artes *A Orelliana* 3 — 722 sequenteis *Cruquiana*. sequentes *A Orelliana* 3 — 723 si quis *A*. si qui *D*. ʿsi quis uidiss. *codices Bland. et Tons. habent*, si qui' *Cruquius* — 724 sumptus *A Orelliana* 3. sumtus *Cruquiana* — 725 omnis *A*. omneis *Cruquiana*. omnes *Orelliana* 3 — 731 at hic

nil me paeniteat sanum patris huius; eoque
non, ut magna dolo factum negat esse suo pars,
quod non ingenuos habeat clarosque parentis,
sic me defendam. longe mea discrepat istis
et uox et ratio. nam si natura iuberet
a certis annis aeuum remeare peractum,
atque alios legere, ad fastum quoscumque parentis
optaret sibi quisque, meis contentus honestos
fascibus et sellis nollem mihi sumere, demens
iudicio uolgi, sanus fortasse tuo, quod
nollem onus haud umquam solitus portare molestum.
nam mihi continuo maior quaerenda foret res
atque salutandi plures; ducendus et unus
et comes alter, uti ne solus rusue peregreue
exirem; plures calones atque caballi
pascendi, ducenda petorrita. nunc mihi curto
ire licet mulo uel si libet usque Tarentum,
mantica cui lumbos onere ulceret atque eques armos;
obiciet nemo sordis mihi quas tibi, Tilli,

A. ad hoc *D.* ad haec *e codicibus Bentleius.* 'ad haec nunc l. *omnes scripti codices habent*, ad hoc nunc. *praeter Diuaei et unum Bland. qui habent*, ad haec nunc, *quos secutus sum*' *Cruquius.* ob hoc *Cruquiana* — 735 parenteis *Cruquiana.* parentes *A Orelliana* 3, *ut etiam uersu* 739 — 740 honestos *A Orelliana* 3. onustos *codices aliquot.* 'honestos fascibus. *sic habent omnes scripti codices ..... At si qui malint cum Lambino legere*, onustos *etc.*' *Cruquius* — 746 peregre aut *AD.* peregre || ue Exirem *Cruquiana* — 748 ducenta *A* — 750 Tulli *A Cruquiana.* Tilli *Orelliana* 3, *Bentleius* — 751 obiciet *A* — sordeis *Cruquiana.* sordes *Orelliana* 3 — 752 secuntur *D.* sequuntur *A Cruquiana* — 753 sanum portans *A* — 755 milibus *A Orelliana* 3. 'multis atque. *manuscripta omnia habent*, milibus atque aliis; *praeter unum Bland. in quo scriptum est*, militibus, *sed sub* ti *punctis positis. duo autem Bland. ad marginem habent*, et multis aliis' *Cruquius* — 756 holus *A* — 759 laganique *A Orelliana* 3.

cum Tiburte uia praetorem quinque sequuntur
te pueri, lasanum portantes oenophorumque.
hoc ego commodius quam tu, praeclare senator,
milibus atque aliis uiuo. quacumque libido est,
incedo solus; percontor quanti holus ac far;
fallacem circum uespertinumque pererro
saepe forum; adsisto diuinis; inde domum me
ad porri et ciceris refero laganique catinum.
cena ministratur pueris tribus, et lapis albus
pocula cum cyatho duo sustinet; adstat echinus
uilis, cum patera guttus, Campana supellex.
deinde eo dormitum, non sollicitus, mihi quod cras
surgendum sit mane, obeundus Marsya, qui se
uoltum ferre negat Nouiorum posse minoris.
ad quartam iaceo: post hanc uagor, aut ego lecto
aut scripto quod me tacitum iuuet. unguor oliuo,
non quo fraudatis immundus Natta lucernis.
ast ubi me fessum sol acrior ire lauatum
admonuit, fugio campum inuisumque trigonem.
pransus non auide, quantum interpellet inani

lachanique *Lambinus.* ʿlaganique catinum. *sic habent omnes codices scripti*' *Cruquius* — 761 duo *A Orelliana* 3. ʿduo sust. *tres Bland. codices habent* mihi sustinet. *sed ceteri omnes*, duo' *Cruquius* — astat *A* — echinus *A Orelliana* 3. ʿ*omnes codices habent*, astat echinus uilis' *Cruquius.* echino *codices apud Lambinum* — 763 sollicitum *A* — 766 lecto] scripto *A* — *Bentleii distinctio huius et sq. uersus rectissima; cfr. quae de ea etiam Meinekius l. l. p. XXV sq. dicit* — 767 scribo *A* — iuuat *A.* iuuet *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 768 immundus *Cruquiana*, *Orelliana* 3. inmundus *A* — 770 ammonuit *A* — fugio campum inuisumque trigonem] fugio rabiosi tempora signi *D.* fugio campum lusitque trigonem *A.* ʿfugio rabiosi tempora sig. *Codex Bland. antiquissimus habet*, fugio campum lusumque trigonem. *sed supposita sunt puncta uulgataque lectio adnotata:* rabiosi tempora s.' *Cruquius. Cfr. Dissert. meae pag.* 34. nudumque trigonem *Bentleii suspicio*

uentre diem durare, domesticus otior. haec est
uita solutorum misera ambitione grauique;
his me consolor uicturum suauius ac si
quaestor auus pater atque meus patruusque fuissent.

ECLOGA VII.

Proscripti Regis Rupili pus atque uenenum
hybrida quo pacto sit Persius ultus, opinor
omnibus et lippis notum et tonsoribus esse.
Persius hic permagna negotia diues habebat
Clazomenis, etiam litis cum Rege molestas,
durus homo atque odio qui posset uincere Regem,
confidens tumidus, adeo sermonis amari,
Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis.
ad Regem redeo. postquam nihil inter utrumque
conuenit (hoc etenim sunt omnes iure molesti,
quo fortes, quibus aduersum bellum incidit. inter

772 hac *A* — 773 miser *A* — 774 uicturum *D*. uicturus *A*. 'uicturus suauius. *sic legi in codice Buslidiano: ceteri omnes habent* uicturum' *Cruquius* — 775 fuissent *AD*. fuisset *Cruquiana*

Ecloga VII Rupilius *Cruquiana* — 777 hibrida *D* — 779 agebat *Seruius ad Aen.* 4, 345 — 780 liteis *Cruquiana*. lites *A Orelliana* 3 — 781 possit *A* — 782 tumidus *A*. tumidusque *D*. 'tumidus. *sine coniunctione*, que, *habent codices Tonsanus, Busl. et Bland. uetustissimus*' *Cruquius. Cfr. Schneid. gramm. lat. I* 745 *sqq.* — 783 Sisensas *A* — 786 aduersis *scripsit Kirchner in noua editione*, *in* aduersum *scriptura* '*putidam tautologiam*' (!) *inesse ratus* — inter] in *A*. olim *Bentleii suspicio* — 789 occausam *A* — 790 uexet *AD Cruquiana*. uerset *e codicibus Lambini Bentleius* — inerteis *Cruquiana*. inertes *A Orelliana* 3 — 792 pigrior *A*

Hectora Priamiden, animosum atque inter Achillem
ira fuit capitalis, ut ultima diuideret mors,
non aliam ob causam nisi quod uirtus in utroque
summa fuit: duo si discordia uexet inertis,
aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedi
cum Lycio Glauco, discedat pigrior, ultro
muneribus missis), Bruto praetore tenente
'ditem Asiam, Rupili et Persi par pugnat uti non
conpositus melius cum Bitho Bacchius. in ius
acres procurrunt, magnum spectaculum uterque.
Persius exponit causam; ridetur ab omni
conuentu; laudat Brutum laudatque cohortem,
solem Asiae Brutum adpellat stellasque salubris
adpellat comites, excepto Rege; canem illum,
inuisum agricolis sidus, uenisse; ruebat
flumen ut hibernum, fertur quo rara securis.
tum Praenestinus salso multoque fluenti
expressa arbusto regerit conuicia, durus
uindemiator et inuictus, cui saepe uiator
cessisset magna conpellans uoce cuculum.
at Graecus, postquam est Italo perfusus aceto,
Persius exclamat 'per magnos, Brute, deos te

Orelliana 3. pulchrior *Pottierii octo.* 'discedat pigrior. *tres Bland. cod. cum Busl. habent*, pulchrior, *sed antiquissimus cum reliquis*, pigrior' *Cruquius* — 794 RupilI (*uersu* 776 RupilÎ) et PersI *Cruquiana* — uti non] ut *A* — 795 compositus *AD Cruquiana.* compositi *ex uno codice Magdal. Bentleius.* compositum *Orelliana* 3, *Bentleianorum codicum dimidia fere pars* — in ius *A Orelliana* 3, *Cruquiana.* 'intus procurrunt. *sic habet codex Bland. uetustissimus, cui subscribendum censeo' Cruquius* — 796 praecurrunt *A.* concurrunt *D.* '*Variant autem hic cod. nam tres Bland. habent* concurrunt, *cum Busl. Diu. et Mart. ... at Tons. habet*, occurrunt' *Cruquius* — 799 salubreis *Cruquiana.* salubres *Orelliana* 3. (salubris *A*) — 800 appellat *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 802 fert *A* — 803 multumque *Cruquiana* — 806 conpellans *A* — cuculum *A.* cucullum *D Cruquiana* — 807 perfusum *A*

oro, qui reges consueris tollere, cur non
hunc Regem iugulas? operum hoc, mihi crede, tuorum est.'

ECLOGA VIII.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
cum faber, incertus scamnum faceretne Priapum,
maluit esse deum. deus inde ego, furum auiumque
maxima formido: nam fures dextra coercet
obscaenoque ruber porrectus ab inguine palus,
ast inportunas uolucris in uertice harundo
terret fixa uetatque nouis considere in hortis.
huc prius angustis eiecta cadauera cellis
conseruus uili portanda locabat in arca;
hoc miserae plebi stabat commune sepulcrum,
Pantolabo scurrae Nomentanoque nepoti.
mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
hic dabat; heredes monumentum ne sequeretur.
nunc licet Esquiliis habitare salubribus atque

809 regis *A*. reges *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — consuesti *e codice Galeano Bentleius* — 810 hunc mihi *A* — est *om. A*

Ecloga VIII Priapus *Cruquiana* — 811 *Laudat hunc uersum Priscian.* 15, 5 *p.* 629 *ed. Krehlius*, *qui e mss. scripsit* erat *quod uerum opinatur* — 812 faceretne *A Orelliana* 3. 'facerentne Pria. *sic habent omnes scripti codices*, *non etiam*, faceretue' *Cruquius* — 815 obsceno *A Cruquiana*. obscoeno *Orelliana* 3 — rubra *A* — 816 importunas uolucreis *Cruquiana*. importunas uolucres *A Orelliana* 3 — harundo *A*. *Cfr. Wagneri orthogr. Verg. p.* 441 *et Schneideri elem. p.* 186 — 818 *nouam ab hoc uersu eclogam incipit A* — hunc *A* — ei $\overline{\text{cta}}$ *A* — 820 plebes *A* — sepulchrum *A*. sepulcrum *Cruquiana*, *Orelliana* 3, *cfr. Cic. Brut. c.* 48 — 821 Plantolabo *D* — 823 sequerentur *D*, *sed correctus est error* — 824 es quiuis *A*. Esquiliis *Cruquiana*, *Orelliana* 3. 'Ex-

aggere in aprico spatiari, quo modo tristes albis informem spectabant ossibus agrum;
cum mihi non tantum furesque feraeque suetae
hunc uexare locum curae sunt atque labori,
quantum carminibus quae uersant atque uenenis
humanos animos: has nullo perdere possum
nec prohibere modo, simul ac uaga luna decorum
protulit os, quin ossa legant herbasque nocentis.
uidi egomet nigra succinctam uadere palla
Canidiam, pedibus nudis passoque capillo,
cum Sagana maiore ululantem. pallor utrasque
fecerat horrendas aspectu. scalpere terram
unguibus et pullam diuellere mordicus agnam
coeperunt: cruor in fossam confusus, ut inde
manis elicerent animas responsa daturas.
lanea et effigies erat, altera cerea: maior
lanea, quae poenis conpesceret inferiorem;
cerea suppliciter stabat, seruilibus ut quae
iam peritura modis. Hecaten uocat altera, saeuam
altera Tisiphonen. serpentis atque uideres
infernas errare canes, lunamque rubentem,
ne foret his testis, post magna latere sepulcra.

quiliae *Varro de ling. lat.* 5, 8, *deriuans ab* excubiis *regis, aut quod* excultae *essent a rege Tullio*; *deriuatio ab* aesculus, aesculetum *antiquis incognita fuisse uidetur u. Beckeri Antiq. Rom. I p.* 522'; *cfr. Kirchneri adnot. crit. p.* 128 — 825 qua 'inuitis licet codicibus' *Bentleius* — 826 inspectabant *A* — 832 nocenteis *Cruquiana.* nocentes *A Orelliana* 3 — 836 aspectu *A.* adspectu *Cruquiana, Orelliana* 3 — 839 *in codice A sic uersus se excipiunt:* 838, 840, 839 *sed priori b littera alteri a adscripta est* — maneis *Cruquiana.* manes *A Orelliana* 3. manibus *Porphyrionem msc. suum habere testatur Kirchner et addit:* 'Bona lectio' — 841 compesceret *Cruquiana, Orelliana* 3. conpesceret *A* — 842 utque *Cruquiana.* ut quae *AD Bentleius* — 844 serpentis *A.* serpenteis *Cruquiana.* serpentes *Orelliana* 3 — 846 sepulchra *A uid. u.* 820

mentior at siquid, merdis caput inquiner albis
coruorum; atque in me ueniat mictum atque cacatum
Iulius, et fragilis Pediatia, furque Voranus.
singula quid memorem, quo pacto alterna loquentes
umbrae cum Sagana resonarent triste et acutum,
utque lupi barbam uariae cum dente colubrae
abdiderint furtim terris, et imagine cerea
largior arserit ignis, et ut non testis inultus
horruerim uoces Furiarum et facta duarum?
nam displosa sonat quantum uesica, pepedi
diffissa nate ficus: at illae currere in urbem.
Canidiae dentes, altum Saganae caliendrum
excidere, atque herbas atque incantata lacertis
uincula, cum magno risuque iocoque uideres.

ECLOGA VIIII.

Ibam forte uia sacra, sicut meus est mos,
nescio quid meditans nugarum, totus in illis.
accurrit quidam notus mihi nomine tantum,
arreptaque manu 'quid agis, dulcissime rerum?'

848 ueniat *AD Bentleius.* ueniant *Cruquiana* — 851 sagane *A* — resonarent *D.* resonaret *A.* resonarint *Bentleii coniectura.* resonarent *Cruquiana. Cfr. Reisig. gramm. lat. p.* 234 — cerea] terrea *A altero* r *deleto* — 855 horruerim *AD Cruquiana, Bentleius.* obruerim *ex uno codice Fea, editio Weidmanniana a.* 1851 — furtarum *A* — 856 pepedit *in Priscian.* 10, 4 *p.* 489 *e mss. recepit et defendit Krehlius*

Ecloga VIIII *ἐπαγόμενος Cruquiana* — 861 Ibam ut forte *Bentleius coniecit* — 862 totus in illis *A Orelliana* 3. 'et totus in illis. *sic habet codex Murt. ceteri uero sine coniunctione expressa*' *Cruquius* — 863 accurrit *D.* occurrit *A.* 'accurrit q. *ea est lectio*

'suauiter, ut nunc est' inquam, 'et cupio omnia quae uis.'
cum adsectaretur, 'num quid uis?' occupo. at ille 'noris nos' inquit; 'docti sumus.' hic ego 'pluris hoc' inquam 'mihi eris.' misere discedere quaerens, ire modo ocius, interdum consistere, in aurem
dicere nescio quid puero, cum sudor ad imos manaret talos. 'o te, Bolane, cerebri felicem' aiebam tacitus, cum quidlibet ille garriret, uicos, urbem laudaret. ut illi nil respondebam, 'misere cupis' inquit 'abire:
iandudum uideo: sed nil agis; usque tenebo; persequar; hinc quo nunc iter est tibi.' nil opus est te circumagi: quendam uolo uisere non tibi notum: trans Tiberim longe cubat is, prope Caesaris hortos.' 'nil habeo quod agam et non sum piger: usque sequar te.'
demitto auriculas, ut iniquae mentis asellus, cum grauius dorso subiit onus. incipit ille 'si bene me noui, non Viscum pluris amicum, non Varium facies: nam quis me scribere pluris aut citius possit uersus? quis membra mouere
mollius? inuideat quod et Hermogenes ego canto.'

omnium scriptorum, non etiam, occurrit, *ut habent uulgata*' *Cruquius* — 866 assectaretur *Cruquiana, Orelliana* 3. adsectaretur *A* — nunc q. u. occupa *A* — 870 puero. Cum ... talos: O te *distinxit Bentleius* — 871 balane *A*. — 872 quilibet *A* — 873 ficos *D* — 875 iamdudum *A Cruquiana, Orelliana* 3. *Cfr. Wagneri Orthogr. Vergil. p.* 453 — usque tenebo] '*codex Tons. habet*, usque ego nam te persequar' *Cruquius* — 876 persequar *AD*. 'persequar. *duo cod. Bland. habent*, prosequar' *Cruquius*. prosequar *Bentleius. uulgo distinguunt sic*: persequar (s. prosequar) hinc quo nunc iter est tibi; *Cruquius Kirchner Stallbaumius ut nos* — 880 dimitto *A* — 882 non Viscum] nobiscum *A* — 883 plureis *Cruquiana*. plures *Orelliana* 3. pluris *A*

interpellandi locus hic erat: 'est tibi mater,
cognati, quis te saluo est opus?' 'haud mihi quisquam.
omnis conposui.' 'felices! nunc ego resto.
confice: namque instat fatum mihi triste, Sabella
quod puero cecinit diuina mota anus urna: 890
hunc neque dira uenena, nec hosticus auferet ensis,
nec laterum dolor aut tussis, nec tarda podagra:
garrulus hunc quando consumet cumque: loquacis,
si sapiat, uitet, simul atque adoleuerit aetas.'
uentum erat ad Vestae, quarta iam parte diei 895
praeterita, et casu tunc respondere uadato
debebat; quod ni fecisset, perdere litem.
'si me amas' inquit, 'paullum hic ades.' 'inteream, si
aut ualeo stare aut noui ciuilia iura:
et propero quo scis.' 'dubius sum, quid faciam' inquit, 900
'tene relinquam an rem.' 'me, sodes.' 'non faciam' ille,
et praecedere coepit. ego, ut contendere durum est

887 quis te saluo est opus *A Orelliana* 3. 'unus codex *Bland. habet*, quibus est te saluo opus' *Cruquius* — aut *A* — 888 omnis *A*. omneis *Cruquiana*. omnes *Orelliana* 3 — conposui *A*. composui *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 889 mihi fatum *A* — triste *om. A* — 890 diuina mota *AD*. 'diuina mota anus urna. *aut hic est Synchysis, aut hoc hemistichium hoc modo legendum est:* moto diuina anus urna ..... *in scriptis Bland. cod. inuenio supra τὸ* diuina, *scriptum, sortilega*' *Cruquius*. mota diuina *auctore Cruquio Bentleius* — 891 dura *D* — 892 aut tussis] intussis *A* — nec *om. A* — 893 loquaceis *Cruquiana*. loquaces *A Orelliana* 3 — 896 tum *AD*. tunc *Cruquiana* — uadatus *Bentleii coniectura* — 897 dicebat *A* — nisi quod *A* — 898 si me amas, inquit *A Orelliana* 3. 'codex *Diuaei sine ulla litura habet*, si tu me, inquit, amas' *Cruquius* — 899 ualeam *A* — 902 est *om. A Bentleius* — 906 possit *A* — 907 'hunc hominem

cum uictore, sequor. 'Maecenas quomodo tecum?' hinc repetit: 'paucorum hominum et mentis bene sanae.
nemo dexterius fortuna est usus. haberes magnum adiutorem, posset qui ferre secundas, hunc hominem uelles si tradere. dispeream, ni submosses omnis.' 'non isto uiuimus illic quo tu rere modo: domus hac nec purior ulla est, nec magis his aliena malis; nihil officit, inquam, ditior hic aut est quia doctior; est locus uni cuique suus.' 'magnum narras, uix credibile.' 'atqui sic habet.' 'accendis quare cupiam magis illi proximus esse.' 'uelis tantummodo: quae tua uirtus, expugnabis; et est qui uinci possit, eoque difficilis aditus primos habet.' 'haud mihi deero: muneribus seruos corrumpam; non, hodie si exclusus fuero, desistam; tempora quaeram; occurram in triuiis; deducam. nil sine magno uita labore dedit mortalibus.' haec dum agit, ecce Fuscus Aristius occurrit, mihi carus et illum

u. si tra. *sic habent omnes scripti cod. ita ut τὸ* si *postponatur uerbo*, uelles' *Cruquius*. uelles si *A Orelliana* 3. *Cfr. Priscian.* 9, 8 *ed. Krehl, qui e mss.* uelles si *reduxit* — dispere amni *A* — 908 summosses *Cruquiana*. submosses *A Orelliana* 3 — omnis *A*. omneis *Cruquiana*. omnes *Orelliana* 3 — uiuimus *AD Cruquiana*. uiuitur *ex tribus codicibus Bentleius* — 910 nil officit *A*. nihil officit *D*. nil mi officit *Orelliana* 3. 'nil mi officit. *Diu. codex consentit uulgatae lectioni. Bland.* 4. *cum Tons. habent*, nihil officit, inquam' *Cruquius* — inquam *A Bentleius*. unquam *Orelliana* 3 — 912 atque *A* — 914 uelit *A* — 915 expugnabis *D*. expugnabilis *A*. expugnabis *Cruquiana* — 916 difficileis *Cruquiana*. difficiles *Orelliana* 3. difficili *A* — dero *A* — 919 *ab hoc uersu nouam eclogam incipit A* — 920 'Haec dum agit. *sic habent omnes cod. scripti, nullus τὸ* ait' *Cruquius*. haec dum agit *A Orelliana* 3 — 921 Aristeius *A* — occurrat .. at illum *A*

qui pulchre nosset. consistimus. 'unde uenis?' et
'quo tendis?' rogat et respondet. uellere coepi,
et prensare manu lentissima brachia, nutans,
distorquens oculos, ut me eriperet. male salsus
ridens dissimulare; meum iecur urere bilis.
'certe nescio quid secreto uelle loqui te
aiebas mecum.' 'memini bene, sed meliori
tempore dicam: hodie tricesima sabbata: uin tu
curtis Iudaeis oppedere?' 'nulla mihi' inquam
'relligio est.' 'at mi: sum paullo infirmior, unus
multorum. ignosces: alias loquar.' huncine solem
tam nigrum surrexe mihi! fugit inprobus ac me
sub cultro linquit. casu uenit obuius illi
aduersarius et 'quo tu turpissime?' magna
inclamat uoce, et 'licet antestari?' ego uero
oppono auriculam. rapit in ius: clamor utrimque,
undique concursus. sic me seruauit Apollo.

922 uenisset *A* — 924 pressare *A*. prensare *D Bentleius*. 'prensare ma. pressare *legit Lambinus ex antiquis scriptis ... uerum quos legi codices scripti omnes habent*, prensare' *Cruquius* — 928 meliori *AD Cruquiana*. meliore *cum uno alteroque e suis codicibus Bentleius* — 929 hodie *om. A* — uis tu *Bentleii coniectura postea firmata ab uno Feae et Berolinensi* — 930 opperiere *A* — 931 relligio *Cruquiana*. religio *A Orelliana* 3 — est *om. A* — at mihi *A* — 932 huncine *D*. hunccine *A Cruquiana* — 933 improbus *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 934 ueni *A* — 936 inclamat *A Bentleius*. exclamat *D Cruquiana* — 937 oppono *AD Cruquiana*, *Bentleius*. appono *e duobus codicibus Fea*, *editio Weidmanniana*

ECLOGA X.

[Lucili, quam sis mendosus, teste Catone
defensore tuo peruincam, qui male factos
emendare parat uersus; hoc lenius ille,
est quo uir melior, longe subtilior illo
qui multum puer et loris et funibus udis
exhortatus, ut esset opem qui ferre poetis
antiquis posset contra fastidia nostra,
grammaticorum equitum doctissimus. ut redeam illuc,]
Nempe inconposito dixi pede currere uersus
Lucili. quis tam Lucili fautor inepte est,
ut non hoc fateatur? at idem, quod sale multo
urbem defricuit, charta laudatur eadem.

Ecloga X *Versus* 939—946 *om.* ***A***. *non om.* ***D***. 'nempe incomposito. ... *more Comico sumit exordium ex abrupta confessione: atque hoc argumento necesse est eos uersus asscitícios esse, qui in aliquibus manuscriptis codicibus huic Eclogae praepositi leguntur.... .... quos lubet hic adscribere ex unico tantum Martinio cod.* Lucili, quam sis mendosus, teste Catone defensore tuo peruincam: qui male factos emendare parat uersus: hoc lenius ille, quo melior uir hic est, longe ac subtilior illo, qui multum puer et loris et funibus udis exhortatus ut esset, opem qui ferre poetis antiquis posset contra fastidia nostra, Grammaticorum equitum doctissimus: ut redeam illuc: nempe incomposito et q. s.' *Cruquius. Cfr. quae de iisdem uersibus, eorundem a codicibus suis auctoritate, defensoribus etc. copiose exposuit Kirchner p.* 142 *sq.* Ecloga X. Lucilius. *inscripsit Cruquiana* — 942 quo melior uir est ***D***. est quo uir melior *Orelliana* 3: *quam scripturam etsi non inprobat Meinekius tamen post I. Apitzium dissert. de chronolog. Horat. p.* 27, *aliorum codicum scripturam* quo melior uir et est *recipiendam ducit, uid. l. l. p. XXVI* — 944 exoratus ***D***. exhortatus ***A***. excoriatus *Horkelius Anal. Horat. p.* 115 *sq.* — 946 '*post haec subditicia in codice* ***D*** *est spatium uacuum duorum uersuum*' *Orellius* — 948 LucilI (*bis*) *Cruquiana* — inepti ***D*** — 950 carta ***A***

nec tamen hoc tribuens dederim quoque cetera: nam sic
et Laberi mimos ut pulchra poemata mirer.
ergo non satis est risu diducere rictum
auditoris: et est quaedam tamen hic quoque uirtus:
est breuitate opus, ut currat sententia, neu se
inpediat uerbis lassas onerantibus auris;
et sermone opus est modo tristi, saepe iocoso,
defendente uicem modo rhetoris atque poetae,
interdum urbani, parcentis uiribus atque
extenuantis eas consulto. ridiculum acri
fortius et melius magnas plerumque secat res.
illi, scripta quibus comoedia prisca uiris est,
hoc stabant, hoc sunt imitandi: quos neque pulcher
Hermogenes umquam legit, neque simius iste
nil praeter Caluum et doctus cantare Catullum.
'at magnum fecit, quod uerbis Graeca Latinis
miscuit.' o seri studiorum, quine putetis
difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti
contigit? 'at sermo lingua concinnus utraque
suauior, ut Chio nota si conmixta Falerni est.'

952 LaberI *Cruquiana* — 953 deducere *D* — rectum *A* — 956 impediat *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — aureis *Cruquiana*. aures *A Orelliana* 3 — 958 rethoris *A* — 960 acre *A* — 963 stabat *A* — 966 ut *A* — 967 quidne putetis *A*. quine putetis *Orelliana* 3. '*Hanc lectionem*, quine putetis, *habent omnes scripti codices*' *Cruquius*. quinc putetis *Bentleius* — 970 cōmissa *A*. commista *Cruquiana* — 971 an et cum *Orelliana* 3. an tecum *A*. 'cum uersus facias ..... *Tons. codex hic habet*, et an cum' *Cruquius* — 972 rei et sit *A* — 973 oblitos *Bentleii suspicio recepta ab Heindorfio et editione Weidmanniana* — Latini *A et D corr.*, *Bentleius*. Latinc *D pr. m.*, *Orelliana* 3. '*sed omnes ad unum codices scripti habent*, patriaeque patrisque Latini. *uerum adnotationes Bland. codicis uetustissimi sunt hae: cum exsudet, id est, cum sudore, et omni constantia Latine recitet, Latine proferat*' *Cruquius* — 974 Publicola *AD*. Poplicola *Cruquiana* —

cum uersus facias, te ipsum percontor, an et cum
dura tibi peragenda rei sit causa Petilli?
scilicet oblitus patriaeque patrisque Latini,
cum Pedius causas exsudet Poplicola atque
Coruinus, patriis intermiscere petita
uerba foris malis, Canusini more bilinguis?
atque ego cum Graecos facerem, natus mare citra,
uersiculos, uetuit me tali uoce Quirinus,
post mediam noctem uisus, cum somnia uera,
'in siluam non ligna feras insanius ac si
magnas Graecorum malis inplere cateruas.'
turgidus Alpinus iugulat dum Memnona dumque
defingit Rheni luteum caput, haec ego ludo,
quae neque in aede sonent certantia iudice Tarpa,
nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.
arguta meretrice potes Dauoque Chremeta
eludente senem comis garrire libellos
unus uiuorum, Fundani; Polio regum
facta canit pede ter percusso; forte epos acer
ut nemo Varius ducit; molle atque facetum

977 atque *DA*. atqui *Cruquiana*, *Bentleius* — 978 monuit *A* — — tali me *e codice Collegii Trinitatis Bentleius* — quirinis *A* — 981 implere *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 983 diffingit Rh. lutulentum c. hoc ego ludo *A* — 984 nec *Cruquiana* — cortancita *A* — caram *A* — 985 spectatque *A* — 986 cremeta *A* — 987 senãm *A* — comis *A Orelliana* 3. comes *codices aliqui*. 'comis garrire. *comis*, *id est*, *suauis*, *habent tres codices Bland. cum Mart. sed Tons. habet*, comeis, id est, comicos. *Diuae. habet*, comeis, ornatos uel curialeis' *Cruquius* — libellos *A Cruquiana*, *Orelliana* 3. libellis *e codice Lipsiensi* 1. (*a. pr. m.*) *Kirchner*. popello *Horkelius Anal. Horat. p.* 49 *sqq.* — 988 Pollio *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 989 fata *A et Horkelius l. l. p.* 148 *sq. e coniectura* — epos acer] eo sacer *A* — 990 Varus *D* — ducit] ductu *D*. dicit *A*. 'forte epos acer. *In tribus codicibus Blandiniis et Busl. hi uersus ad hunc modum leguntur*, forte epos acer; ut

Vergilio adnuerunt gaudentes rure Camenae:
hoc erat, experto frustra Varrone Atacino
atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,
inuentore minor; neque ego illi detrahere ausim
haerentem capiti cum multa laude coronam.
at dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem
plura quidem tollenda relinquendis. age, quaeso,
tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?
nil comis tragici mutat Lucilius Atti,
non ridet uersus Enni grauitate minores,
cum de se loquitur non ut maiore reprensis?
quid uetat et nosmet Lucili scripta legentis
quaerere, num illius, num rerum dura negarit
uersiculos natura magis factos et euntis
mollius, ac siquis pedibus quid claudere senis,
hoc tantum contentus, amet scripsisse ducentos
ante cibum uersus, totidem cenatus, Etrusci
quale fuit Cassi rapido feruentius amni
ingenium, capsis quem fama est esse librisque
ambustum propriis. fuerit Lucilius, inquam,
comis et urbanus, fuerit limatior idem

nemo, Varius; ductu molle atque facetum Virgilio annuerunt gaudentes rure Camenae' *Cruquius* — 991 Virgilio annuerunt *A Cruquiana*. Virgilio annuerunt *s.* adnuerint *D* — 992 uarone *A* — 994 ausi *A* — 995 multa cum *Cruquiana*, *Bentleius* — 997 quidăm *A* — relinquens agere quaero *A* (quaeso *D*) — 998 nil *D* — reprehendis *A Orelliana* 3. reprendis *Cruquiana* — 999 mittat *A* — Acci *AD*. AttI *Cruquiana*. Acci *Bentleius*. *Cfr. Osann Anal. critica p.* 60 *et O. Ribbeck trag. lat. reliq.* — 1000 ennij *A*. EnnI *ut paullo post* LucilI *Cruquiana* — minoris *A*. minores *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1002 legenteis *Cruquiana*. loquentes *Orelliana* 3, *item uersu* 1004 euntes — 1004 factos] albos (*s.* altos?) *A* — 1005 ac siquis *A Orelliana* 3. at si quis *Lambinus*. 'ac si quis pedibus quid claudere. *hanc lectionem habent omnes scripti codices, quos secutus sum ..... Duo codices Bland. Diuae. Busl. habent*, ac si quis pedibus qui c. s.' *Cruquius* —

quam rudis et Graecis intacti carminis auctor
quamque poetarum seniorum turba: sed ille,
si foret hoc nostrum fato dilatus in aeuum,
detereret sibi multa, recideret omne quod ultra
perfectum traheretur, et in uersu faciendo
saepe caput scaberet, uiuos et roderet unguis.
saepe stilum uertas, iterum quae digna legi sint
scripturus, neque te ut miretur turba labores,
contentus paucis lectoribus. an tua demens
uilibus in ludis dictari carmina malis?
non ego: nam satis est equitem mihi plaudere, ut audax
contemptis aliis explosa Arbuscula dixit.
men moueat cimex Pantilius, aut cruciet quod
uellicet absentem Demetrius, aut quod ineptus
Fannius Hermogenis laedat conuiua Tigelli?
Plotius, et Varius, Maecenas, Vergiliusque,
Valgius, et probet haec Octauius optimus atque
Fuscus, et haec utinam Viscorum laudet uterque.
ambitione relegata te dicere possum,
Polio, te, Messalla, tuo cum fratre, simulque

senes *A* — 1007 anne *A* — 1014 dilatus *A*. dilapsus *D in rasura*. 'dilatus in aeuum. *unus codex Bland. habet*, dilatus. *tres reliqui cum Mart.* delapsus: *Busl. Nann. Diuae. et Tons.* delatus' *Cruquius.* dilatus *Bentleius* — 1015 recidere comne *A pr. m.* — 1017 scaberet] foderet *A* — roderet] cogeret *A*; *hanc utramque scripturam habet etiam Eutyches p.* 2168 *P.* — ungueis *Cruquiana.* ungues *A Orelliana* 3 — 1018 illum uertasse *A* — 1023 contemtis *Cruquiana.* contemptis *A Orelliana* 3 — expulsa *A* — 1024 cimes Potillus *A* — crucior *Cruquiana* — 1025 uellicat *Eutych. II* 2 *ed. Lindemannus* — 1026 Fanius *A* — Tigilli *A* — 1027 Plocius *A* — Varus *D* — 1028 *Huic uersui A praeponit uersum qui sequitur* — 1029 laudat *A* — 1031 messala *A* — tuo cum] uocum *A* — *de* Polio *et* Messalla *uocum orthograph. uid. C. Lachmanni comment. in Lucret. p.* 33

uos, Bibule et Serui, simul his te, candide Furni,
conpluris alios, doctos ego quos et amicos
prudens praetereo: quibus haec, sunt qualiacumque,
adridere uelim, doliturus, si placeant spe
deterius nostra. Demetri, teque, Tigelli,
discipularum inter iubeo plorare cathedras.
i puer atque meo citus haec subscribe libello.

1032 Bibuli et Serui *AD Cruquiana.* Bibule et Serui *Muretus*, *Bentleius* — 1033 complureis *Cruquiana.* complures *A Orelliana* 3 — 1034 sunt *AD Bentleius.* sint *Cruquiana* — 1035 arridere *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1036 Tigilli *A* — 1037 discipulorum *D pr. m.* discipularum *corr. D*, *A Cruquiana* — 1038 *post hunc uersum in A addita sunt haece:* Q. Horatii Flacci Sermonum liber primus explicit; incipit secundus foeliciter, uelut in dialogum Tribanio loquitur; *sed haec sunt a sec. m.*

Q. HORATII FLACCI
SERMONVM
LIBER SECVNDVS.

ECLOGA I.

Sunt quibus in satira uideor nimis acer et ultra
legem tendere opus; sine neruis altera quidquid
conposui pars esse putat similisque meorum
mille die uersus deduci posse. Trebati,
quid faciam praescribe. 'quiescas.' ne faciam, inquis,
omnino uersus? 'aio.' peream male, si non
optimum erat: uerum nequeo dormire. 'ter uncti
transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto,
inriguumque mero sub noctem corpus habento.
aut si tantus amor scribendi te rapit, aude
Caesaris inuicti res dicere, multa laborum
praemia laturus.' cupidum, pater optime, uires
deficiunt: neque enim quiuis horrentia pilis

Ecloga I. Trebatius *Cruquiana* — 1039 satyra *A Cruquiana.* satira *Orelliana* 3 — uidear *AD Cruquiana*, *Bentleius.* uideor '*dimidia fere codicum pars* uideor *altera* uidear. *Vtrumque probum* ....' *Bentleius* — 1040 lege tenere *A* — quitquid *A.* quicquid *Cruquiana* — 1041 composui *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — similisque *A.* similesque *Cruquiana.* similesque *Orelliana* 3 — 1042 trâbati *A* — 1045 neque odor miretur et uncti *A* — 1047 irriguumque *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1048 te rapit]

agmina nec fracta pereuntis cuspide Gallos,
aut labentis equo describet uolnera Parthi.
'attamen et iustum poteras et scribere fortem,
Scipiadam ut sapiens Lucilius.' haud mihi deero,
cum res ipsa feret: nisi dextro tempore, Flacci
uerba per attentam non ibunt Caesaris aurem,
cui male si palpere, recalcitrat undique tutus.
'quanto rectius hoc quam tristi laedere uersu
Pantolabum scurram Nomentanumque nepotem,
cum sibi quisque timet, quamquam est intactus, et odit.'
quid faciam? saltat Milonius, ut semel icto
accessit feruor capiti numerusque lucernis;
Castor gaudet equis, ouo prognatus eodem
pugnis; QVOT capitum uiuunt, totidem studiorum
milia. me pedibus delectat claudere uerba
Lucili ritu, nostrum melioris utroque.
ille uelut fidis arcana sodalibus olim

ter apud *A*. te capit. *Bentleius* — 1052 pereunteis *Cruquiana*. pereuntes *A Orelliana* 3 — 1053 describet *A*. describit *D pr. m. Bentleius*. describat *D corr.* 'describat. *sic habet codex Mart. ceteri, aut* describit, *aut* describet' *Cruquius* — uulnerà *A Cruquiana*. uolnera *Orelliana* 3 — 1055 Scipiadam *A Cruquiana, Orelliana* 3, *Priscian. VII* 2 *p.* 291 *Kr.* Scipiadem *alii* — 1055 *et* 1056 'nisi dextro tempore ..... *In uno ex codicibus Bland. habetur haec lectio*, aut mihi deero, cum res ipsa feret, aut dextro tempore Flacci uerba per attentam *etc. quam lectionem propter claritatem facile censeo uulgatae praeferendam*' *Cruquius*. haud ..... nisi *A Orelliana* 3 — 1055 dero *A* — 1056 dum *D corr.* — 1057 ibänt *A* — 1058 males palperere cal. *A* — recalcitrat *A D Cruquiana*. recalcitret *ex uno codice Bentleius, Kirchner* — 1060 Nomentanumque *uid. uersum* 821. Nomentanumue *cum quattuor codicibus Bentleius* — 1062 Milonius *Orelliana* 3, *Cruquiana*. Millonius *A*, *codices pauci et apud Gruterum* 54, 1 — 1066 milia *A Orelliana* 3. millia *Cruquiana* — 1068

credebat libris, neque, si male gesserat, usquam
decurrens alio, neque si bene: quo fit ut omnis
uotiua pateat ueluti descripta tabella
uita senis. sequor hunc, Lucanus an Apulus anceps:
nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus,
missus ad hoc, pulsis, uetus est ut fama, Sabellis,
quo ne per uacuum Romano incurreret hostis,
siue quod Apula gens seu quod Lucania bellum
incuteret uiolenta. sed hic stilus haud petet ultro
quemquam animantem et me ueluti custodiet ensis
uagina tectus: quem cur destringere coner
tutus ab infestis latronibus? o pater et rex
Iuppiter, ut pereat positum rubigine telum,
nec quisquam noceat cupido mihi pacis! at ille,
qui me conmorit (melius non tangere, clamo),
flebit et insignis tota cantabitur urbe.
Ceruius iratus leges minitatur et urnam,
Canidia Albuti quibus est inimica uenenum,

uelud *A* — 1069 gesserat *A et corr. D Bentleii praeter unum omnes.* cesserat *D pr. m.* 'neque si male gesserat. *sic habent omnes scripti codices' Cruquius* — usquam *A.* unquam *Orelliana* 3. 'usquam. *sic habent omnes codices praeter Diuae. et unum Bland. qui habent*, unquam. *uerum in eius mutatione non magna uis est' Cruquius* — 1070 ut] et *A* — 1072 liquor *A* — Apulus *A Cruquiana*, *Orelliana* 3. Appulus *Bentleius* — 1074 est *om. A* — 1076 Apula *uide ad uersum* 1072 — quid ... quid L. belli *seu* duelli *'fortasse scripsisse Horatium' dicit Bentleius* — 1077 stylus *Cruquiana* — 1079 destringere *Cruquiana, Orelliana* 3. distringere *Heindorfius alii. Cfr. Halm. ad Cic. Sest.* 35, 76 — 1081 rubigine *AD Cruquiana.* robigine *Bentleius* — 1083 commorit *A Cruquiana, Orelliana* 3. commordit *codicis sui Regii scripturam et Rutgersii coniecturam refutat Bentleius* — 1085 Ceruius *AD.* 'Ceruius *per C. habent omnes cod. praeter Mart. qui habet* Coruius' *Cruquius.* Seruius *Cruquiana* — 1086 Albuti *A Orelliana* 3. Albuci *Cruquiana* — *post uel potius ante hunc uersum A habet haec uerba:* Vide

grande malum Turius, siquid se iudice certes:
ut quo quisque ualet suspectos terreat, utque
imperet hoc natura potens, sic conlige mecum.
dente lupus, cornu taurus petit, unde nisi intus
monstratum? Scaeuae uiuacem crede nepoti
matrem; nil faciet sceleris pia dextera: mirum
ut neque calce lupus quemquam, neque dente petit
bos:
sed mala tollet anum uitiato melle cicuta.
ne longum faciam: seu me tranquilla senectus
expectat, seu mors atris circumuolat alis;
diues, inops, Romae seu fors ita iusserit exsul,
quisquis erit uitae scribam color. 'o puer ut sis
uitalis metuo et maiorum nequis amicus
frigore te feriat.' quid? cum est Lucilius ausus
primus in hunc operis conponere carmina morem,
detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora
cederet, introrsum turpis, num Laelius et qui
duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen,

supra in oda paenultima seu in epodon — 1087 'Turius. *arbitror legendum esse ex Cicerone in Verr. et multis aliis in locis,* Furius' *Cruquius. Cfr. Orellii adnotat. ad h. l.* — siquis .. certet *Cruquiana.* siquid .. certes *A D Bentleius* — 1088 ualeat *A* — 1089 collige *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 1090 petet *A* — 1092 faciat *A* — 1092 *et* 1093 mirum ni neque *uel* si neque *Bentleii dubiae suspiciones.* (mirum: at neque ..... bos) *sic coniecit Horkelius Anal. Horat. p.* 144. nimirum *ita ut uersus hypermeter existat scribendum uidetur Meinekio l. l. p. XXVII* — petat *A* — 1094 anum *om. A* — 1096 expectet *A* — 1097 iusserit *A D Cruquiana.* luserit *e codicibus exiguae auctoritatis Fea, Meinekius* — 1100 feriat] metuat *A* — quod *A* — 1101 componere *Cruquiana, Orelliana* 3. conponere *A* — 1102 detraheret *A* — 1103 introrsus *A* — et qui *A.* aut qui *D Cruquiana.* et qui *Bentleius* — 1106 atque *A* — 1107 arripuit *A Cruquiana, Orelliana* 3 — tributim *Orelliana* 3. tributum *A Lambinus.* 'populumque tributim. *sic habent omnes codices scrip. nec mutandum*

ingenio offensi aut laeso doluere Metello
famosisque Lupo cooperto uersibus? atqui
primores populi adripuit populumque tributim,
scilicet uni aequus uirtuti atque eius amicis.
quin ubi se a uolgo et scaena in secreta remorant
uirtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli,
nugari cum illo et discincti ludere, donec
decoqueretur holus, soliti. quidquid sum ego, quamuis
infra Lucili censum ingeniumque, tamen me
cum magnis uixisse inuita fatebitur usque
inuidia, et fragili quaerens inlidere dentem,
offendet solido, nisi quid tu, docte Trebati,
dissentis. 'equidem nihil hinc diffindere possum.
sed tamen ut monitus caueas, ne forte negoti
incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum.
si mala condiderit in quem quis carmina, ius est
iudiciumque.' esto, siquis mala: sed bona siquis
iudice condiderit laudatus Caesare? siquis

censeo, etiam si uir doctissimus quidam scribat se offendisse in aliquo scripto codice, tributum: *idque affirmet auctoritate Porphyr. quam non inuenio'* *Cruquius* — 1109 in scena *A* — 1112 holus *A* — quid *A* — 1115 inuida *A* — inlidere *A.* illidere *Cruquiana, Orelliana* 3 — 1117 nil *A* — hinc *AD.* hic *Heindorfius alii.* 'nihil hic diffindere possum. *in omnibus scriptis habetur,* hinc. *deinde in antiquissimo cod. Blandinio Mart. et Busl.* diffindere, *in tribus aliis Bland.* diffingere; *in Diuae.* defindere; *in Tons.* defringere' *Cruquius* — diffingere *AD Bentleius, cuius praeterea dubia suspicio fuit:* his diffidere — 1118 ut] 'sed tamen ut monitūs. *Codex Tons. habet,* sed tamen id monitus caueas' *Cruquius* — 1119 scārū *A* — 1121 'si quis mala. *Haec sunt Horatii percontantis Trebatium ad eum usque uersum,* soluentur risu t. *idque cum nota interrogationis in uetustissimo codice Bland. sed codex Diuaei habet interrogationis puncta post τὸ* latrauerīt. *Nos autem (quamuis non multum intersit) sequimur Bland. codicem'* *Cruquius* — 1122 laudatus *A Bentleius.* laudatur *D.* 'iudice condiderit lauda-

opprobriis dignum latrauerit, integer ipse?
'soluentur risu tabulae, tu missus abibis.'

ECLOGA II.

Quae uirtus et quanta, boni, sit uiuere paruo
(nec meus hic sermo est, sed quae praecepit Ofellus
rusticus, abnormi sapiens crassaque Minerua)
discite, non inter lancis mensasque nitentis,
cum stupet insanis acies fulgoribus et cum
adclinis falsis animus meliora recusat,
uerum hic inpransi mecum disquirite. 'cur hoc?'
dicam, si potero. MALE uerum examinat omnis
corruptus iudex. leporem sectatus equoue
lassus ab indomito uel, si Romana fatigat
militia adsuetum graecari, seu pila uelox

tus Caesare. *sic habent duo codices Bland. Tons. et Mart. quos secuti sumus' Cruquius* — 1123 'opprobriis. *duo cod. Bland. habent*, opprobrium dignum' *Cruquius* — latrauerit *AD Cruquiana.* lacerauerit *e codicibus aliquot Lambini Bentleius* — 1124 i tu *A*

Ecloga II. Ofellus *Cruquiana* — 1125 boni *AD.* 'boni. *in uocandi casu, per ironiam. sic habent omnes codices scripti praeter Diuae., qui supra* i *habet* s *litteram positam' Cruquius.* bonis *Fea e compluribus codicibus* — 1126 quae *AD Bentleius.* quem *Cruquiana* — Ofella *Bentleii coniectura, corr. Sangallensis Orellii, qui hic et infra us.* 53, 112, 133 *recepit.* Ofellus *AD Cruquiana* — 1127 abnormis *A.* abnormi *D.* 'abnormis sapiens crassaque Minerua. *haud aliter legitur in omnibus scriptis codicibus, praeterquam tribus Bland. uetustiss. qui habent*, abnormi, sapiens crassaque Min.' *Cruquius.* abnormis *Bentleius* — 1128 lanceis .. nitenteis *Cruquiana.* lances .. nitentes *A Orelliana* 3 — 1130 acclinis *Cruquiana*, 'Orelliana 3. adclinis *A* — 1131 impransi *Cruquiana, Orelliana* 3. inpransi *A* — 1134 fatiget *Eutych. II* 3 *ed. Lindem.* — 1135 assuetum *A Cruquiana, Orelliana* 3 —

molliter austerum studio fallente laborem,
seu te discus agit, pete cedentem aera disco.
cum labor extuderit fastidia, siccus, inanis
sperne cibum uilem: nisi Hymettia mella Falerno
ne biberis diluta. foris est promus, et atrum
defendens piscis hiemat mare: cum sale panis
latrantem stomachum bene leniet. unde putas aut
qui partum? non in caro nidore uoluptas
summa, sed in te ipso est. tu pulmentaria quaere
sudando: pinguem uitiis albumque neque ostrea
nec scarus aut poterit peregrina iuuare lagois.
uix tamen eripiam, posito pauone uelis quin
hoc potius quam gallina tergere palatum,
corruptus uanis rerum; quia ueneat auro
rara auis et picta pandat spectacula cauda:
tamquam ad rem attineat quicquam. nunc uesceris ista
quam laudas pluma? cocto num adest honor idem?
[*carne tamen quamuis distat nil hac magis illa,]

1137 te *om.* *A* — aget *A* — 1138 extuderit *A et D pr. m.* extulerit *D corr.* expulerit *cum Excerptis Bodleianis Bentleius* — 1141 piscis *A.* pisceis *Cruquiana.* pisces *Orelliana* 3 — 1145 nec *A Cruquiana.* neque *Orelliana* 3 — 1146 aut *om.* *A* — potuit *A* — laganis *A* — 1147 tamen *A Orelliana* 3. 'uix tamen eripiam. *in hac lectione consentiunt omnia scripta praeter Bland. lib. duos, in quibus est haec scriptura,* uix tandem eripiam, *cum nota interrogationis posita post hunc uersum' Cruquius* — 1151 pertineat *A* — quidquam *A Orelliana* 3, *Cruquiana* — 1152 coctone etiam est *Bentleii dubia suspicio* — honor *Orelliana* 3, *Bentleius.* color *A.* 'cocto num adest. *sic habent omnes scripti codices sine elisione m litterae: sed et unus Bland. habet:* num adest color idem' *Cruquius* — 1153 '... *aut delendus uidetur uersus aut aliquid excidisse statuendum in hanc fere sententiam:* carne tamen, quamuis distat nihil, hac magis illa || [delector, pulchri quid habet Iunonius ales] || inparibus formis deceptum te patet. esto.' *Meinekius l. l. p. XXVII sq. Idem 're iterum pensitata' totum uersum ab interpolatrice manu intrusum credit l. l. p. XXIX*

inparibus formis deceptum te patet. esto.
unde datum sentis, lupus hic Tiberinus an alto
captus hiet, pontisne inter iactatus an amnis
ostia sub Tusci? laudas insane trilibrem
mullum, in singula quem minuas pulmenta necesse est.
ducit te species, uideo. quo pertinet ergo
proceros odisse lupos? quia scilicet illis
maiorem natura modum dedit, his breue pondus.
IEIVNVS raro stomachus uolgaria temnit.
'porrectum magno magnum spectare catino
uellem' ait Harpyiis gula digna rapacibus. at uos
praesentes, austri, coquite horum obsonia. quam-
quam
putet aper rhombusque recens, mala copia quando
aegrum sollicitat stomachum, cum rapula plenus
atque acidas mauolt inulas. necdum omnis abacta
pauperies epulis regum: nam uilibus ouis
nigrisque est oleis hodie locus. haud ita pridem

— nihil *Bentleius* — haec *A*, *Fea* — illam *AD*. illa *Cruquiana* — 1154 imparibus *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — patet *Cruquiana*. petere *A*, *D corr*. — 1156 pontisne *A*. ponteisne *Cruquiana*. pontesne *Orelliana* 3 — 1155 an] in *D* — 1159 quo] quid *D* — 1162 'ieiunus raro stomachus. *sic habent omnes codices scripti, non etiam, ut uulgo legitur*, ieiunus stomachus raro uul. t.' *Cruquius*. i. raro stom. *A Orelliana* 3 — uulgaria *A* — *hic uersus suspectus est Bentleio ad Artis poeticae uersum* 337. *cfr. Orellii adnot.* — 1167 crapula *A* — 1168 mault *A Cruquiana*. mauolt *Orelliana* 3 — 1169 regnum *A* — 1171 Galloni *A Orelliana* 3. 'Galloni. *habent hanc lectionem omnes scripti codices, pro* Gallonii, *per apocopen, non* Gallonis' *Cruquius* — accipiens ere *A* — 1172 tunc *D*. tum *A Cruquiana*, *Bentleius* — aequor alebat *AD*. aequora alebant *Bentleius*. 'Quid tunc rhombos minus aequor alebat. *sic habent omnes libri scripti praeter Mart. et unum Bland. qui habent*, aequora alebant' *Cruquius* — 1174 historius *A* — 1175 suaueis *Cruquiana*. suaues *A Orelliana* 3 — 1177

Galloni praeconis erat acipensere mensa
infamis. quid? tunc rhombos minus aequor alebat?
tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido,
donec uos auctor docuit praetorius. ergo
siquis nunc mergos suauis edixerit assos, 1175
parebit praui docilis Romana iuuentus.
sordidus a tenui uictu distabat, Ofello
iudice. NAM frustra uitium uitaueris illud,
si te alio prauum detorseris. Auidienus,
cui canis ex uero ductum cognomen adhaeret, 1180
quinquennis oleas est et siluestria corna,
ac nisi mutatum parcit defundere uinum, et
cuius odorem olei nequeas perferre, licebit
ille repotia natalis aliosue dierum
festos albatus celebret, cornu ipse bilibri 1185
caulibus instillat, ueteris non parcus aceti.
quali igitur uictu sapiens utetur, et horum
utrum imitabitur? hac urguet lupus, hac canis,
aiunt.

Ab hoc uersu noua Ecloga incipit in **A** — distabat ***D***. distaba ***A***. ʿdistabat. *sic inuenitur in omnibus scriptis praeter Diuae., ubi legitur*, distabit' *Cruquius*. distabit *Bentleius* — 1179 prauus *ex uno codice Bersmanni Bentleius* — 1180 dictum ***AD***. ʿcui canis ex uero ductum. ductum, *habet codex Bland. antiquissimus, quem secuti sumus' Cruquius*. ductum *Bentleius* — 1181 quinquenni ***A***. quinquenneis *Cruquiana*. quinquennes *Orelliana* 3 — 1182 defundere ***A***. diffundere ***D***. ʿac nisi mutatum parcit defundere u. *sic legitur in* 4. *codicibus Bland. reliqui habent*, diffundere, *sed inepte' Cruquius*. ʿparcit defundere u. et. *sic habent omnes scripti codices praeter Mart. in quo τὸ* et *omissum est' Cruquius*. p. d. uinum et ***A*** *Orelliana* 3 — 1183 neque asper ferre ***A*** — 1184 natalis ***A***. nataleis *Cruquiana*. natales *Orelliana* 3 — 1188 urguet ***A***. urget *Orelliana* 3. ʿhac urget lupus, hac canis aiunt. *sic habent omnes scripti codices praeter Diuae. et Mart., in quibus scribitur*, hac canis angit ..... *Deinde Bland. codices habent*, hac urguet lupus' *Cruquius* — aiunt ***AD***

mundus erit, qua non offendat sordibus, atque
in neutram partem cultus miser. hic neque seruis,
Albuti senis exemplo, dum munia didit
saeuus erit; nec sic ut simplex Naeuius unctam
conuiuis praebebit aquam: uitium hoc quoque magnum.
accipe nunc, uictus tenuis quae quantaque secum
adferat. in primis ualeas bene. nam uariae res
ut noceant homini, credas, memor illius escae,
quae simplex olim tibi sederit: at simul assis
miscueris elixa, simul conchylia turdis,
dulcia se in bilem uertent, stomachoque tumultum
lenta feret pituita. uides ut pallidus omnis
cena desurgat dubia? QVIN corpus onustum
hesternis uitiis animum quoque praegrauat una
atque adfigit humo diuinae particulam aurae.
alter, ubi dicto citius curata sopori
membra dedit, uegetus praescripta ad munia surgit.
hic tamen ad melius poterit transcurrere quondam;

1189 'mundus erit. *hic uersus uarie legitur. In* 4. *codic. Bland. Busl. Nan. hoc modo*, mundus erit, qua non offendat. *ceteri habent*, qui; *deinde alii habent*, offendit; *alii*, offendet; *postremo duo Bland. legunt*, sordidus; *alii duo*, sordibus' *Cruquius.* qua *A Bentleius.* qui *AD* — offendat *AD Bentleius* — sordibus *AD Bentleius* — 1191 Albuci *Cruquiana*, *Bentleius* — dedit *AD.* didit *Cruquiana* — 1192 neque *Cruquiana* — 1193 praebebat *D* — 1195 afferat *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1200 ferat *D* — 1201 cena *A.* coena *Cruquiana*, *Orelliana* 3: *cfr. Manut. Orthogr. p.* 167 *sq.* — 1203 effigit *A.* affigit *D.* affligit *Bentleius.* 'atque affligit humo. *scripti codices ad unum omnes habent*, adfigit; *uerum codices Bland. tres minutissimis characteribus exhibent hanc adnotatiunculam: deiicit in terram' Cruquius* — 1204 ubi ut *A* — 1207 aduexerit *AD.* 'aduexerit. *sic habent* 4. *codices Bland. Busl. Nan. Mart. sed Diuae. et Tons.*, adduxerit' *Cruquius* —

siue diem festum rediens aduexerit annus,
seu recreare uolet tenuatum corpus, ubique
accedent anni, tractari mollius aetas
inbecilla uolet: tibi quidnam accedet ad istam,
quam puer et ualidus praesumis, mollitiem, seu
dura ualetudo inciderit, seu tarda senectus?
rancidum aprum antiqui laudabant, non quia nasus
illis nullus erat, sed, credo, hac mente, quod hospes
tardius adueniens uitiatum commodius quam
integrum edax dominus consumeret. hos utinam inter
heroas natum tellus me prima tulisset.
das aliquid famae, quae carmine gratior aurem
occupet humanam? grandes rhombi patinaeque
grande ferunt una cum damno dedecus: adde
iratum patruum, uicinos, te tibi iniquum
et frustra mortis cupidum, cum deerit egenti
as, laquei pretium. 'iure' inquit 'Trausius istis
iurgatur uerbis: ego uectigalia magna
diuitiasque habeo tribus amplas regibus.' ergo
quod superat non est melius quo insumere possis?
cur eget indignus quisquam, te diuite? quare

1208 ubiue *Bentleii suspicio recepta ab Heindorfio* — 1209 et *om.* *AD.* et *Cruquiana*, *Orelliana* 3, *Bentleius* — 1210 imbecilla *Cruquiana*, *Orelliana* 3. inbecilla *A* — quondam nam *A* — 1211 praesumit *D* — 1213 ualitudo *A* — 1215 uitiatum *AD.* 'uitiatum commodius. *codex Bland. cum Tons. habet*, uitiaret *et in tribus codic. Bland. adnotatum est, reprehenderet; sed uulgata lectio uidetur antiquior' Cruquius* — 1219 occupet *A Bentleius.* occupat *D.* 'occupet. *sic habet codex Bland. uetustissimus ..... ceteri codices consentiunt uulgatae' Cruquius* — pati nâque *A* — 1222 derit *A* — 1223 as *A Orelliana* 3, *Bentleius.* 'as laquei p. *sic habent cod.* 4. *Bland. et Tons. ceteri*, aes' *Cruquius* — inquis *Cruquiana.* inquit *AD Bentleius* — Trausius *A Bentleius*, *Orelliana* 3. 'Trasius. 4. *codices Bland. et Tons. habent*, Trausius. *Busl.* Traxius. *Nan.* Traulius. *Diuae.* Tosius' *Cruquius* — 1225 diuitias (*om.* que) *Bentleius edidit nil de codicibus monens*

templa ruunt antiqua deum? cur, inprobe, carae
non aliquid patriae tanto emetiris aceruo?
uni nimirum rectae tibi semper erunt res,
o magnus posthac inimicis risus. uterne
ad casus dubios fidet sibi certius? hic qui
pluribus adsuerit mentem corpusque superbum,
an qui contentus paruo metuensque futuri
in pace, ut sapiens, aptarit idonea bello?
quo magis his credas, puer hunc ego paruus Ofellum
integris opibus noui non latius usum
quam nunc accisis. uideas metato in agello
cum pecore et gnatis fortem mercede colonum,
'non ego' narrantem 'temere edi luce profesta
quicquam praeter holus fumosae cum pede pernae.
ac mihi seu longum post tempus uenerat hospes,
siue operum uacuo gratus conuiua per imbrem
uicinus, bene erat non piscibus urbe petitis,
sed pullo atque haedo. tum pensilis uua secundas
et nux ornabat mensas cum duplice ficu.

1230 recte *A*. rectae *D*. 'uni nimirum recte. *codex Bland. antiquiss. habet*, rectae' *Cruquius* — recte tibi *AD*. recte tibi *Cruquiana*. tibi recte *Bentleius e quattuor codicibus* — erunt] eunt *N. Heinsio auctore Bentleius* — 1231 uterne *A Orelliana* 3. 'uterne ad cas. d. *sic legitur in omnibus scriptis, non etiam, ut uulgo*, uternam' *Cruquius* — 1232 at .. fidit *A* — 1237 latius] laetius *N. Heinsius*. lautius *H. Stephanus* (*Diatr. II p.* 68), *uid. Bentl. adnotationem utrumque refutantem* — 1239 natis *D Cruquiana*. gnatis *A* — colonem *A* — 1241 quidquam .. holus *A* — 1242 ac mihi seu *AD Bentleius, Cruquiana*. at m. s. *Fea alii* — 1246 fico *A* — 1247 culpa *AD*. 'culpa potare magistra. *Nullus est ex scriptis codicibus, in quo non offenditur haec lectio' Cruquius*. cuppa *Lambini coniectura*. cupa *Bentleii coniectura*. nulla *eiusdem dubia suspicio* — 1248 'ac uenerata Ceres ..... *Codex Mart. habet*, at uenerata *etc. Tons*. ac uenerata C. ita Culmo uti surger. al. *ceteri habent*, ac uen. Cer. ita cul. s. a.' *Cruquius*. ac

post hoc ludus erat culpa potare magistra;
ac uenerata Ceres, ita culmo surgeret alto,
explicuit uino contractae seria frontis.
saeuiat atque nouos moueat Fortuna tumultus;
quantum hinc inminuet? quanto aut ego parcius aut uos,
o pueri, nituistis, ut huc nouus incola uenit?
nam propriae telluris erum natura neque illum
nec me nec quemquam statuit: nos expulit ille;
illum aut nequities aut uafri inscitia iuris,
postremum expellet certe uiuacior heres.
nunc ager Vmbreni sub nomine, nuper Ofelli
dictus, erit nulli proprius, sed cedet in usum
nunc mihi, nunc alii. quocirca uiuite fortes,
fortiaque aduersis opponite pectora rebus.

ECLOGA III.

Si raro scribis, ut toto non quater anno

uenerata Ceres ita c. s. a. *AD Bentleius* — 1251 imminuet *A Cruquiana, Orelliana* 3 — quanto] quantum *AD* — ego *om. A* — 1253 propriae *AD Cruquiana, Bentleius.* proprie *Meinekius alii* — erum *A.* herum *Cruquiana, Orelliana* 3 — nec *A* — 1256 postremo *A Cruquiana.* postremum *Orelliana* 3, *Bentleius* — 1258 dictus, erit nulli *AD Cruquiana.* dictus erit: nulli *Bentleius cum quinque codicibus* — cedet *AD Cruquiana.* cedit *Bentleius*

Ecloga III. Damasippus *Cruquiana* — 1261 si *AD pr. m.* sic *D corr.* 'si raro scribis ut to. *Haec lectio, ne quis offendatur nouitate, non est nostrum commentum, sed trium codicum Blandiniorum cum Martinio .... nam praeter codicum Blandiniorum uenerandam antiquitatem, hoc quoque me impulit' (sc. ut hanc scripturam reciperem) e. q. s. Cruquius* — scribes *A.* scribis *D.* si raro scribes .... quid fiet *Bentleius* — '*corrigendum uidetur:* si raro scribis tu ut toto' *Meinekius l. l. p. XXIX. fortasse scripsit poeta* si raro scribis uel toto ut non q. a.

membranam poscas, scriptorum quaeque retexens,
iratus tibi quod uini somnique benignus
nil dignum sermone canas, quid fiet? at ipsis
Saturnalibus huc fugisti sobrius. ergo
dic aliquid dignum promissis. incipe. nil est.
culpantur frustra calami, inmeritusque laborat
iratis natus paries dis atque poetis.
atqui uoltus erat multa et praeclara minantis,
si uacuum tepido cepisset uillula tecto.
quorsum pertinuit stipare Platona Menandro?
Eupolin, Archilochum, comites educere tantos?
inuidiam placare paras uirtute relicta?
contemnere, miser. uitanda est inproba Siren
desidia, aut quidquid uita meliore parasti
ponendum aequo animo.' di te, Damasippe, deaeque
uerum ob consilium donent tonsore. sed unde
tam bene me nosti? 'postquam omnis res mea Ianum
ad medium fracta est, aliena negotia curo,
excussus propriis. olim nam quaerere amabam,
quo uafer ille pedes lauisset Sisyphus aere,
quid sculptum infabre, quid fusum durius esset;

1264 at *A Bentleius.* ab *D.* 'sobrius. *scriptus codex Gualteri Siluii et unus Bland. habent hanc interpunctationem*, ab ipsis Satur. huc fugisti sobrius. *sed Bland. pro τῷ* ergo *habet*, esto. *deinde antiquissimus Bland. pro τῷ* ab, *habet*, at' *Cruquius* — 1265 fugisti. sobrius ergo *Cruquiana*, *Orelliana* 3. fugisti sobrius. ergo *Bentleius* (*qui praeterea unius Blandinii scripturam* esto 'uenustam' *dicit*) *et post hunc alii* — 1267 immeritus *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1268 diis *A Cruquiana* — 1269 uultus *A Cruquiana* — 1270 lecto *Bentleii suspicio* — 1272 Archilochum *AD Cruquiana.* Archilocho *Bentleius e codice Reginensi ab all. m.* — 1274 improba *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1276 di] de *A* — 1282 scalptum *A.* sculptum *Orelliana* 3. 'quid sculptum. *sic habent omnia scripta*, *non etiam* scalptum, *ut uulgata' Cruquius* — infabri *A* — 1283 millia *Cruquiana.* milia *A Orelliana* 3 — 1285

callidus huic signo ponebam milia centum;
hortos egregiasque domos mercarier unus
cum lucro noram; unde frequentia Mercuriale
inposuere mihi cognomen compita.' noui,
et miror morbi purgatum te illius. 'atqui
emouit ueterem mire nouus, ut solet, in cor
traiecto lateris miseri capitisue dolore;
ut lethargicus hic, cum fit pugil et medicum urguet.'
dum ne quid simile huic, esto ut libet. 'o bone, ne te
frustrere: insanis et tu stultique prope omnes,
siquid Stertinius ueri crepat, unde ego mira
descripsi docilis praecepta haec, tempore quo me
solatus iussit sapientem pascere barbam
atque a Fabricio non tristem ponte reuerti.
nam, male re gesta, cum uellem mittere operto
me capite in flumen, dexter stetit et "caue faxis
te quicquam indignum: pudor" inquit "te malus angit,
insanos qui inter uereare insanus haberi.
primum nam inquiram quid sit furere: hoc si erit in te
solo, nil uerbi, pereas quin fortiter, addam.'

Mercuriale *AD*. 'Mercuriale. *omnes codices scripti sic habent, praeter Tons. in quo legitur*, Mercurialem' *Cruquius* — 1286 imposuere *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — competa *A* — 1287 miror morbi *A Orelliana* 3. morbi miror *Cruquiana* — at qui *A* — 1288 et mouit *A* — maior nouus *Horkel. Anal. Hor. p.* 106 *sqq.* — 1289 capitisque *D Cruquiana*. capitisue *A Bentleius* — 1290 modicum *A*. medicum *Orelliana* 3. 'et medicum urget ..... *duo Bland. habent*, et modicum urget' *Cruquius* — urguet *A* — 1291 huic *om. A* — libet] liber et *A* — 1293 ueri *A*. uerum *D*. 'si quid Stert. ueri c. 2. *codices Blandin. et Buslid. habent*, uerum' *Cruquius* — 1294 hoc *A* — 1298 stertit *A* — 1299 quidquam *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — angit *AD Bentleius*. 'pudor, inquit, te malus u. .... *In* 4. *codic. Bland. Mart. Tons. et Sil. legitur*, angit, *in aliis*, urget' *Cruquius* — 1301 in *om. A*

quem mala stultitia et quemcumque inscitia ueri
caecum agit, insanum Chrysippi porticus et grex
autumat. haec populos, haec magnos formula re-
ges, 1305
excepto sapiente, tenet. nunc accipe, quare
desipiant omnes aeque ac tu, qui tibi nomen
insano posuere. uelut siluis, ubi passim
palantis error certo de tramite pellit,
ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit, unus utri-
que 1310
error, sed uariis inludit partibus; hoc te
crede modo insanum, nihilo ut sapientior ille,
qui te deridet, caudam trahat. est genus unum
stultitiae nihilum metuenda timentis, ut ignis,
ut rupis fluuiosque in campo obstare queratur: 1315
alterum et huic uarum et nihilo sapientius ignis
per medios fluuiosque ruentis. clamet amica,
mater, honesta soror cum cognatis, pater, uxor
'hic fossa est ingens, hic rupes maxima: serua!'
non magis audierit quam Fufius ebrius olim, 1320
cum Ilionam edormit, Catienis mille ducentis,

1303 stultitia et] stultities *non dubitat quin scribendum sit Meinekius l. l. p. XXIX* — quemcumque *A.* quemcunque *Orelliana* 3. 'quemcunque inscitia u. *hoc modo legitur in* 4. *codic. Bland. et Tons. alii habent*, quaecunque inscitia' *Cruquius* — 1304 rex *A* — 1308 insano *A Orelliana* 3. insani *Lambinus.* 'qui tibi nomen insano p. *omnia scripta consentiunt in datiuo*, insano, *praeter unicum Tons. qui habet* insani' *Cruquius* — uelud *A* — 1309 palantes *A Orelliana* 3. palanteis *Cruquiana.* 'palanteis error. *codex Tons. et Sil. habet*, pallenteis' *Cruquius* — 1310 utrisque *D corr.* utque *A.* utrique *Cruquiana* (*cfr. Priscian. I* 624 *Kr.*) — 1311 illudit *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1314, 1315, 1316 ignes .. rupis .. ignes *A.* igneis .. rupeis .. igneis *Cruquiana.* ignes .. rupes .. ignes *Orelliana* 3 — 1316 uarum *A*, *D pr. m.* uarium *Cruquiana*, *Bentleius* — 1317 clamat *A* — anicla *coniecit Horkelius Anal. Hor. p.* 40 *sq.* — 1320 Fusius *D.* fusus *A*

'mater, te adpello' clamantibus. huic ego uolgus
errori similem cunctum insanire docebo.
insanit ueteres statuas Damasippus emendo:
integer est mentis Damasippi creditor? esto:
accipe quod numquam reddas mihi, si tibi dicam;
tune insanus eris si acceperis? an magis excors
reiecta praeda, quam praesens Mercurius fert?
scribe decem a Nerio: non est satis: adde Cicutae
nodosi tabulas centum, mille adde catenas:
effugiet tamen haec sceleratus uincula Proteus.
cum rapies in ius malis ridentem alienis,
fiet aper, modo auis, modo saxum et, cum uolet, arbor.
si male rem gerere insani est, contra bene sani,
putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perilli
dictantis quod tu numquam rescribere possis.
audire atque togam iubeo conponere, quisquis
ambitione mala aut argenti pallet amore,
quisquis luxuria tristiue superstitione
aut alio mentis morbo calet: huc propius me,
dum doceo insanire omnis, uos ordine adite.

— Fufius, ebrius olim cum *sic distinxit Kirchner* — 1322 appello *A Cruquiana, Orelliana* 3 — uulgus *A.* uulgum *Cruquiana D.* uulgus *Bentleius* — 1323 error .. cunet *A* — 1326 numquam *A Cruquiana.* nunquam *Orelliana* 3 — 1327 tune] tum *Bentleii operae Amstel. et Lips. uitiose* — 1329 a Nerio *D.* a *om. A.* 'scribe decem a Nerio. *in hac lectione consentiunt omnes scripti libri' Cruquius* (*sic etiam legendum est Seru. ad Aen. VII* 422) — Cicutis *A* — 1332 in ius *A.* in iura *D.* 'cum rapies in ius malus r. a. *sic habent Blandinii codices, ceteri,* in iura. *sed alia lectio genuina est ad imitationem illius Homeri il. v* (*scr.* 'Οδυσσ. *v*) *οἱ δ' ἤδη γναθμοῖσι γελοίων ἀλλοτρίοισιν* (*u.* 345)' *Cruquius* — 1334 insani, contra bene sani est *e codice Regiae Societatis et Galeano Bentleius* — 1335 Perelli *AD.* PerillI *Cruquiana* — 1336 uid. 1326 — 1337 componere *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 1341 omneis *Cruquiana.* omnes *A Orelliana* 3

danda est ellebori multo pars maxima auaris:
nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.
heredes Staberi summam incidere sepulcro,
ni sic fecissent, gladiatorum dare centum 1345
damnati populo paria atque epulum arbitrio Arri,
frumenti quantum metit Africa. 'siue ego praue,
seu recte hoc uolui, ne sis patruus mihi:' credo
hoc Staberi prudentem animum uidisse. 'quid ergo
sensit, cum summam patrimoni insculpere saxo 1350
heredes uoluit?' quoad uixit, credidit ingens
pauperiem uitium et cauit nihil acrius, ut, si
forte minus locuples uno quadrante periret,
ipse uideretur sibi nequior. omnis enim res,
uirtus, fama, decus, diuina humanaque pulchris 1355
diuitiis parent; quas qui construxerit, ille
clarus erit, fortis, iustus. 'sapiensne?' etiam, et
rex
et quidquid uolet. hoc, ueluti uirtute paratum,
sperauit magnae laudi fore. quid simile isti
Graecus Aristippus? qui seruos proicere aurum 1360
in media iussit Libya, quia tardius irent
propter onus segnes. uter est insanior horum?

1342 ellebori *A Cruquiana, Orelliana* 3. (*cfr. Wagneri Orthogr. Verg. p.* 433) hellebori *alii* — 1343 '*Asyndetorum usus apud Horatium frequentissimus, sed quale hoc est uix aliud inuenias; fortassis igitur pro* nescio *scribendum* nec scio' *Meinekius l. l. p. XXX* — antycirā *A* — 1346 Arri et' *Bentleii coniectura* — 1349 uidisse *A Orelliana* 3. iussisse *Lambini coniectura.* 'prudentem animum uidisset. *In omnibus codicibus, quos uidi tam scriptos quam excusos, legitur τὸ* uidisse' *Cruquius* — 1353 periret *A.* perisset *D.* 'perisset. *sic habent tres codices Bland. Sil. Diuae. reliqui*, periret' *Cruquius.* periret *Bentleius, qui tamen probat* perisset — 1356 construxerit *A Bentleius.* contraxerit *D.* 'quas qui construxerit. *sic codex unus Blandin. et Busl. ceteri omnes*, contraxerit' *Cruquius* — 1357 sapiens *A.* sapiens (*erasa syllaba* ne *aut* que) *D.* 'sapiensne. *uariant hic codices: alii* sapiensne etiam et rex; *alii*

nil agit exemplum, litem quod lite resoluit.
siquis emat citharas, emptas conportet in unum,
nec studio citharae nec Musae deditus ulli,
si scalpra et formas non sutor, nautica uela
auersus mercaturis, delirus et amens
undique dicatur merito. qui discrepat istis,
qui nummos aurumque recondit, nescius uti
conpositis metuensque uelut contingere sacrum?
siquis ad ingentem frumenti semper aceruum
porrectus uigilet cum longo fuste, neque illinc
audeat esuriens dominus contingere granum,
ac potius foliis parcus uescatur amaris;
si positis intus Chii ueterisque Falerni
mille cadis, nihil est, tercentum milibus, acre
potet acetum; age, si et stramentis incubet unde
octoginta annos natus, cui stragula uestis,
blattarum ac tinearum epulae, putrescat in arca:
nimirum insanus paucis uideatur, eo quod
maxima pars hominum morbo iactatur eodem.
filius aut etiam haec libertus ut ebibat heres,
dis inimice senex, custodis? ne tibi desit?
quantulum enim summae curtabit quisque dierum,

sapiensque etiam rex; *alii* sapiensque etiam et rex *habent' Cruquius* — etiam rex *A.* etiam et rex *Orelliana* 3 — 1360 proicere *AD.* proiicere *Cruquiana* — 1364 comportet *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 1368 quid *A.* qui *Orelliana* 3, *Bentleius.* 'quid discrepat istis. *omnes scripti codices habent:* qui dis. istis. *duo cod. Bland. cum Mart. habent,* iste' *Cruquius* — istis *A Orelliana* 3 — 1370 compositis *A Cruquiana, Orelliana* 3 — confringere, '*uel aliud huic simile*' *Meinekius l. l. p. XXX* contingere *male ex uersu* 110 *huc irrepsisse ratus* — 1372 proiectus *Bentleii coniectura, ut Carm. uers.* 1871 — 1377 potat *A* — unde || octoginta *omnes codices et Priscian. II* 204 (18, 24) *Kr.* udis (*pro* unde) *ex Horkelii coniectura Anal. Hor. p.* 28 *sqq. recepit Meinekius, idem tamen dubitans utrum hoc an quod ipse tentauerit* uluae *a poetae manu profectum sit* — 1379 blatarum *D.* blattarum *A Cru-*

unguere si caulis oleo meliore caputque
coeperis inpexa foedum porrigine? quare,
si quiduis satis est, periuras, subripis, aufers
undique? tun sanus? populum si caedere saxis
incipias seruosue tuo quos aere pararis,
insanum te omnes pueri clamentque puellae:
cum laqueo uxorem interimis matremque ueneno,
incolumi capite es? quid enim? neque tu hoc facis Argis,
nec ferro ut demens genetricem occidis Orestes.
an tu reris eum occisa insanisse parente,
ac non ante malis dementem actum Furiis quam
in matris iugulo ferrum tepefecit acutum?
quin, ex quo est habitus male tutae mentis Orestes,
nil sane fecit, quod tu reprehendere possis:
non Pyladen ferro uiolare aususue sororem
Electram, tantum maledicit utrique uocando
hanc Furiam, hunc aliud, iussit quod splendida bilis.
pauper Opimius argenti positi intus et auri,

quiana — putescat *Cruquiana* — 1385 ungere *A Cruquiana, Orelliana* 3 — cauleis *Cruquiana.* caules *A Orelliana* 3 — 1386 impexa *A Cruquiana, Orelliana* 3 — prurigine *D* — 1387 peiuras *D* — surripis *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 1388 tun sanus *A Orelliana* 3. tum sanus *D.* tun' sanus *Cruquiana* — 1389 seruosue *A Cruquiana, Orelliana* 3, *Bentleius* — tuos *D Cruquiana.* tuo *A Bentleius alii* — 1392 incolomi *A* — quid enim? neque tu hoc facis *A Cruquiana.* quidni? neque enim hoc facis *Bentleius.* quid enim? neque enim hoc facis *D* — 1393 genitricem *A Cruquiana, Orelliana* 3. genetricem *Bentleius; uid. Wagneri Orthogr. Verg. p.* 438 *et C. Lachmann. comment. Lucr. p.* 15 — occidis *AD Orelliana* 3. occidit *Cruquiana.* occidis *Bentleius* — 1397 est *om. A* — 'maletutae mentis. *maletuta, composite, ut dicimus, malesana. At codex Tons. habet,* tutae male mentis' *Cruquius.* male motae *N. Heinsius apud Bentleium* — 1398 reprehendere *A.* reprendere *D Cruquiana* — 1399 sororem est *Bentleius ex optimo Pulmanni et Regio.* est *om. A, Cruquiana, Orelliana* 3 —

qui Veientanum festis potare diebus
Campana solitus trulla uappamque profestis,
quondam lethargo grandi est oppressus, ut heres
iam circum loculos et clauis laetus ouansque
curreret. hunc medicus multum celer atque fidelis
excitat hoc pacto: mensam poni iubet atque
effundi saccos nummorum, accedere pluris
ad numerandum: hominem sic erigit. addit et illud,
'ni tua custodis, auidus iam haec auferet heres.'
'men uiuo?' 'ut uiuas igitur, uigila. hoc age.' 'quid uis?'
'deficient inopem uenae te, ni cibus atque
ingens accedit stomacho fultura ruenti.
tu cessas? agedum, sume hoc ptisanarium oryzae.'
'quanti emptae?' 'paruo.' 'quanti ergo?' 'octussibus.' 'eheu.'
quid refert, morbo an furtis pereamque rapinis?' —

1402 Opimius] opimus et *A* — 1404 sonitus *A* — 1406 claueis *Cruquiana*. claues *A Orelliana* 3 — 1409 plureis *Cruquiana*. plures *A Orelliana* 3 — 1410 homines *A* — 1411 iam haec *A Orelliana* 3. 'iam haec auferet. *sic habent omnes scripti cod., non etiam*, hoc, *ut uulgati' Cruquius*. iam iam auferet *N. Heinsius non improbante Bentleio* — 1414 ingens] praesens *Bentleii coniectura*. id genus *Horkelius Anal. Horat. p.* 109 *sqq. primum* insons *scribendum mihi uidebatur, sed nunc malim retinere* ingens — accedit *A Bentleius*. accedat *D Cruquiana* — 1415 tisanarium *A* — 1416 emtae *Cruquiana*. emptae *A Orelliana* 3 — octussibus *D*, *om. A*. 'octo assibus. *tres Bland. codices habent*, octussibus ..... *cod. Tons. habet* octussibus. *Mart. hoc modo*, VIII. assibus. *uetustissimus Bland. codex habet hanc scripturam*, oct. assibus' *Cruquius* — heheu *D*. eheu *Cruquiana*, *om. A. Cfr. Hand. Tursell. II p.* 359 — 1417 pereamque *A Orelliana* 3. pereamue *ex tribus suis codicibus Bentleius*. 'pereamque rap. *sic legitur in omnibus scriptis praeter Mart., qui sequitur uulgatam lectio-*

'quisnam igitur sanus?' qui non stultus. 'quid auarus?'
stultus et insanus. 'quid, siquis non sit auarus,
continuo sanus?' minime. 'cur, stoice?' dicam.
non est cardiacus (Craterum dixisse putato)
hic aeger: recte est igitur surgetque? negabit.
quod latus aut renes morbo temptentur acuto.
non est periurus neque sordidus. inmolet aequis
hic porcum laribus. uerum ambitiosus et audax.
nauiget Anticyram. quid enim differt, barathrone
dones quidquid habes an numquam utare paratis?
Seruius Oppidius Canusi duo praedia, diues
antiquo censu, gnatis diuisse duobus
fertur et hoc moriens pueris dixisse uocatis
ad lectum 'postquam te talos, Aule, nucesque
ferre sinu laxo, donare et ludere uidi,
te, Tiberi, numerare, cauis abscondere tristem,
extimui, ne uos ageret uesania discors,
tu Nomentanum, tu ne sequerere Cicutam.

nem, *puta*, pereamne' *Cruquius* — 1419 *et* 1420 quid ..... sanus? *om. A* — 1422 surgitque *A* — 1423 aut] et *A* — temptantur *A*. temptentur *seu* tententur *D*. 'morbo tentantur acuto. *Codices Blandin. et Tons. habent*, tententur; *ceteri* tentantur' *Cruquius. Totum uersum* [*recurrentem Epistularum I* 6, 28 (290)] *uncis inclusit edilio Weidmanniana, in marginem relegauit Meinekius* — 1424 immolet *Cruquiana*, *Orelliana* 3. îmolet *A* — 1426 balatrone *e codice Reginensi et Galeano Bentleius.* barathrone *A Cruquiana*, *Orelliana* 3. *cfr. C. Lachmanni comment. ad Lucr. p.* 195 *sq.* — 1427 dones] damnes (*seruata* barathronę *scriptura*) *dubia Bentleii suspicio* — numquam *A* — 1428 Oppimius *D.* opidius *A* — Canusi duo] duo quondam *A*, *quae scriptura fortasse genuina est* — 1429 gnatis *A* — diuisse *A Orelliana* 3. 'diuisse. *sic habent omnia scripta*, *non etiam*, didisse, *ut aliqui putarunt*' *Cruquius* — 1430 hoc *AD Bentleius.* 'fertur et haec. *omnes codices manuscrip. habent*, hoc' *Cruquius* — 1432 et donare *D.* et *om. A.* donare et *Cruquiana* — ludere] perdere *Bentleii*

quare per diuos oratus uterque penatis,
tu caue ne minuas, tu ne maius facias id
quod satis esse putat pater et natura coercet.
praeterea ne uos titillet gloria, iure
iurando obstringam ambo: uter aedilis fueritue 1440
uestrum praetor, is intestabilis et sacer esto.
in cicere atque faba bona tu perdasque lupinis,
latus ut in circo spatiere et aeneus ut stes,
nudus agris, nudus nummis, insane, paternis?
scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu, 1445
astuta ingenuum uolpes imitata leonem.' —
ne quis humasse uelit Aiacem, Atrida, uetas cur?
'rex sum.' nil ultra quaere plebeius. 'et aequam
rem imperito; ac si cui uideor non iustus, in-
ulto
dicere quod sentit permitto.' maxime regum, 1450
di tibi dent capta classem reducere Troia.
ergo consulere et mox respondere licebit?
'consule.' cur Aiax heros ab Achille secundus

coniectura — 1434 extimuit *A* — insania *A* — 1435 tu ne] tnc *A* — 1436 Penateis *Cruquiana*. Penates *A Orelliana* 3 — 1437 facies *A* — 1438 cohercet *A* — 1440 fueritue *A Orelliana* 3. 'fueritue.. *sic habent omnia scripta*' *Cruquius* — 1441 is *om. A* — 1443 'latus ut in Circo. *sic habent omnes cod. scripti*' *Cruquius*. l. ut in Circos patiere *A*. lentus ut i. c. sp. *N. Heinsiusa pud Bentleium* — et aeneus *AD Orelliana* 3, *Bentleius*. aut aeneus *Cruquiana* — 1446 uulpes *A* — 1448 quaero *A Orelliana* 3. 'nihil ultra quaer. p. *codex Blandinius antiquissimus ostendit aperte pro* re, *syllaba erasa*, *supra scriptam* ro *ab inepto aliquo et audaculo castigatore*' *Cruquius*. quaere *Bentleius* — 1449 at si *Bentleius*, *ipso tamen improbante*. ac si *A Orelliana* 3. 'ac si cui u. *Antiquiss. codex Blandinian. habet*, at si cui' *Cruquius* — 1450 quae *Cruquiana*. quid dicere *A* — 1451 reducere *AD*. deducere *Orelliana* 3, *Bentleius*. 'reducere Troia. *sic habent fere omnia scripta* ..... *Aliqui codices habent*, redducere' *Cruquius*. (*de* redducere *forma cfr. C. Lachmanni comment. Lucr. p.* 303)

putescit, totiens seruatis clarus Achiuis?
gaudeat ut populus Priami Priamusque inhumato, 1455
per quem tot iuuenes patrio caruere sepulcro?
'mille ouium insanus morti dedit, inclitum Vlixen
et Menelaum una mecum se occidere clamans.'
tu cum pro uitula statuis dulcem Aulide natam
ante aras spargisque mola caput, inprobe, salsa, 1460
rectum animi seruas? quorsum? insanus quid enim Aiax
fecit, cum strauit ferro pecus? abstinuit uim
uxore et gnato: mala multa precatus Atridis,
non ille aut Teucrum aut ipsum uiolauit Vlixen.
'uerum ego ut haerentis aduerso litore nauis 1465
eriperem prudens placaui sanguine diuos.'
nempe tuo, furiose. 'meo, sed non furiosus.' —
'qui species alias ueri scelerisque tumultu
permixtas capiet, conmotus habebitur, atque
stultitiane erret nihilum distabit an ira. 1470

1454 putescit *D pr. m.* putrescit *A*, *corr. D*, *Bentleius.* 'putescit. *in hoc uerbo nulli codices scripti dissentiunt*' *Cruquius* — (*de utriusque uocis notione cfr. C. Lachmanni comment. Lucr. p.* 188. *sq.*) — toties *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1456 quos *A* — 1457 inclitum Vlixem *A.* inclitum Vlixen *D.* inclytum Vlyssem *Cruquiana.* inclutum V. *Bentleius* — 1460 spargis *A* — inprobe *A* — 1463 nato *D Cruquiana.* gnato *A* — 1465 haerenteis .. naueis *Cruquiana.* haerentes .. naues *A Orelliana* 3 — 1468 ueri *D.* ueris *A*, *littera* s *ab eadem manu deleta.* 'qui species alias uero scel. ..... *Codex antiquissimus Blandin. habet,* species alias ueris, *cum hac adnotatione*, *contrarias ueritati. Codex Diu. habet*, *alias ueri*, *sed supra* i *litteram*, o *posita est* .... *equidem Bland. codicis lectionem typis mandari maluissem*, *propter uetustatem*, *sed* s *littera maiuscula adempta sequenti dictioni*, *adscripta erat praecedenti. In Buslidiano* s *aperte est erasum*' *Cruquius.* ueri *Bentleius* — scelerisque] cerebrique (cebrique *in edit. Kirchneri error typogr. est*) *Horkelius Anal. Horat. p.* 94 *sqq.* — 1469 conmotus *Cruquiana*, *Orelliana* 3. conmotus *A* — 1471 cum in-

Aiax cum inmeritos occidit desipit agnos:
cum prudens scelus ob titulos admittis inanis,
stas animo, et purum est uitio tibi, cum tumidum est cor?
siquis lectica nitidam gestare amet agnam,
huic uestem, ut gnatae, paret ancillas, paret aurum,
Rufam aut Posillam adpellet fortique marito
destinet uxorem, interdicto huic omne adimat ius
praetor, et ad sanos abeat tutela propinquos.
quid? siquis gnatam pro muta deuouet agna,
integer est animi? ne dixeris. ergo ubi praua
stultitia, hic summa est insania: qui sceleratus,
et furiosus erit: quem cepit uitrea fama,
hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis. —
nunc age luxuriam et Nomentanum arripe mecum:
uincet enim stultos ratio insanire nepotes.
hic simul accepit patrimoni mille talenta,

meritos *A*. immeritos dum *D*. ᶜAiax cum immeritos. *sic habent omnes codices praeter Mart. qui habet*, Aiax immerit. cum occidit' *Cruquius* — 1472 admittis *Orelliana* 3. ᶜcommittis inaneis. *sic omnes codices praeter unum Blandin. qui habet* admittis' *Cruquius*. Tu prudens .. cum admittis *Bentleii coniectura*. conmittis *A* — inaneis *Cruquiana*. inanes *A Orelliana* 3 — 1473 stans *A* — ᶜpurum est uitio tibi cum t. *codex Diu. habet*, purum est uitio, uel cum t. est cor' *Cruquius* — 1474 nitida *A* — 1475 ut natae *D*. h. gnatae ut u. p. *A* — 1476 Rufam aut Pusillam *Orelliana* 3. Rufama ut Pus iam *A*. ᶜpusam aut pusillam. *codex Mart. habet*, rusam et rusillam. *Blandin. antiquissimus*, rufam et posillam, *sed supra* o, *ponitur* u. *reliqui omnes habent*, rufam et pusillam' *Cruquius* — appellet *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1479 si qui *Bentleius* — natam *AD Cruquiana* — ᶜquid? si quis. *sic habent omnes codices*, *non*, quod, *ut excusi*' *Cruquius*. quid *AD* — multa *A* — 1483 cruentes *A* — 1485 uincet *A Orelliana* 3. uincit *Lambinus*. ᶜuincet enim ra. *in omnibus scriptis manu legere est*, uincet' *Cruquius* — enim *om. A*

edicit, piscator uti, pomarius, auceps,
unguentarius ac Tusci turba inpia uici,
cum scurris fartor, cum Velabro omne macellum
mane domum ueniant. quid tum? uenere frequentes.
uerba facit leno, 'quidquid mihi, quidquid et horum
cuique domi est, id crede tuum et uel nunc pete uel cras.'
accipe quid contra haec iuuenis responderit aequus.
'in niue Lucana dormis ocreatus, ut aprum
cenem ego. tu piscis hiberno ex aequore uerris.
segnis ego, indignus qui tantum possideam. aufer.
sume tibi deciens. tibi tantundem. tibi triplex,
unde uxor media currit de nocte uocata.'
filius Aesopi detractam ex aure Metellae,
scilicet ut deciens solidum absorberet, aceto
diluit insignem bacam: qui sanior, ac si
illud idem in rapidum flumen iaceretue cloacam?
Quinti progenies Arri, par nobile fratrum,

1488 impia *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 1489 curris *A* — 1490 quid tum? uenere *AD Cruquiana.* qui cum uenere *Bentleius coniecit.* quid tum? ut uenere frequentes, *Meinekius l. l. p. XXXI* — 1493 contra haec *AD.* contra *Cruquiana.* '*Quidam codices habent*, contra haec' *Cruquius* — 1494 in] tu *Bentleii coniectura* — 1495 pisceis *Cruquiana.* pisces *A Orelliana* 3 — uett *A.* uerris *D pr. m.* uellis *D corr.* 'uerris. *sic habent scripti libri omnes praeter Mart., qui sequitur uulgatam lectionem*' *Cruquius* — 1497 decies *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 1498 currit *AD.* currat *codices aliqui.* 'currit. *omnes codices in hoc uerbo concordant*' *Cruquius* — 1499 filius] Clodius *dubia Bentleii suspicio* — 1500 decies *A Cruquiana, Orelliana* 3 — absorberet *A, D corr.* exsorberet *D pr. m., Cruquiana.* absorberet *Bentleius.* obsorberet *Orelliana* 3 — 1501 bacam *AD.* baccam *Cruquiana* — 1503 Quincti *Cruquiana.* Quinti *AD Bentleius* — 1505 impenso *A Orelliana* 3. 'impenso. *omnino existimo uel reclamantibus codicibus omnibus legendum esse*, immenso' *Cruquius* — 1506 sani ut creta

nequitia et nugis, prauorum et amore gemellum,
luscinias soliti inpenso prandere coemptas,
quorsum abeant? sanin creta, an carbone notati?
aedificare casas, plostello adiungere mures,
ludere par inpar, equitare in harundine longa
siquem delectet barbatum, amentia uerset.
si puerilius his ratio esse euincet amare,
nec quicquam differre, utrumne in puluere, trimus
quale prius, ludas opus, an meretricis amore
sollicitus plores, quaero, faciasne quod olim
mutatus Polemon? ponas insignia morbi,
fasciolas, cubital, focalia, potus ut ille
dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
postquam est inpransi correptus uoce magistri?
porrigis irato puero cum poma, recusat.
'sume, catelle.' negat. si non des, optet. amator
exclusus qui distat, agit ubi secum, eat an non,
quo rediturus erat non arcessitus, et haeret
inuisis foribus? 'ne nunc, cum me uocat ultro,

AD. sani? creta *Cruquiana.* 'quorsum abeant. *in* 4. *codicibus Blandin. Busl. et Tons. legitur*, notati, *in Mart. et Diu. et Silu.*, notandi. *praeterea in* 2. *Blandin. Busl. Tons. scriptum est hoc modo:* quorsum abeant? sani ut creta, an carbone notati' *Cruquius.* sanin creta *Bentleius* — notati *AD.* notandi *Orelliana* 3 — 1508 impar *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — harundine *A* — 1510 si *A.* sic *D pr. m.* 'si pueril. *sic habent* 4. *codic. Bland. et Busl. at Mart. habet*, sed: *alii sequuntur uulgatam lectionem*' *Cruquius* — esset uincere *A* — 1511 trimus *A Orelliana* 3. 'in puluere trimus. *antiquissimus codex Blandin. habet*, primus' *Cruquius* — 1514 Polemon *AD Bentleius.* Polemo *Cruquiana* — 1515 cubital *Orelliana* 3. 'cubitale. *sic habent omnes scripti libri, uerum in antiquissimo Blandin. uidetur* e *littera adiectitia propter eius exilitatem, adeo ut autumem, ante scriptum fuisse* cubital' *Cruquius.* cubitale *A* — 1517 inpransi *A* — 1519 optat *A.* optet *D Bentleius.* optat *Cruquiana* — 1520 'agit ubi secum. *haud aliter habent omnes scripti codic.*' *Cruquius* — 1521 accersitus *D* — 1522 nec nunc

accedam? an potius mediter finire dolores?
exclusit; reuocat. redeam? non, si obsecret.' ecce
seruus non paullo sapientior: 'o ere, quae res
nec modum habet neque consilium, ratione modoque
tractari non uolt.- in amore haec sunt mala, bellum,
pax rursum: haec siquis tempestatis prope ritu
mobilia et caeca fluitantia sorte laboret
reddere certa sibi, nihilo plus explicet ac si
insanire paret certa ratione modoque.'
quid? cum Picenis excerpens semina pomis
gaudes, si cameram percusti forte, penes te es?
quid? cum balba feris annoso uerba palato,
aedificante casas qui sanior? adde cruorem
stultitiae, atque ignem gladio scrutare modo, in quem
Hellade percussa Marius cum praecipitat se,
cerritus fuit? an conmotae crimine mentis
absolues hominem et sceleris damnabis eundem,
ex more inponens cognata uocabula rebus?
libertinus erat, qui circum compita siccus

D Cruquiana. ne hunc *A Bentleius* — uocet *AD Cruquiana.* uocat *Bentleius.* (cum me uocat] me reum uocet *A*) — 1525 here *Cruquiana*, *Orelliana* 3. ere *A.* (*cfr. Wagneri Orthogr. Verg. p.* 433) — 1530 explicit *A* — 1534 'quid cum balba feris. *Mart. codex et Tons. habent* seris *reliqui* feris' *Cruquius.* feris *A Orelliana* 3 — 1536 scrutare. Modo, inquam, Hellade *A Cruquiana*, *Orelliana* 3, *Bentleius.* srutare modo, in quem Hellade *Franke fasti Horat. p.* 115 *et editio Weidmanniana a.* 1851 — 1538 commotae *Cruquiana*, *Orelliana* 3. conmotae *A* — 1539 damnatus *A* — 1540 exponens *A* — imponens *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — cognata] non nata *Horkelius Anal. Hor. p.* 97 *sqq.* — 1541 competa *A* — 1542 *et* 1543 unum — quid tam magnum? addens — *D Bentleius.* unum quiddam magnum addens — *A.* 'unum quid, tam magnum addens, unum. *hanc lectionem habent* 4. *codic. Blandin. Buslid. et Diu. sed Mart. Tons. Nan. et Sil. habent*, quiddam' *Cruquius* — 1543 'me surpite morti. *codex Tons.*

lautis mane senex manibus currebat et 'unum
(quid tam magnum?' addens) 'unum me surpite morti:
dis etenim facile est' orabat; sanus utrisque
auribus atque oculis: mentem, nisi litigiosus, 1545
exciperet dominus, cum uenderet. hoc quoque uolgus
Chrysippus ponit fecunda in gente Meneni.
'Iuppiter, ingentis qui das adimisque dolores,'
mater ait pueri mensis iam quinque cubantis,
'frigida si puerum quartana reliquerit, illo 1550
mane die, quo tu indicis ieiunia, nudus
in Tiberi stabit.' casus medicusue leuarit
aegrum ex praecipiti: mater delira necabit
in gelida fixum ripa, febrimque reducet.
quone malo mentem concussa? timore deorum." 1555
haec mihi Stertinius, sapientum octauus, amico
arma dedit, posthac ne conpellarer inultus.
dixerit insanum qui me, totidem audiet atque
respicere ignoto discet pendentia tergo.'
stoice, post damnum sic uendas omnia pluris, 1560

habet morte, *in casu ablatiuo' Cruquius* — 1546 haec quoque uolgus *A* — 1547 Meneni *AD.* 'in gente Meneni. *Non celabo lectorem, me in Tons. Sil. et Diu. codicibus inuenisse* Meneci' *Cruquius* — 1548 ingentis *A.* ingenteis *Cruquiana.* ingentes *Orelliana* 3 — 1549 menseis *Cruquiana.* menses *A Orelliana* 3 — 1550 quartena *A* — 1551 magne *A* — inducis *A* — 1552 medicusque *D.* medicusue *A.* 'casus medicusue leua. *in tribus Blandin. et Mart. codic. legitur*, casus medicusque leuarit' *Cruquius* — 1554 *Ab hoc uersu nouae eclogae initium statuit A* — febrimque *Cruquiana.* febremque *D.* febrim *A* — reducit *A* — 1555 percussa *D* — 1557 post haec *D corr.* — conpellarer *A.* compellarer *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — ne] nec *D* — 1560 sic *A Orelliana* 3. 'si uendas omnia pluris. *hanc lectionem inueni in duobus codic. Mart. et Diu. Siluius etiam habet*, si, *sed cum* c *littera suprascripta; equidem hanc secutus sum' Cruquius*

qua me stultitia, quoniam non est genus unum,
insanire putas? ego nam uideor mihi sanus.
'quid? caput abscissum manibus portauit Agaue
gnati infelicis, sibi num furiosa uidetur?'
stultum me fateor (liceat concedere ueris)
atque etiam insanum: tantum hoc edissere, quo me
aegrotare putes animi uitio. 'accipe. primum
aedificas, hoc est longos imitaris, ab imo
ad summum totus moduli bipedalis: et idem
corpore maiorem rides Turbonis in armis
spiritum et incessum: qui ridiculus minus illo?
an quodcumque facit Maecenas, te quoque uerum est,
tantum dissimilem, et tanto certare minorem?
absentis ranae pullis uituli pede pressis,
unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens
belua cognatos eliserit. illa rogare
quantane, num tantum, sufflans se, magna fuisset.
'maior dimidio.' 'num tantum?' cum magis atque
se magis inflaret, 'non, si te ruperis' inquit,
'par eris.' haec a te non multum abludit imago.
adde poemata nunc, hoc est, oleum adde camino:

1561 qua me stultitia *AD.* quam me stultitiam *Bentleius.* 'quam me stultitiam. *haec lectio integra seruata est in codice Mart., quam non iniuria probat Lambinus, etiamsi ceteri codices omnes sequantur uulgatam' Cruquius* — 1563 abscissum demens cum *D.* abscisum manibus cum *A Bentleius.* 'demens. *uetustissimus codic. Bland. habet*, manibus portauit' *Cruquius* — portat *AD* — 1564 tunc *AD* — 1565 liceat] lex est *Horkelius Anal. Horat. p.* 112. '*equidem nescio an* uincat *scribere praestat' Meinekius l. l. p. XXXI* — 1573 tanto dissimilem *AD.* 'tanto dissimilem. *uetustissimus codex Blandin. et Tons. habet*, tantum' *Cruquius.* tantum dissimilem *Bentleius* — 1576 belua *A Orelliana* 3. bellua *Cruquiana* (*cfr. Wagneri Orthogr. Verg. p.* 418) — 1577 tandem *AD.* tantum *Orelliana* 3, *Bentleius.* 'num tantum sufflans se magna fuisset. *sic habet Blandin. uetustissim. cum Tons. quos secutus sum; ceteri habent*, tandem sufflans: *nulli autem* inflans; *Diu. et Mart.*

quae siquis sanus fecit, sanus facis et tu.
non dico horrendam rabiem.' iam desine. 'cultum
maiorem censu.' teneas, Damasippe, tuis te.
'mille puellarum, puerorum mille furores.' 1585
o maior tandem parcas insane minori.

ECLOGA IIII.

Vnde et quo Catius? 'non est mihi tempus auenti
ponere signa nouis praeceptis, qualia uincent
Pythagoran Anytique reum doctumque Platona.'
peccatum fateor, cum te sic tempore laeuo 1590
interpellarim. sed des ueniam bonus, oro.
quodsi interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox,
siue est naturae hoc siue artis, mirus utroque.
'quin id erat curae, quo pacto cuncta tenerem,
utpote res tenuis, tenui sermone peractas.' 1595
ede hominis nomen, simul et, Romanus an hospes.
'ipsa memor praecepta canam, celabitur auctor.
longa quibus facies ouis erit, illa memento,
ut suci melioris et ut magis alba rotundis,

habent, sic magna f.' *Cruquius* — 1578 dimidio] pernimio *dubia Bentleii suspicio* — tanto *AD.* tantum *Cruquiana* — 1582 quae si quis sanus fecit, sanus facis et tu *A.* q. s. q. s. facit, et sanus facies tu *D.* 'quae si quis sanus fecit, sanus facis et tu. *in uulgata hac lectione consentiunt unus cod. Bland. Diu. et Tons. sed tres alii Bland. et Sil. habent*, quae si quis sanus facit et sanus facies tu. *sed Mart.* quae si qui sanus fecit, sanus facias tu' *Cruquius*

Ecloga IIII Catius *Cruquiana* — 1588 uincẽt *A.* uincunt *D.* 'qualia uincant. *In tribus codic. Blandin. Tonsa. Diu. Mart. habetur*, uincunt, *iuxta uulgatam lectionem. In antiquissimo Blandin.* uincent, *in Siluii codice* uincant' *Cruquius* — 1590 cum sic te *A* — 1595 tenueis *Cruquiana.* tenues *Orelliana* 3. tenuis *A* — 1597 ipse *D corr.* — 1599 succi *Cruquiana.* suci *A Orelliana* 3, *cfr. uers.* 1656 *et Wagneri Orthogr. Verg. p.* 474 — alma

ponere: namque marem cohibent callosa uitellum.
caule suburbano qui siccis creuit in agris
dulcior: inriguo nihil est elutius horto.
si uespertinus subito te oppresserit hospes,
ne gallina malum responset dura palato,
doctus eris uiuam mixto mersare Falerno:
hoc teneram faciet. pratensibus optima fungis
natura est, aliis male creditur. ille salubris
aestates peraget, qui nigris prandia moris
finiet, ante grauem quae legerit arbore solem.
Aufidius forti miscebat mella Falerno:
mendose; quoniam uacuis conmittere uenis
nil nisi lene decet: leni praecordia mulso
prolueris melius. si dura morabitur aluus,
mitulus et uiles pellent obstantia conchae
et lapathi breuis herba, sed albo non sine Coo.
lubrica nascentes inplet conchylia lunae:
sed non omne mare est generosae fertile testae:
murice Baiano melior Lucrina peloris,

Bentleii coniectura recepta in editt. Weidmanniana et Meinekiana; cfr. tamen Bentleii 'curas nouissimas' — 1601 colle *A.* cole *D.* 'cole suburbano. *sic habent* 4. *codices Blandin. Busl. Tons. at Diu. et Mart. habent*, caule, *cum uulgata lectione' Cruquius* — 1602 irriguo *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — horti *coniecturam Heins. et Praedicowii refut. Bentleius* — 1604 respondet *A* — 1605 mixto *AD Orelliana* 3. misto *Cruquiana.* musto *Bentleii coniectura recepta in editt. Weidmanniana et Meinekiana. uide quae de huius coniecturae aliis auctoribus narrat Kirchner* — 1607 salubris *A.* salubreis *Cruquiana.* salubres *Orelliana* 3 — 1608 aestatem *A* — peragit *D* — 1611 committere *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1612 decet] cedet *A* — 1614 'uariant hic codices: quattuor *Blandin. Sil. Diu. habet*, mitulus et uil. *Mart.* mitilus et uil. *Tons.* mitilus et uiles pellant ob. c.' *Cruquius.* mitulus .... pellent *A Orelliana* 3 — 1615 Chio *D corr.* — 1616 inplent *A.* implent *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1619 Circaeis *Cruquiana.* Circeiis *Orelliana* 3. Circeis *A* — 1621 quamuis *A* — arroget

ostrea Circeis, Miseno oriuntur echini,
pectinibus patulis iactat se molle Tarentum.
nec sibi cenarum quiuis temere adroget artem,
non prius exacta tenui ratione saporum.
nec satis est cara piscis auerrere mensa
ignarum quibus est ius aptius et quibus assis
languidus in cubitum iam se conuiua reponet.
Vmber et iligna nutritus glande rotundas
curuat aper lancis carnem uitantis inertem:
nam Laurens malus est, uluis et harundine pinguis.
uinea submittit capreas non semper edulis.
fecundae leporis sapiens sectabitur armos.
piscibus atque auibus quae natura et foret aetas,
ante meum nulli patuit quaesita palatum.
sunt quorum ingenium noua tantum crustula promit.
nequaquam satis in re una consumere curam;
ut siquis solum hoc, mala ne sint uina, laboret,
quali perfundat piscis securus oliuo.
Massica si caelo suppones uina sereno,

A Cruquiana, *Orelliana* 3 — 1622 non *AD*. 'non prius exacta. *Codex Diu. habet*, ni prius ex.' *Cruquius* — 1623 piscis *D*. pisceis *Cruquiana*. pisces *A Orelliana* 3 — auertere *AD* 'auerrere. *sic habent codic. scripti omnes, praeter Tons. qui sequitur uulgatam lectionem' Cruquius*. auerrere *Bentleius* — 1624 ius aptius] apitius *A* — 1625 reponit *A* — 1626 Vmbria *A* — 1627 curuat *AD Cruquiana*. curuet *e codicibus Bentleius* — lanceis *Cruquiana*. lances *A Orelliana* 3 — 1628 harundine *A* — 1629 summittit *Cruquiana* — edulis *A*. eduleis *Cruquiana*. edules *Orelliana* 3 — 1630 fecundi *AD*. 'fecundi leporis. *Antiquissimus codex Blandin. una cum Tons. habet*, fecundae leporis, *quos secutus sum' Cruquius*. fecundae *Bentleius* — 1632 patuit nulli *D* — 1634 'nequaquam satis in re u. *Codex Siluius et Diu. habent*, in re una est consum. cur.' *Cruquius*. est *om. AD. post u.* nequaquam *inserendum* est *uel legendum* nequaquam satis est in rem unam insumere curam *suadet Bentleius* — 1636 piscis *A*. pisceis *Cruquiana*. pisces *Orelliana* 3 — 1637 suppones *A*

nocturna siquid crassi est tenuabitur aura,
et decedet odor neruis inimicus: at illa
integrum perdunt lino uitiata saporem.
Surrentina uafer qui miscet faece Falerna
uina, columbino limum bene conligit ouo,
quatinus ima petit uoluens aliena uitellus.
tostis marcentem squillis recreabis et Afra
potorem cochlea: nam lactuca innatat acri
post uinum stomacho; perna magis ac magis hillis
flagitat inmorsus refici, quin omnia malit,
quaecumque inmundis feruent adlata popinis.
est operae pretium duplicis pernoscere iuris
naturam. simplex e dulci constat oliuo,
quod pingui miscere mero muriaque decebit
non alia quam qua Byzantia putuit orca.
hoc ubi confusum sectis inferbuit herbis
Corycioque croco sparsum stetit, insuper addes

Bentleius. supponas *D Cruquiana* — 1639 dedecet *A* — 1640 ʿlino uitiata ..... *Ceterum monere lectorem duxi non esse absurdum, uelitne cum Siluio codice legere:* integrum perdunt limo uitiata soporem' *Cruquius* — 1642 colligit *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 1643 quatinus *AD Cruquiana.* quatenus *Orelliana* 3 — 1646 perna et magis *D* — magis et magis *A* — hilla *A* — 1647 inmorsus *A.* immorsus *Orelliana* 3. in morsus *Cruquiana, Bentleius, qui tamen probat* inmorsus, *praeterea suadens,* inmorsis — mauolt *e codice Galeano et uno Bersmanni Bentleius* — 1648 ī mundis *A.* immundis *Orelliana* 3. ʿquaecumque immundis. *Omnes, quos uidi, scripti codices habent,* in mundis. *Codex Mar. habet,* feruunt, *Sil. habet,* ablata' *Cruquius* — allata *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 1651 at pingui *e codice Bosii Bentleius.* quinquenni *eiusdem suspicio* — 1652 putuit *AD.* ʿ*sic habent codices scripti omnes,* putuit, *non etiam,* putruit, *ut legunt alii cum uulgatis cod.*' *Cruquius.* putruit *Lambinus* — ârca *D* — 1653 inferbuit] inferiunt *A* — 1655 bacca *A.* baccha *D.* baccar (misit) *A* — 1656 suco *AD.* succo *Cruquiana* — 1657 uenucula *A.* uenicula *D.* uennucula *Cruquiana* — 1659 alec *Cruquiana.* allec *AD* —

pressa Venafranae quod baca remisit oliuae.
Picenis cedunt pomis Tiburtia suco:
nam facie praestant. uenucula conuenit ollis:
rectius Albanam fumo duraueris uuam.
hanc ego cum malis, ego faecem primus et allec,
primus et inuenior piper album cum sale nigro
incretum puris circumposuisse catillis.
inmane est uitium, dare milia terna macello
angustoque uagos piscis urguere catino.
magna mouet stomacho fastidia, seu puer unctis
tractauit calicem manibus, dum furta ligurrit,
siue grauis ueteri creterrae limus adhaesit.
uilibus in scopis, in mappis, in scobe quantus
consistit sumptus? neglectis, flagitium ingens.
ten lapides uarios lutulenta radere palma,
et Tyrias dare circum inluta toralia uestis,
oblitum quanto curam sumptumque minorem

1660 inuentor *A*. inueni *D*. ᶜinuenior. *hanc lectionem uidere est in Blandin. antiqu. Buslid. et Diu. cod. ceteri omnes habent*, inueni; *sed* inuenior *aptius apparet' Cruquius* — 1662 immane *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — millia *A* — 1663 pisceis urgere *Cruquiana*. pisces urgere *Orelliana* 3. pisces urguere *A* — 1664 mouent *Cruquiana*. mouet *AD Bentleius* — stomacho *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 (ᶜmagna mouent stomachum fastidia. *mss. Dessau.* 2. stomachum *et Gph.* 1. *Hanc praeclaram lectionem fidenter recepimus, ut maxime conuenientem' Kirchner*) — uncis *A* — 1665 furta *AD Cruquiana*, *Bentleius*. frusta *quattuor Pottierii*. ᶜfurta. *codex Diu. habet*, frusta' *Cruquius* — 1666 ᶜcreterrae *A*. craterae *Orelliana* 3. ᶜueteri creterrae. *sic habet Blandin. uetustissimus, quam dictionem sibi incognitam corrupit sciolus quidam*, a *littera pro* e *scripta, atque* r *erasa: uerum non penitus hae litterae ita perierunt, ut ad primum obtutum in eo codice non appareant' Cruquius* — 1668 consistat *A* — sumptus *A Orelliana* 3. sumtus *Cruquiana, item uers.* 1671 — 1670 inluta *D*. illota *Cruquiana*. inlota *Bentleius*. inlittatoia *A* — uesteis *Cruquiana*. uestes *A Orelliana* 3

haec habeant, tanto reprehendi iustius illis
quae nisi diuitibus nequeant contingere mensis?'
docte Cati, per amicitiam diuosque rogatus
ducere me auditum perges quocumque memento.
nam quamuis referas memori mihi pectore cuncta,
non tamen interpres tantundem iuueris. adde
uoltum habitumque hominis; quem tu uidisse beatus
non magni pendis, quia contigit: at mihi cura
non mediocris inest, fontis ut adire remotos
atque haurire queam uitae praecepta beatae.

ECLOGA V.

Hoc quoque, Tiresia, praeter narrata petenti
responde, quibus amissas reparare queam res
artibus atque modis. quid rides? 'iamne doloso
non satis est Ithacam reuehi patriosque penatis
aspicere?' o nulli quicquam mentite, uides ut
nudus inopsque domum redeam, te uate; neque illic
aut apotheca procis intacta est aut pecus. atqui
et genus et uirtus, nisi cum re, uilior alga est.
'quando pauperiem missis ambagibus horres,

1672 reprehendi *A Orelliana* 3. reprendi *Cruquiana* — 1673 nequeant *AD Cruquiana, Bentleius.* nequeunt *Pottierii plerique* — 1676 referas memori *A.* referas memori *Cruquiana.* memori referas *D Bentleius* — 1678 uultum *A* — 1680 fonteis *Cruquiana.* fontes *Orelliana* 3. fontis *A*

Ecloga V. Vlysses *Cruquiana* — 1682 Tyresia *A* — 1684 partibus *A* — doloso *AD Cruquiana.* dolose *e codice Petrensi et N. Heinsio auctore Bentleius* — 1685 penateis *Cruquiana.* penates *A Orelliana* 3 — 1686 adspicere *Orelliana* 3. aspicere *A Cruquiana* — quidquam *Cruquiana, Orelliana* 3. quitquam *A* — 1699 'ut ne tegam s. D. l. *sic habent omnia scripta contra uulgatam lectionem' Cruquius.* utne tegam s. D. l. *A Orelliana* 3.

accipe qua ratione queas ditescere. turdus
siue aliud priuum dabitur tibi, deuolet illuc,
res ubi magna nitet, domino sene: dulcia poma
et quoscumque feret cultus tibi fundus honores,
ante Larem gustet uenerabilior Lare diues:
qui quamuis periurus erit, sine gente, cruentus
sanguine fraterno, fugitiuus, ne tamen illi
tu comes exterior, si postulet, ire recuses.'
utne tegam spurco Damae latus? haud ita Troiae
me gessi, certans semper melioribus. 'ergo
pauper eris.' fortem hoc animum tolerare iubebo:
et quondam maiora tuli. tu protinus unde
diuitias aerisque ruam dic augur aceruos.
'dixi equidem et dico. captes astutus ubique
testamenta senum, neu, si uafer unus et alter
insidiatorem praeroso fugerit hamo,
aut spem deponas aut artem inlusus omittas.
magna minorue foro si res certabitur olim,
uiuet uter locuples sine gnatis, inprobus, ultro
qui meliorem audax uocet in ius, illius esto
defensor: fama ciuem causaque priorem
sperne, domi si gnatus erit fecundaue coniunx.
"Quinte," puta, aut "Publi" (gaudent praenomine molles

uisne tegam s. D. l. *codices aliqui; uid. apud Kirchnerum* — 1701 uidebo *D* — 1702 protinus *A Cruquiana*, *Orelliana* 3; *cfr. Wagneri Orthogr. Verg. p.* 466. protenus *Bentleius* — tulit *coniecerunt Praedicouius et Horkelius Anal. Horat. p.* 126 — 1703 eruam *A* — 1704 quidem *A* — captas *A* — 1705 nẽ *D* — 1707 partem *Priscian. I p.* 57 *Kr.* — illusus *A Cruquiana*, *Orelliana* 3. illius *D* — 1708 minorque *A* — 1709 natis *D Cruquiana*. gnatis *A* — inprobus *A*. improbus *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1712 gnatus *uid. ad uers.* 1709 — fecundaqŭe *A* — coniunx *A*. coniux *Cruquiana*, *Orelliana* 3. *Cfr. Wagneri Orthogr. Verg. p.* 422 — 1713 Quinte *A Orelliana* 3. Quincte *Cruquiana*

auriculae), "tibi me uirtus tua fecit amicum:
ius anceps noui, causas defendere possum:
eripiet quiuis oculos citius mihi quam te
contemptum cassa nuce pauperet: haec mea cura est,
nequid tu perdas, neu sis iocus." ire domum atque
pelliculam curare iube; fi cognitor ipse,
persta atque obdura, seu rubra canicula findet
infantis statuas, seu pingui tentus omaso
Furius hibernas cana niue conspuet Alpis.
"nonne uides" aliquis cubito stantem prope tangens
inquiet, "ut patiens, ut amicis aptus, ut acer?"
plures adnabunt thunni, et cetaria crescent.
si cui praeterea ualidus male filius in re
praeclara sublatus aletur, ne manifestum
caelibis obsequium nudet te, leniter in spem
adrepe officiosus, ut et scribare secundus
heres et, siquis casus puerum egerit Orco,
in uacuum uenias: perraro haec alea fallit.
qui testamentum tradet tibi cumque legendum,
abnuere et tabulas a te remouere memento,
sic tamen ut limis rapias, quid prima secundo
cera uelit uersu; solus, multisne coheres,
ueloci percurre oculo. plerumque recoctus
scriba ex quinqueuiro coruum deludet hiantem,

1716 quante *A* — 1717 contemtum *Cruquiana* — quassa *AD.* cassa *Cruquiana* — 1719 fi *D pr. m.* ei fit *A.* sis *D corr.* 'fi cognitor ipse. *sic habent* 4. *Bland. Busl. et Diu. reliqui habent,* sis' *Cruquius.* (fi cognitor. ipse Persta *Bentleius*) — 1720 fundet *D* — 1721 infanteis *Cruquiana.* infantes *Orelliana* 3. infantis *A* — 1722 'Furius. *At ego malim sequi adnotationes Blandinias, quae sine ullis maculis habent,* Fusius' *Cruquius* — Alpeis *Cruquiana.* Alpes *A Orelliana* 3. 'codex *Tons. habet* conspuet undas' *Cruquius* — 1725 annabunt *Cruquiana.* adnabunt *A Orelliana* 3 — tinni *A.* thynni *Cruquiana.* thunni *Orelliana* 3 — 1728 celebis *A* — 1729 adrepe *A Orelliana* 3. arrepe *Cruquiana* — ut et] ut *A.* uti *malebat Heindorfius* — 1733 mouere *A* —

captatorque dabit risus Nasica Corano.'
num furis an prudens ludis me obscura canendo?
'o Laertiade, quidquid dicam aut erit aut non:
diuinare etenim magnus mihi donat Apollo.'
quid tamen ista uelit sibi fabula, si licet, ede.
'tempore, quo iuuenis Parthis horrendus, ab alto
demissum genus Aenea, tellure marique
magnus erit, forti nubet procera Corano
filia Nasicae, metuentis reddere soldum.
tum gener hoc faciet: tabulas socero dabit atque
ut legat orabit; multum Nasica negatas
accipiet tandem et tacitus leget, inuenietque
nil sibi legatum praeter plorare suisque.
illud ad haec iubeo: mulier si forte dolosa
libertusue senem delirum temperet, illis
accedas socius; laudes, lauderis ut absens.
adiuuat hoc quoque; sed uincit longe prius ipsum
expugnare caput. scribet mala carmina uecors:
laudato. scortator erit: caue te roget; ultro
Penelopam facilis potiori trade.' putasne,
perduci poterit tam frugi tamque pudica,
quam nequiere proci recto depellere cursu?
'uenit enim, magnum donandi parca, iuuentus,
nec tantum Veneris quantum studiosa culinae.

1735 olus *A* — 1737 delud[t] *A*. deludet *D Cruquiana. Cfr. Seru. ad Aeneid. XI* 552 — 1740 quitqd *A* — erat *A. hunc uersum laudat Priscian. I p.* 293 *Kr.* — 1741 magnus mihi donat *Cruquiana, Orelliana* 3. magnus donauit *ex uno codice probauit Bentleius.* mihi magnus donat *A* — 1742 'si licet, ede. *omnes codic. habent*, ede, *praeter Siluium qui habet*, edam' *Cruquius.* ede *A Orelliana* 3 — 1753 accedis *D* — lauderis] laudares *A* — 1754 uincet *A.* uincit *Cruquiana, Orelliana* 3 — 1755 scribet *AD Cruquiana.* scribit *e codicibus Fea* — 1757 Penelopam *AD Cruquiana, Bentleius.* Penelopen *Pottierii plerique* — 1759 nequiuere *A* — 1760 uenit enim (indignum) donandi parca *Bentleii coniectura*

sic tibi Penelope frugi est: quae si semel uno
de sene gustarit tecum partita lucellum,
ut canis a corio numquam absterrebitur uncto.
me sene quod dicam factum est. anus inproba
Thebis
ex testamento sic est elata: cadauer
unctum oleo largo nudis umeris tulit heres,
scilicet elabi ut sic posset mortua; credo,
quod nimium institerat uiuenti. cautus adito,
neu desis operae, neue inmoderatus abundes;
difficilem et morosum offendet garrulus: ultra
non etiam sileas. Dauus sis comicus atque
stes capite obstipo, multum similis metuenti.
obsequio grassare; mone, si increbruit aura,
cautus uti uelet carum caput; extrahe turba
oppositis umeris; aurem substringe loquaci.
inportunus amat laudari: donec 'ohe!' iam
ad caelum manibus sublatis dixerit, urgue et
crescentem tumidis infla sermonibus utrem.

1762 Penelope *A Cruquiana*, *Orelliana* 3. Penelopa '*inuitis codicibus*' *Bentleius* — 1765 quod factum est dicam *A* — inproba *A*. improba *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1767 humeris *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1768 elabi si *A Cruquiana*, *Orelliana* 3. 'scilicet elabi si posset m. *codic.* 4. *Blandin. Mart. Sil. Diu. habent sine ullis lituris expressam hanc lectionem*, scilicet elabi sic posset mor. *sed antiquiss. Blandin.* scilicet elabi ut sic posset mor.' *Cruquius* — 1770 inmoderatus *A* — habundãs *A* — 1771 offendet *AD*. offendes *Bentleii coniectura* — ultra *A*. ultrõ *D*. 'offendet garrulus ultra. *sic habent codices Blandin.* 4. *Tons. Busl. Sil. Diu. et credo genuinam esse, ita ut τὸ* ultra *sit idem quod Graece dicitur ἐπιπολύ.*' *Cruquius*. ultro. Non *Bentleius*. ultra || nos *coniecit Horkelius Anal. Horat. p.* 80 *sqq.* — 1774 crassare *D* — increbuit *Meinekius alii*. increbruit *A Bentleius*. increpuit *D*. 'si increbruit aura. *haec lectio seruata est illaesa in antiquissimo Blandin. Buslid. Diu. reliqui uero omnes habent*, increpuit, *minus recte, ut arbitror*' *Cruquius* (*cfr. Wagneri Orthogr. Verg. p.* 422.

cum te seruitio longo curaque leuarit,
et certum uigilans, Quartae sit partis Vlixes,
audieris, heres, 'ergo nunc Dama sodalis
nusquam est? unde mihi tam fortem tamque fidelem?'
sparge subinde et si paullum potes inlacrimare. est
gaudia prodentem uoltum celare. sepulcrum
permissum arbitrio sine sordibus exstrue. funus
egregie factum laudet uicinia. siquis
forte coheredum senior male tussiet, huic tu
dic. ex parte tua seu fundi siue domus sit
emptor, gaudentem nummo te addicere. sed me
imperiosa trahit Proserpina: uiue ualeque.

ECLOGA VI.

Hoc erat in uotis: modus agri non ita magnus,
hortus ubi et tecto uicinus iugis aquae fons
et paullum siluae super his foret. auctius atque
di melius fecere. bene est. nil amplius oro,

Harles. Orthogr. p. 260) — 1776 *uid. ad* 1767 — 1777 importunus *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — *malim* donec 'ohe!' iam *Meinekius; uid. l. l. p. XXXI.* ohe, iam *Cruquiana* — 1778 urge *D.* urgue *A.* urge et *Cruquiuna* — 1781 sit *AD Cruquiana.* esto *cum duobus codicibus Bentleius* — Vlysses *Cruquiana.* Vlixes *A Orelliana* 3 — 1782 Dama] clama *D* — 1784 inlacrimare. est *A Cruquiana*, *Orelliana* 3. inlacrima. e re est. *in hanc Praedicoui coniecturam etiam C. Lachmannus incidit ad Lucretium p.* 297; *idem editt. Weidmanniana et Meinekiana.* et sic paullum potes inlacrimare et Gaudia prodentem uoltum *Bentleius.* et sic paullum potes inlacrimare et Gaudia prudenter uoltu celare *idem malebat.* inlacrimare. Gaudia prodentem uultum est celare *Iahnius* — 1785 prodentum uultum *Cruquiana uitiose* (prudentum *Barth. Aduers.* 27, 1 *in codice uetusto repperit*) — 1790 emtor *Cruquiana.* emptor *A Orelliana* 3

Ecloga VI. Hortus *Cruquiana* — 1795 nil *AD.* nihil *Cruquiana. scribe ex plus decem nostris codicibus* Nil' *Bentleius*

Maia nate, nisi ut propria haec mihi munera faxis.
si neque maiorem feci ratione mala rem,
nec sum facturus uitio culpaue minorem,
si ueneror stultus nihil horum, 'o si angulus ille
proximus accedat, qui nunc denormat agellum!
o si urnam argenti fors quae mihi monstret, ut illi,
thesauro inuento qui mercenarius agrum
illum ipsum mercatus arauit, diues amico
Hercule!' si quod adest gratum iuuat, hac prece te oro,
pingue pecus domino facias et cetera praeter
ingenium, utque soles custos mihi maximus adsis.
ergo ubi me in montis et in arcem ex urbe remoui,
quid prius inlustrem satiris Musaque pedestri?
nec mala me ambitio perdit nec plumbeus auster
autumnusque grauis, Libitinae quaestus acerbae.
Matutine pater, seu Iane libentius audis,
unde homines operum primos uitaeque labores
instituunt (sic dis placitum), tu carminis esto
principium. Romae sponsorem me rapis: 'heia,

1798 culpaque *A* — 1799 siue neror *A* — o *om. A* — 1800 denormat *A Orelliana* 3. 'denormat ag. *sic habent omnes cod. praeter Diu. qui legit*, deformat' *Cruquius* — 1801 qua *Cruquiana.* quae *D Bentleius* (forsue m. *A*) — illi *Orelliana* 3. i^{e} *A.* 'ut illi. *codex Blandin. uetustiss. et Tons. habet*, ut ille' *Cruquius* — 1802 mercennarius *A* — 1804 iuuat] uiuat *A* — oro te *A* — 1806 assis *A* — 1807 montis *A.* monteis *Cruquiana.* montes *Orelliana* 3 — 1808 illustrem *A Orelliana* 3, *Cruquiana* (inlustrem *Cruquius in adnotatione*) — satiris *Orelliana* 3. satyris *A Cruquiana* — *uersus* 1809 *et* 1810 *uersui* 1808 *praeponendos esse putat Kirchner, uid. eius adnotat. crit.* — 1810 autumnusque *A.* auctumnusque *Cruquiana Orelliana* 3, *cfr. Wagneri Orthogr. Verg. p.* 418 — 1812 primos operum *A* — 1814 heia *A* — 1815 urgue *A.* urge *Orelliana* 3. urges *Lambinus.* 'pro *uerbo*, urge, *quod in omnibus manuscriptis est intemeratum, legendum censent*, urges' *Cruquius* — 1818 quid *A* — locutum *D corr.* — 1820 quid tibi

ne prior officio quisquam respondeat, urgue.' 1815
siue aquilo radit terras, seu bruma niualem
interiore diem gyro trahit, ire necesse est.
postmodo, quod mi obsit, clare certumque locuto
luctandum in turba et facienda iniuria tardis.
'quid uis, insane, et quas res agis?' inprobus urguet 1820
iratis precibus: 'tu pulses omne quod obstat,
ad Maecenatem memori si mente recurras.'
hoc iuuat et melli est, non mentiar. at simul atras
uentum est Esquilias, aliena negotia centum
per caput et circa saliunt latus. 'ante secundam 1825
Roscius orabat sibi adesses ad Puteal cras.
de re communi scribae magna atque noua te
orabant hodie meminisses, Quinte, reuerti.
inprimat his, cura, Maecenas signa tabellis.'
dixeris, experiar: 'si uis, potes' addit et instat. 1830
septimus octauo propior iam fugerit annus,
ex quo Maecenas me coepit habere suorum
in numero, dumtaxat ad hoc, quem tollere rheda

uis, insane, et quas res improbus urguet *A*. quid uis, insane, et quas res agis? improbus urget *D Cruquiana*. quid tibi uis, insane, et quam rem agis? improbus urget *Bentleius*. quid tibi uis, insane, et quas res agis, improbus urget '*in nostris omnibus membranis uersus hic sic ultra mensuram excurrit*' *Bentleius* — 1821 pulsus et *A* — 1822 memori si mente recurras *citat Priscian. I p.* 334 *Kr.* — 1823 non] si *A* — ad simulacras *A* — 1824 Esquilias *A D Cruquiana*. Exquilias *Fea*, *Meinekius* — 1826 ad Puteal cras adesses *A* — 1827 nouate *A*. noua te *Orelliana* 3. 'noua te. *antiqu. cod. Bland. habet sine ulla litura*, nouatae *et adnotationem hanc*, *scribae et* nouatae, *quibus spoponderant*, nouatae *qui nouauerant debitum: unde* nouatio, *cum contractus, aut debitoris persona mutatur: quae uerba, quod mihi somnium quoddam uiderentur, nolui Commentariis inserere*' *Cruquius* — 1828 Quincte *Cruquiana* — 1829 inprimat *A*. imprimat *Cruquiana*, *Orelliana* 3

uellet iter faciens, et cui concredere nugas
hoc genus, 'hora quota est? Thraex est Gallina Syro par?
matutina parum cautos iam frigora mordent:'
et quae rimosa bene deponuntur in aure.
per totum hoc tempus subiectior in diem et horam
inuidiae noster. ludos spectauerat una,
luserat in campo: 'Fortunae filius' omnes.
frigidus a rostris manat per compita rumor:
quicumque obuius est, me consulit: 'o bone (nam te
scire, deos quoniam propius contingis, oportet),
numquid de Dacis audisti?' nil equidem. 'ut tu
semper eris derisor.' at omnes di exagitent me,
si quicquam. 'quid? militibus promissa Triquetra
praedia Caesar, an est Itala tellure daturus?'
iurantem me scire nihil mirantur ut unum
scilicet egregii mortalem altique silenti.
proditur haec inter misero lux, non sine uotis:

1835 Thrax *A*. trēx *D*. Threx *Bentleius*. 'Thrax est gall. *sic habent omnes, quos uidi, codices scripti. .... ceterum duo Blandin. codices* Thraex est Gallina; *ut Festus legit, Thraeces, inquiens, gladiatores a similitudine parmularum Thraciarum; uerum Tons. Diu. Mart. Sil. habent*, Thrax est Gallina' *Cruquius. Cfr. Festum s. u. Thraeces* — siro *A* — 1838 subiector *A* — 1839 inuidiae noster. ludos *sic distinxit primus Bentleius.* inuidiae. noster ludos *AD Cruquiana* — spectauerat *Cruquiana, Orelliana* 3. spectauerit *A Bentleius* — 1840 luserat *A Cruquiana, Orelliana* 3. luserit *Bentleius ex uno codice Collegiae Trinitatis* — 1841 competa *A* — 1842 quicunque *Orelliana* 3. quicumque *A Cruquiana* — 1845 at *A Orelliana* 3. 'at omnes. *cod. Diu. Mart. et* 3. *Blandin.* derisor ad omneis' *Cruquius* — omnis *A* — 1846 quicquam *A Cruquiana.* quidquam *Orelliana* 3 — 1848 mirantur *AD Cruquiana.* miratur *e codice Batteliano Bentleius* — ut et *A* — 1850 proditur] *sic scripsi ad Ennii Annal. uers.* 411 *ed. Vahlenus.* perditur *AD Cruquiana.* porgitur (*coll. Ouid. Metam.*

o rus, quando ego te aspiciam, quandoque licebit
nunc ueterum libris, nunc somno et inertibus horis
ducere sollicitae iocunda obliuia uitae?
o quando faba Pythagorae cognata simulque
uncta satis pingui ponentur holuscula lardo?
o noctes cenaeque deum, quibus ipse meique
ante Larem proprium uescor uernasque procacis
pasco libatis dapibus: prout cuique libido est,
siccat inaequalis calices conuiua solutus
legibus insanis, seu quis capit acria fortis
pocula, seu modicis uuescit laetius. ergo
sermo oritur, non de uillis domibusue alienis,
nec male necne Lepos saltet, sed quod magis ad nos
pertinet et nescire malum est agitamus, utrumne
diuitiis homines an sint uirtute beati,
quidue ad amicitias, usus rectumne, trahat nos,
et quae sit natura boni summumque quid eius.
Ceruius haec inter uicinus garrit anilis

IV 199) *Lachmannus in Mus. Rhen.* 1845 *p.* 615 *et editio Weidmanniana* — 1851 aspiciam *A* — 1853 iocunda *A* — 1855 satis] focis *Bentleii suspicio.* †satis *Meinekius; cfr. l. l. p. XXXII, ubi scribendum sibi uideri* fabis *dicit* — ponuntur holuscula tardo *A* — 1857 procaceis *Cruquiana.* procaces *A Orelliana* 3 — 1858 prout *Cruquiana*, *Orelliana* 3. cum ut *A et e codice Colbertino Bentleius* — 1859 inaequaleis *Cruquiana.* inaequalis *A Orelliana* 3 — 1861 uuescit *D.* humescit *A.* 'uuescit laetius. uuescit *habent* 4. *cod. Blandin.*, *quod aptius est quam* humescit, *ut habent alii' Cruquius* — 1863 nec male nelepos *A* — 1868 has inter uicinos *A.* haec inter uicinus *Orelliana* 3. 'Ceruius haec inter. *hic uersus uarie legitur. Sil. codex habet*, Ceruius has inter uicinos garrit anileis. *Mart. legit*, Ceruius hic inter uicinos *etc. alii omnes*, Ceruius haec inter, *praeterquam quod omnes Blandin. habent*, uicinos. *qui nominandi casus est* (*ut mihi uidetur*) *antiquo more scriptus*, *pro* uicinus, *quae scribendi ratio in iis codicibus frequens est*, *praecipue in uultus et uulgus' Cruquius* — anileis *Cruquiana.* aniles *A Orelliana* 3

ex re fabellas. siquis nam laudat Arelli
sollicitas ignarus opes, sic incipit, 'olim
rusticus urbanum murem mus paupere fertur
accepisse cauo, ueterem uetus hospes amicum,
asper et intentus quaesitis, ut tamen artum
solueret hospitiis animum. quid multa? neque ille
sepositi ciceris nec longae inuidit auenae,
aridum et ore ferens acinum semesaque lardi
frusta dedit, cupiens uaria fastidia cena
uincere tangentis male singula dente superbo,
cum pater ipse domus palea porrectus in horna
esset ador loliumque, dapis meliora relinquens.
tandem urbanus ad hunc "quid te iuuat" inquit,
"amice,
praerupti nemoris patientem uiuere dorso?
uis tu homines urbemque feris praeponere siluis?
carpe uiam, mihi crede, comes; terrestria quando
mortalis animas uiuunt sortita, neque nulla est
aut magno aut paruo leti fuga: quo, bone, circa,
dum licet, in rebus iocundis uiue beatus,
uiue memor, quam sis aeui breuis." haec ubi dicta

1869 si quis nam *AD.* nam si quis *Cruquiana* — 1873 intentus *A.* attentus *Orelliana* 3. 'attentus. *codex Tons. Diu. et unus Bland. habet*, intentus' *Cruquius* — arcum *A.* artum *Orelliana* 3. artum. *sic habent omnes scripti codices et genuinum arbitror: in iis enim nunquam aliter scriptum 'offendi'* *Cruquius* — 1874 illi *Cruquiana* — 1875 neque *A Cruquiana.* nec *Orelliana* 3 — 'sepositi ciceris. *sic habent omnia scripta praeter unum Blandin. codicem, qui legit*, sepositis, *cum uulgatis'* *Cruquius* — 1877 frustra *A* — 1878 angentis *A* — 1881 quid] qui *Cruquiana* — amici *A* — 1883 uis tu *A Orelliana* 3. uin tu *Cruquiana*, *Lambinus.* 'uis tu homines. *sic offendi in omnibus, quos uidi, codicibus scriptis. Lambinus ex aliis codic. legit*, uin tu ..... *ego certe sequar consensum plurium codicum scriptorum*, uis tu homines' *Cruquius* — 1885 mortaleis *Cruquiana.* mortales *A Orelliana* 3 — 1886 leti] et *A* — bē *A.* bone *Orelliana* 3. 'quo bene circa. *in om-*

agrestem pepulere, domo leuis exsilit: inde
ambo propositum peragunt iter, urbis auentes
moenia nocturni subrepere. iamque tenebat
nox medium caeli spatium, cum ponit uterque
in locuplete domo uestigia, rubro ubi cocco
tincta super lectos canderet uestis eburnos,
multaque de magna superessent fercula cena,
quae procul exstructis inerant hesterna canistris.
ergo ubi purpurea porrectum in ueste locauit
agrestem, ueluti succinctus cursitat hospes
continuatque dapes, nec non uerniliter ipsis
fungitur officiis, praelambens omne quod adfert.
ille cubans gaudet mutata sorte bonisque
rebus agit laetum conuiuam, cum subito ingens
ualuarum strepitus lectis excussit utrumque.
currere per totum pauidi conclaue, magisque
exanimes trepidare, simul domus alta Molossis
personuit canibus. tum rusticus "haud mihi uita
est opus hac" ait et "ualeas: me silua cauusque
tutus ab insidiis tenui solabitur eruo."

VII. 'Iandudum ausculto et cupiens tibi dicere seruus

nibus scriptis a me lectis habetur, quo, bene, circa' *Cruquius* — 1887 iocundes *A* — 1888 quam uis *D* — haec ubi dicta] exilit inde *A* — 1891 surrepere *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1896 extructis *A* — 1899 uerniliter *A Orelliana* 3. 'uernaliter. *Blandinii codices habent*, uerniliter, *quod et in Nonio legitur*' *Cruquius* — 1900 praelambens *AD Cruquiana.* praelibans *e duobus codicibus Bentleius; secutus est nuper Kirchner in noua edit.* — affert *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1907 et ualeas *A Orelliana* 3. 'et ualeas. *sic in omnibus manuscriptis quos legi. Lambinus legit*, et ualeat' *Cruquius* — 1908 eruo] curo *A*

Ecloga VII. Dauus *Cruquiana.* '*In superiori satyra* (*quae in codicibus Blandiniis et Buslid. ab hac est indiuisa*) *e. q. s.*' *Cruquius. Cfr. Bentleii adnotationem, qui hanc eclogam cohaerere cum sexta demonstrat; sed nemodum eum secutus est* — 1909 iamdudum

pauca reformido.' Dauusne? 'ita, Dauus, amicum
mancipium domino et frugi quod sit satis, hoc est,
ut uitale putes.' age, libertate decembri,
quando ita maiores uoluerunt, utere, narra.
'pars hominum uitiis gaudet constanter et urguet
propositum, pars multa natat, modo recta capessens,
interdum prauis obnoxia. saepe notatus
cum tribus anellis, modo laeua Priscus inani,
uixit inaequalis, clauum ut mutaret in horas,
aedibus ex magnis subito se conderet, unde
mundior exiret uix libertinus honeste,
iam moechus Romae, iam mallet doctor Athenis
uiuere, Vertumnis quotquot sunt natus iniquis.
scurra Volanerius, postquam illi iusta cheragra
contudit articulos, qui pro se tolleret atque
mitteret in phimum talos, mercede diurna

A Cruquiana, Orelliana 3. iandudum *edit. Weidm. cfr. Wagneri Orthogr. Verg. p.* 453 — ausculto] '*melius sermonem Dauus incohasset:* Iamdudum hic adsto' *Bentleius* — 1913 uoluerunt] habuere *A* — 1914 urget *Cruquiana, Orelliana* 3. urguet *A* — 1918 inaequales *A* — 1921 doctor *AD.* 'iam moechus Romae. τὸ doctor *habent omnes Blandin. codices et Mart. quos secuti sumus*' *Cruquius.* doctus *Orelliana* 3, *Bentleius* — 1922 *hunc uersum laudat Priscian. II p.* 32 *Kr.* — Vertunnis *Cruquiana* — qdqd *A* — 1923 chiragra *Cruquiana.* ciragra *A* — 1924 'contudit articulos. *comminuit. Vnus codex Blandin. habet,* contigit articulos, *pro simplici tetigit*' *Cruquius* — 1925 pirgum *A.* pirgum phimum *D.* mitteret in phymum. *sic codices Blandin.* 4. *Busl. Sil. et hanc quoque lectionem iudico genuinam et Horatianam inque eius locum irrepsisse* τὸ pyrgum, *ex annotationibus scriptis*' *Cruquius* — 1926 isdem *AD.* idem *Cruquiana, Bentleius.* 'quanto constantior iisdem in uitiis. *sic omnes, quos legi, codices scripti, quos sequimur, prae-*

conductum pauit; quanto constantior isdem
in uitiis, tanto leuius miser ac prior ille,
qui iam contento, iam laxo fune laborat.'
non dices hodie quorsum haec tam putida tendant,
furcifer? 'ad te, inquam.' quo pacto, pessime? 'laudas
fortunam et mores antiquae plebis, et idem,
siquis ad illa deus subito te agat, usque recuses,
aut quia non sentis quod clamas rectius esse,
aut quia non firmus rectum defendis et haeres
nequiquam caeno cupiens euellere plantam.
Romae rus optas, absentem rusticus urbem
tollis ad astra leuis. si nusquam es forte uocatus
ad cenam, laudas securum holus ac, uelut usquam
uinctus eas, ita te felicem dicis amasque
quod nusquam tibi sit potandum. iusserit ad se
Maecenas serum sub lumina prima uenire
conuiuam: "nemon oleum feret ocius? ecquis
audit?" cum magno blateras clamore furisque.

ter Tons. qui consentit lectioni uulgatae' Cruquius — 1927 acrior *A D.* 'acrior ille. *sic legitur in omnibus scriptis praeter unum Blandin. Lambinus et Turnebus legunt* ac prior illo, *quam scripturam ait Marius Nizolius expressisse Aldum' Cruquius* — illo *D corr.* ille *A* — 1928 iam ... iam *A.* tam ... quam *D.* 'qui tam contento quam laxo f. l. *sic Blandin. tres Tons. et Sil.' Cruquius* — 1931 idem *om. A* — 1932 te *om. A* — 1935 nequitquam *A.* nequiquam *Orelliana* 3. nequicquam *Cruquiana. Cfr. C. Lachmannum ad Lucret. p.* 141 *et Wagnerum de orthographia Vergiliana p.* 459 *sqq.* — caeno *A.* coeno *Cruquiana, Orelliana* 3, *cfr. Wagneri Orthogr. Verg. p.* 419 — 1938 holus *A* — usquam *A Orelliana* 3. 'ac uelut usquam uinctus eas. τὸ usquam, *non etiam* usque, *habent omnes scripti libri' Cruquius* — uelut escam || Vix fugias *Horkelius Anal. Horat. p.* 47 *sqq.* — 1942 feret *A D.* fert *Bentleius.* 'nemon' oleum feret. *cod. Mart. Busl. Diu. habet* fert' *Cruquius* — et quis *A* — 1943 fugisque *A D Bentleius.* 'furisque. *sic libri scripti, Blandin. antiquissimus, Tons. Busl. Sil. reliqui,*

Muluius et scurrae tibi non referenda precati
discedunt. "etenim fateor me" dixerit ille
"duci uentre leuem, nasum nidore supinor,
inbecillus, iners, siquid uis, adde, popino.
tu cum sis quod ego et fortassis nequior, ultro
insectere uelut melior, uerbisque decoris
obuoluas uitium?" quid, si me stultior ipso
quingentis empto drachmis deprenderis? aufer
me uoltu terrere; manum stomachumque teneto,
dum quae Crispini docuit me ianitor edo.
te coniunx aliena capit, meretricula Dauum.
peccat uter nostrum cruce dignius? acris ubi me
natura intendit, sub clara nuda lucerna
quaecumque excepit turgentis uerbera caudae,
clunibus aut agitauit equum lasciua supinum,
dimittit neque famosum neque sollicitum ne
ditior aut formae melioris meiat eodem.
tu cum proiectis insignibus, anulo equestri

fugisque' *Cruquius* — 1944 Muluius *A D Bentleius.* Miluius *Cruquiana* — 1946 supini *A* — 1947 imbecillus *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 1948 cum tu *A* — 1950 mestu ultior *A* — ipse *A*, *D corr.*, *Cruquiana* — 1951 emto *Cruquiana.* empto *A Orelliana* 3 — dragmis *A* — deprehenderis *D.* deprenderis *A Cruquiana* — 1952 me] ne *A* — 1953 coniunx *A.* coniux *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1956 incendit *Cruquiana*, *Bentleius.* intendit *A Orelliana* 3. ‘acris ubi me. 4. *codic. Blandin. Tons. Mart. habent*, intendit' *Cruquius* — ‘*Tonsanus codex habet* lacerna' *Cruquius* — 1957 excepit turgentis *A Orelliana* 3. ‘quaecumque excepit turg. u. c. *tres Blandin. codic. sic habent*, quaecumque excipit urgentis se u. cau. *Mart. codex*, quaecumque accepit' *Cruquius* — 1958 ‘*Hic u. deest in mscto nostro Mon.* 5 (*utinam in omnibus mss. ut spurcus et certe superuacaneus. Sed Scholiastis est antiquior, qui laborant in explicando*)' *Kirchner* — 1961 annulo *Cruquiana* — equestri] eodem *A* — 1964 nonesque quod *A* — 1965 alternante *A* (‘*sane notabilis lectio*' *Kirchner*). altercante *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — per ossa *A* — 1966 uri uirgis. fer-

Romanoque habitu, prodis ex iudice Dama
turpis, odoratum caput obscurante lacerna,
non es quod simulas? metuens induceris atque
alternante libidinibus tremis ossa pauore.
quid refert, uri uirgis, ferroque necari
auctoratus eas, an turpi clausus in arca,
quo te demisit peccati conscia erilis,
contractum ut genibus tangas caput? estne marito
matronae peccantis in ambo iusta potestas?
[in corruptorem uel iustior. illa tamen se
non habitu mutatue loco, peccatue superne,
cum te formidet mulier neque credat amanti.]
ibis sub furcam prudens, dominoque furenti
conmittes rem omnem et uitam et cum corpore famam.
euasti. credo, metues doctusque cauebis:
quaeres, quando iterum paueas iterumque perire
possis, o totiens seruus. quae belua ruptis,

roque *A*. uri, uirgis ferroque *Orelliana* 3. 'quid refert uri uirgis ..... *in manuscriptis non hanc solum interpunctionem offendi*, uri uirgis, ferroque necari, *cum hac adnotatione in codice Bland. uetustissimo: uri uirgis est uapulari; et in Diuaei: uri uirgis est uerberari; uerum etiam legi in Tons. codice transpositionem dictionum hanc*, quid refert uirgis uri ferroque necari' *Cruquius. Cfr. Epistularum uersum* 723 — 1967 'auctoratus eas ..... *cod. Tons. et Busl. habent hic*, auctoratus eras, *et fere in omnibus ponitur τὸ* ut *post uocem* contractum' *Cruquius* — turpe *A* — 1968 dimisit *D* — erilis *AD*. herilis *Cruquiana* — 1969 contractum ut *A* — 1970 ambos *D Cruquiana*. ambo *A* — 1971—1973 *Hos uersus a me uncis inclusos obelis notauit ut suspectos Kirchner* — 1972 peccatue *A Cruquiana*. peccatque *D corr*. spectetque *Horkelius Anal. Horat. p.* 127 *sq.* — †superne *Meinekius*. supine *coniecit P. Nannius Miscell. c.* 4 — 1975 committes *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 1976 euasti? metues, credo *e codice Regiae Societatis Bentleius*. euasti? credo metues *Kirchner*. euasti? credo, metues: *Cruquiana* — metuens *A* — 1977 quaeris *A* — 1978 toties

cum semel effugit, reddit se praua catenis?
"non sum moechus" ais: neque ego, hercule, fur,
ubi uasa
praetereo sapiens argentea. tolle periclum,
iam uaga prosiliet frenis natura remotis.
tune mihi dominus, rerum imperiis hominumque
tot tantisque minor, quem ter uindicta quaterque
inposita haud umquam misera formidine priuet?
adde super, dictis quod non leuius ualeat: nam,
siue uicarius est qui seruo paret, uti mos
uester ait, seu conseruus, tibi quid sum ego? nempe
tu, mihi qui imperitas, alii seruis miser atque
duceris ut neruis alienis mobile lignum.
quisnam igitur liber? sapiens, sibique imperiosus,
quem neque pauperies neque mors neque uincula
terrent,
responsare cupidinibus, contemnere honores
fortis, et in se ipso totus teres atque rotundus,
externi nequid ualeat per leue morari,
in quem manca ruit semper fortuna. potesne
ex his ut proprium quid noscere? quinque talenta

A Cruquiana, Orelliana 3 — belua *cfr. Serm. uers.* 1576 — 1979 ʿpraua. *malim legere* priua, *quemadmodum mihi uideor legisse in codice Diuaei' Cruquius* — 1980 ait *A* — uasa *Orelliana* 3. uisa *A*. ʿubi uasa. *Blandin. cod. antiquiss. habet*, uisa' *Cruquius* — 1981 argentea uasa *A* — 1984 quam *A* — 1985 imposita *A Cruquiana, Orelliana* 3 — unquam *Cruquiana, Orelliana* 3 — priuat *D* — 1986 supra dictis *Cruquiana.* super, dictis *Bentleius.* super dictis *Kirchner* — 1987 ut imos *A* — 1988 ait *AD.* ʿuti mos uester agit. *sic habent codices Tons. Mart. Sil. et alii, quos secuti sumus' Cruquius* — ʿtibi quid sum ego? nempe. *Vnus codex Blandin. habet*, tibi quod sum ego, *sine interrogationis signo' Cruquius* — 1989 aliis *AD.* ʿalii seruis miser. *sic codex Blandin. antiquissimus, cum duobus aliis, non etiam, ut ceteri omnes*, aliis' *Cruquius.* aliis *Bentleius* — 1990 signum *auctore Douza patre Bentleius* — 1991 sibique *A.* sibi qui *D.* ʿsibique

poscit te mulier, uexat foribusque repulsum
perfundit gelida, rursus uocat. eripe turpi
colla iugo, "liber, liber sum" dic age. non quis:
urguet enim dominus mentem non lenis et acris
subiectat lasso stimulos uersatque negantem.
uel cum Pausiaca torpes, insane, tabella,
qui peccas minus atque ego, cum Fului Rutubaeque
aut Pacidiani contento poplite miror
proelia rubrica picta aut carbone, uelut si
re uera pugnent, feriant, uitentque mouentes
arma uiri? nequam et cessator Dauus: at ipse
subtilis ueterum iudex et callidus audis.
nil ego, si ducor libo fumante: tibi ingens
uirtus atque animus cenis responsat opimis?
obsequium uentris mihi perniciosius est cur?
tergo plector enim. qui tu inpunitior illa,
quae paruo sumi nequeunt, obsonia captas?
nempe inamarescunt epulae sine fine petitae,
inlusique pedes uitiosum ferre recusant
corpus. an hic peccat, sub noctem qui puer uuam
furtiua mutat strigili? qui praedia uendit,

imperiosus. *sic habet codex Blandin. antiquissimus cum Tonsa. et Buslid. reliqui codices omnes habent*, sibi qui imp.' *Cruquius* — 1992 nec uincula *Bentleius tacite* — 1996 manu caruit *A* — 2001 urguet *A* — acris *A D.* acreis *Cruquiana.* acres *Orelliana* 3 2002 necantem *A* — 2004 Rutubaeti *A* — 2005 pacideiani *A.* Placideiani *D Bentleius.* 'aut Pacidiani. *Codex Bland. habet hanc dictionem sine ulla macula aut litura, quam sequimur*' *Cruquius* — 2011 optinis *A.* opimis. *uulgo ante Bentleium.* opimis? *Bentleius* — 2012 est. cur? *Kirchner.* est cur? *Bentleius, alii plurimi* — 2013 qui *A Orelliana* 3. quid *Cruquiana.* 'qui tu impunitior illa quae paruo sumi nequeunt obsonia captas? *sic habent omnia scripta, nec quicquam immutaui propter apertam sententiam*' *Cruquius* — inpunitior *A* — 2014 parua *A* — 2015 immarescunt *A* — 2016 illusique *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 2017 *uerba* 'an hic ..... strigili' *citat Priscian. I p.* 339 *Kr., ibique*

nil seruile gulae parens habet? adde quod idem
non horam tecum esse potes, non otia recte
ponere, teque ipsum uitas fugitiuus et erro,
iam uino quaerens, iam somno fallere curam;
frustra: nam comes atra premit sequiturque fugacem.'
unde mihi lapidem? 'quorsum est opus?' unde sagittas?
'aut insanit homo aut uersus facit.' ocius hinc te
ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.

ECLOGA VIII.

Vt Nasidieni iuuit te cena beati?
nam mihi quaerenti conuiuam dictus here illic
de medio potare die. 'sic ut mihi numquam
in uita fuerit melius.' dic, si graue non est,
quae prima iratum uentrem placauerit esca.
'in primis Lucanus aper: leni fuit austro
captus, ut aiebat cenae pater: acria circum

duo codices habent furtiuam — 2021 et erro *A Orelliana* 3. 'et erro. *sic scriptum est in antiquissimo Blandin. Tons. Diuaei, Buslid. Nan. Mart. Sil. in tribus aliis Blandiniis*, ut erro' *Cruquius* — 2022 curam] noctem *A* — 2026 accedis *A*

Ecloga VIII Fundanius — 2027 Vt Nasidieni iuuit te *AD*. 'ut te Nasidieni. *sic habent duo codices scripti, puta Sil. et Mart. cum uno et altero uulgato, quos secuti sumus*' *Cruquius* — 2028 quaerenti conuiuam *AD Cruquiana*. conuiuam quaerenti *e Prisciano* 15, 3, 14 (*I p.* 622 *Kr.*) *Bentleius* — 2029 nunquam *Cruquiana, Orelliana* 3. numquam *A* — 2030 dic *AD Bentleius*. 'da si graue n. e. *omnes scripti libri habent*, dic' *Cruquius* — 2031 placauerit *AD Cruquiana*. pacauerit *Pottierii plerique* — 2034 rappula *D* — 2035 allec *AD*. alec *Cruquiana; cfr. Serm. uers.* 1659 — fecula *Cruquiana* — 2036 alter *A*. alte *Orelliana* 3. 'puer alter cinctus. *sic habent duo cod. Mart. et Sil. quos*

rapula, lactucae, radices, qualia lassum
peruellunt stomachum, siser, allec, faecula Coa.
his ubi sublatis puer alte cinctus acernam
gausape purpureo mensam pertersit, et alter
sublegit quodcumque iaceret inutile quodque
posset cenantis offendere, ut Attica uirgo
cum sacris Cereris procedit fuscus Hydaspes
Caecuba uina ferens, Alcon Chium maris expers.
hic erus "Albanum, Maecenas, siue Falernum
te magis adpositis delectat, habemus utrumque."
diuitias miseras! sed quis cenantibus una,
Fundani, pulchre fuerit tibi, nosse laboro.
'summus ego, et pro me Viscus Thurinus, et infra,
si memini, Varius, cum Seruilio Balatrone
Vibidius, quas Maecenas adduxerat umbras.
Nomentanus erat super ipsum, Porcius infra,
ridiculus totas semel absorbere placentas.
Nomentanus ad hoc, qui, siquid forte lateret,
indice monstraret digito: nam cetera turba,
nos, inquam, cenamus auis, conchylia, piscis,

secuti sumus' Cruquius — *apud Priscian.* 7, 11, 55 (*I* 328) *Krehlius ex mscto reposuit* ut *pro* ubi — 2037 d'tersit *A* — 2039 coenanteis *Cruquiana.* coenantes *A Orelliana* 3 — 2042 erus *A.* herus *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2043 appositis *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2044 diuitias miras *coniecit D. Heinsius refutauit Bentleius* — 2045 fuerit pulchre *A* — 2046 prope me *A Orelliana* 3. 'prope me. *codex Blandinius antiquissimus habet*, pro me.' *Cruquius* — turrinus *A.* Turinus *Cruquiana.* Thurinus *Orelliana* 3 — 2048 quos *D Cruquiana*, *Bentleius.* quas *A* — 2050 semel *AD.* simul *Bentleius*, *cui tamen* semel *magis placet.* 'simul absorbere. *in Busl. Blandin. uno et Diuaei codice legitur*, semel, *in aliis*, simul. *deinde in Buslid. et duobus Blandin. ponitur*, obsorbere, *in reliquis*, absorbere' *Cruquius* — absorbere *A Bentleius.* obsorbere *D* — 2051 quo si quid *coniecit D. Heinsius refutauit Bentleius* — 2053 aueis ... pisceis *Cruquiana.* aues ... pisces *A Orelliana* 3

longe dissimilem noto celantia sucum;
ut uel continuo patuit, cum passeris atque
ingustata mihi porrexerit ilia rhombi.
post hoc me docuit melimela rubere minorem
ad lunam delecta: quid hoc intersit, ab ipso
audieris melius. tum Vibidius Balatroni
"nos nisi damnose bibimus, moriemur inulti;"
et calices poscit maiores. uertere pallor
tum parochi faciem nil sic metuentis ut acris
potores, uel quod maledicunt liberius, uel
feruida quod subtile exsurdant uina palatum.
inuertunt Allifanis uinaria tota
Vibidius Balatroque, secutis omnibus: imi
conuiuae lecti nihilum nocuere lagenis.
adfertur squillas inter murena natantis
in patina porrecta. sub hoc erus "haec grauida"
inquit
"capta est, deterior post partum carne futura.
his mixtum ius est: oleo, quod prima Venafri
pressit cella; garo de sucis piscis Hiberi;

2055 passeris assi et *Bentleius e codicibus Lambini anonymis* — porrexerit *AD.* porrexerat *Bentleius.* ᶜporrexerit. *Tons. habet,* porrexerat' *Cruquius* — incrustata mihi porrexit *Horkelius Anal. Horat. p.* 66 *sqq.* — rombi *A* — 2059 audiéras *A* — 2060 moriemur *AD Cruquiana.* moriamur *codices alii* — 2061 poscit *AD.* ᶜposcit mai. *sic omnes scripti libri, non etiam,* poscunt' *Cruquius* — 2062 paroichi *A* — acreis *Cruquiana.* acres *A Orelliana* 3 — 2064 exsurdat *A* — 2066 imi *A.* imis *D.* ᶜimi conuiuae lecti. *In Commentatore duplex notatur lectio, sed nos priorem sumus amplexati ex* 4. *codicibus Blandin. ueluti probatissimam; uulgata namque,* secutis omnibus imis, ... *nobis penitus habetur absurda*' *Cruquius* — 2067 lecte *A* — laguenis *A* — 2068 *totum uersum om. A* — affertur *Cruquiana, Orelliana* 3 — natanteis *Cruquiana.* natantes *Orelliana* 3 — 2069 herus *Cruquiana, Orelliana* 3. erus *A* — 2071 oleum *A* — mixtum *A Orelliana* 3. mistum *Cruquiana* — 2072 succis *Cruquiana.* sucis *A Orelliana* 3

uino quinquenni, uerum citra mare nato,
dum coquitur (cocto Chium sic conuenit ut non
hoc magis ullum aliud); pipere albo, non sine
aceto
quod Methymnaeam uitio mutauerit uuam.
erucas uiridis, inulas ego primus amaras
monstraui incoquere; inlutos Curtillus echinos,
ut melius muria quod testa marina remittat."
interea suspensa grauis aulaea ruinas
in patinam fecere, trahentia pulueris atri,
quantum non aquilo Campanis excitat agris.
nos maius ueriti, postquam nihil esse pericli
sensimus, erigimur: Rufus posito capite, ut si
filius inmaturus obisset, flere. quis esset
finis, ni sapiens sic Nomentanus amicum
tolleret "heu, Fortuna, quis est crudelior in nos
te deus? ut semper gaudes inludere rebus
humanis." Varius mappa conpescere risum
uix poterat. Balatro, suspendens omnia naso,
"haec est condicio uiuendi" aiebat, "eoque

Iberi *Cruquiana*. Hiberi *A Orelliana* 3, *Bentleius* (*sic ubique scribendum cum aspiratione: cfr. Wagnerum ad Verg. Georg. III* 480) — 2076 mutauerit *A Orelliana* 3. mutauerat *Lambinus*. 'mutauerat. mutauerit *habent omnia scripta*' *Cruquius* — 2077 uirides] lurides *A* — 2078 inlutos *A Orelliana* 3. inlotos *Bentleius*. 'inlutos. *sic in codicibus Blandin. et aliis, quos secutus sum propter antiquitatem*' *Cruquius* — 2079 quod *DA*. quam *Bentleius*. 'quam teste marina remittit. remittit *habent plura scripta ..... ceterum lectorem monitum uolui, in omnibus scriptis poni*, quod teste marina remittit. *praeterquam in uetustissimo Blandin. ubi legitur*, quo testa marina r. *et supra notatum*, eo' *Cruquius* — remittit *A Bentleius*. remittat *D* — 2080 grauis *A*. graueis *Cruquiana*. graues *Orelliana* 3 — 2085 immaturus *Cruquiana*, *Orelliana* 3. inmaturus *A* — 2086 momentanus *A* — 2088 illudere *A Cruquiana*, *Orelliana* 3, *item uersu* 2089 compescere — 2091 condicio *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 (*cfr. Wagneri Orthogr. Verg. p.* 422; *Schnei-*

responsura tuo numquam est par fama labori.
tene, ut ego accipiar laute, torquerier omni
sollicitudine districtum, ne panis adustus,
ne male conditum ius adponatur, ut omnes
praecincti recte pueri comptique ministrent?
adde hos praeterea casus, aulaea ruant si,
ut modo, si patinam pede lapsus frangat agaso.
sed conuiuatoris uti ducis ingenium res
aduersae nudare solent, celare secundae."
Nasidienus ad haec "tibi di quaecumque preceris
commoda dent; ita uir bonus es conuiuaque comis:"
et soleas poscit. tum in lecto quoque uideres
stridere secreta diuisos aure susurros.'
nullos his mallem ludos spectasse: sed illa
redde age quae deinceps risisti. 'Vibidius dum
quaerit de pueris, num sit quoque fracta lagena,
quod sibi poscenti non dantur pocula, dumque
ridetur fictis rerum, Balatrone secundo,
Nasidiene, redis mutatae frontis, ut arte
emendaturus fortunam. deinde secuti
mazonomo pueri magno discerpta ferentes
membra gruis, sparsi sale multo non sine farre,
pinguibus et ficis pastum iecur anseris albae,
et leporum auolsos, ut multo suauius, armos,
quam si cum lumbis quis edit. tum pectore adusto

deri Element. gram. p. 250) — 2092 numquam *A.* nunquam *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2093 ut *om. A* — 2094 districtum *A Orelliana* 3. destrictum *Cruquiana* — 2095 apponatur *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2096 pueri recte *A* — comtique *Cruquiana* — 2101 dii *Cruquiana* — precaris *A.* preceris *Cruquiana*, *Orelliana* 3, *Bentleius* — 2107 laguena *A* — 2108 dantur *D.* dentur *A Cruquiana*, *Bentleius* — 2109 a latrone *A* — 2114 albae *A.* albi *D.* 'anseris albi. *Bland. codex antiq. et Tons. habent* albae, *quod non displicet*' *Cruquius.* albae *probauit Bentleius* — 2115 auulsos *A Orelliana* 3. 'et leporum auulsos. *duo codices Bland. habent*, uulsos' *Cruquius* — *ucrsus* 2116 *usque ad* 2121 *om. D* — 2116

uidimus et merulas poni et sine clune palumbis,
suauis res, si non causas narraret earum et
naturas dominus: quem nos sic fugimus ulti,
ut nihil omnino gustaremus, uelut illis
Canidia adflasset, peior serpentibus Afris.'

edit *A Cruquiana*, *Orelliana* 3. edat *sic apud Priscian. II p.* 33 *Krehlius ex mss. edidit* — 2117 palumbes *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 2118 suauis *A.* suaueis *Cruquiana.* suaues *Orelliana* 3 — 2120 ueluti illis] ueluti si *Bentleii coniectura* — 2121 afflasset *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — afris *A.* Afris *D Cruquiana.* atris *Bentleius*

Q. HORATII FLACCI
EPISTVLARVM
LIBER PRIMVS.

EPISTVLA I.

Prima dicte mihi, summa dicende Camena,
spectatum satis et donatum iam rude quaeris,
Maecenas, iterum antiquo me includere ludo.
non eadem est aetas, non mens. Veianius, armis
Herculis ad postem fixis, latet abditus agro,
ne populum extrema totiens exoret harena.
est mihi purgatam crebro qui personet aurem

Q. Horatii Flacci Epistolarum Lib. I. Ad Maecenatem I *Cruquiana. Commune* Sermonum *nomen in summa quaque pagina a m. sec. adscriptum est in codice A, in quo eodem Sermones et Epistulae miscentur.* Q. Horatii Flacci Epistolarum liber primus. Epistola I *Orelliana* 3 — 1 Camena *A Orelliana* 3. Camoena *Cruquiana* — 5 aditis *A* — 6 totiens *AD.* toties *Cruquiana* — exoret *A Orelliana* 3. 'ne populum. *codex unus Blandin. habet expresse*, exornet, *alter Blandin. per lituram' Cruquius* — harena *A.* arena *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 9 illa *A* — 11 quod *Cruquiana*, *sed in adnotationibus est* quid *et* quod *merus typothetarum error est* — 12 compono *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 16 mersor *AD.* 'mersor ciuilibus undis. mersor, *habent omnes mei codi-*

'solue senescentem mature sanus equum, ne
peccet ad extremum ridendus et ilia ducat.'
nunc itaque et uersus et cetera ludicra pono:
quid uerum atque decens, curo et rogo et omnis in
hoc sum:
condo et conpono quae mox depromere possim.
ac ne forte roges quo me duce, quo lare tuter:
nullius addictus iurare in uerba magistri,
quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes.
nunc agilis fio et mersor ciuilibus undis,
uirtutis uerae custos rigidusque satelles,
nunc in Aristippi furtim praecepta relabor
et mihi res, non me rebus subiungere conor.
ut nox longa quibus mentitur amica, diesque
longa uidetur opus debentibus, ut piger annus
pupillis quos dura premit custodia matrum,
sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora quae spem
consiliumque morantur agendi gnauiter id quod
aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque,
aeque neglectum pueris senibusque nocebit.
restat ut his ego me ipse regam solerque elementis.
non possis oculo quantum contendere Lynceus,
non tamen idcirco contemnas lippus inungui;

ces scripti et unus uulgatus, quod τῷ undis *quoque conuenit' Cruquius.* uersor *Aldus, Obbarius* — 19 subiungere *AD.* 'subiungere. *omnes scripti cod. sic habent' Cruquius.* submittere *codices aliquot* — *aut pro* non *scribendum esse* nunc (*quod idem in mentem uenerit Dobraeo Aduers. uol. II p.* 386) *aut transponendos esse uersus sic:* 16, 19, 17, 18 (*uel* 18, 17) *pluribus euincere studet Meinekius l. l. p. XXXII sq.* — 21 longa *AD Cruquiana.* lenta *Bentleius e codice Barthii* — 24 nauiter *AD Cruquiana.* gnauiter *Bentleius et in adnotatione Cruquius* — 28 oculo *A Orelliana* 3. oculos *Lambinus, Bentleius.* 'oculo. *ennallage numeri, pro* oculis. *sic habent omnes scripti quos uidi codices, non* oculos, *ut Lambinus legendum contendit' Cruquius* — 29 iccirco *Cruquiana.* idcirco *A Orelliana* 3 (*cfr. Wagneri Orthogr. Verg. p.* 443) — inungui *AD.* inungi

nec, quia desperes inuicti membra Glyconis,
nodosa corpus nolis prohibere cheragra.
est quadam prodire tenus, si non datur ultra.
feruet auaritia miseroque cupidine pectus:
sunt uerba et uoces quibus hunc lenire dolorem
possis et magnam morbi deponere partem.
laudis amore tumes: sunt certa piacula quae te
ter pure lecto poterunt recreare libello.
inuidus, iracundus, iners, uinosus, amator,
nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
si modo culturae patientem commodet aurem.
uirtus est uitium fugere, et sapientia prima
stultitia caruisse. uides, quae maxima credis
esse mala, exiguum censum turpemque repulsam,
quanto deuites animi capitisque labore;
inpiger extremos curris mercator ad Indos,
per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignis:
ne cures ea, quae stulte miraris et optas,
discere et audire et meliori credere non uis?
quis circum pagos et circum compita pugnax

Cruquiana — 30 desperas *A* — 31 nolis corpus *A* — chiragra *D* *Cruquiana.* ciragra *A* — 32 quodam *AD.* ‘est quadam. *sic inueni sine ulla litura in antiquissimo Blandin. codice et Buslidiano. Nannii codex habet*, est aliqua prodire tenus *etc. ceteri omnes habent*, est quodam *etc.*’ *Cruquius.* quadam *Bentleius* — 33 miseroque *A Orelliana* 3. ‘miseroque cupidine. *sic habent* 4. *Blandin. Tonsa. Sil. Busli. reliqui*, misera’ *Cruquius* — 39 adeoue ferus *A* — 44 quantum *D* — diuites *A* — animi *A Orelliana* 3. ‘animi. *tres codic. habent* animo, *Nannii*, *Tonsa.*, *Siluius*’ *Cruquius* — 45 impiger *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 46 igneis *Cruquiana.* ignes *A Orelliana* 3 — 47 optes *D* — 49 competa *A* — 52 est auro argentum *e codice Collegii Trinitatis Bentleius* — 55 prodocet *A Orelliana* 3, *Bentleius.* ‘prodocet. *palam docet. sic habent* 4. *Blandin. Buslid. Diuaei Silu. sed Martin.* edocet. *Tons. et Nan.* praedocet. *uulgati* perdocet’ *Cruquius* — 56 *hunc*

magna coronari contemnat Olympia, cui spes,
cui sit condicio dulcis sine puluere palmae?
uilius argentum est auro, uirtutibus aurum.
'o ciues, ciues, quaerenda pecunia primum est;
uirtus post nummos:' haec Ianus summus ab imo
prodocet, haec recinunt iuuenes dictata senesque
laeuo suspensi loculos tabulamque lacerto.
est animus tibi, sunt mores, et lingua fidesque,
sed quadringentis sex septem milia desunt:
plebs eris. at pueri ludentes 'rex eris' aiunt,
'si recte facies.' hic murus aeneus esto:
nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
Roscia, dic sodes, melior lex an puerorum est
nenia, quae regnum recte facientibus offert,
et maribus Curiis et decantata Camillis?
isne tibi melius suadet qui, rem facias, rem,
si possis, recte, si non, quocumque modo rem,
ut propius spectes lacrimosa poemata Pupi,
an qui Fortunae te responsare superbae
liberum et erectum praesens hortatur et aptat?

uersum uncis inclusit editio Weidmanniana et Meinekius iam in prima editione, ut translatum e Sermonum I 6, 74, *praeeuntibus Guyeto, Cuninghamio aliis; (cfr. Meinekium l. l. p. XXXIII)* — 57 *et* 58 'est animus tibi. *hic uersus in codic. Buslid. uetustissimo praeponitur huic*, si quadringentis' *Cruquius* — et lingua *D Cruquiana.* lingua *A.* est lingua *e codicibus Bentleius* — 58 sed *AD.* si *Cruquiana* — desint *e codicibus Bentleius* — 60 aeneus *A Orelliana* 3. aheneus *Cruquiana* (*cfr. Wagneri Orthogr. Vergil. p.* 440) — *uerba* hic murus ..... culpa *ut interpolata in marginem relegauit Meinekius, cfr. l. l. p. XXXIV* — 62 puerorum est *AD.* puerorum *Cruquiana.* 'puerorum est. *sic scriptum est in omnibus codic. praeter Martin.*' *Cruquius* — 64 et *om. A* — 65 qui rem facias *A Orelliana* 3. qui ut rem facias *Torrentius.* 'qui rem facias. *sic habent omnia scripta sine aduerbio*, ut' *Cruquius* — 67 spectas *A* — lacrimosa *A Orelliana* 3. lachrymosa *Cruquiana* — Pupi *A Orelliana* 3. Puppi *Cruquiana* — 69 optat *A.* aptat

quodsi me populus Romanus forte roget, cur
non ut porticibus sic iudiciis fruar isdem,
nec sequar aut fugiam quae diligit ipse uel odit,
olim quod uolpes aegroto cauta leoni
respondit referam: 'quia me uestigia terrent,
omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.'
belua multorum es capitum. nam quid sequar aut quem?
pars hominum gestit conducere publica; sunt qui
crustis et pomis uiduas uenentur auaras
excipiantque senes quos in uiuaria mittant;
multis occulto crescit res fenore. uerum
esto aliis alios rebus studiisque teneri:
idem eadem possunt horam durare probantes?
'nullus in orbe sinus Baiis praelucet amoenis'
si dixit dives, lacus et mare sentit amorem
festinantis eri: cui si uitiosa libido
fecerit auspicium, cras ferramenta Teanum
tolletis, fabri. lectus genialis in aula est:
nil ait esse prius, melius nil caelibe uita:
si non est, iurat bene solis esse maritis.
quo teneam uoltus mutantem Protea nodo?
quid pauper? ride: mutat cenacula, lectos,
balnea, tonsores, conducto nauigio aeque

Orelliana 3. 'et aptat. *sic habent* 4. *Bland. Buslid. Nann. et Siluii codex, sine ulla litura, alii cum uulgatis sentiunt in τῷ* optat' *Cruquius* — 71 'nec fruar iisdem. *Nannii codex cum Tonsano habent,* idem' *Cruquius* — 72 aut *AD Cruquiana, Bentleius.* et *e codicibus Fea* — 73 uulpes *A Cruquiana* — 76 belua *A Orelliana* 3. bellua *Cruquiana* — es] est *Bentleius coniecit* — 78 frustis *A Cruquiana.* crustis *Orelliana* 3 — 79 mutant *A* — 80 uenere *A* — 82 iidem *Cruquiana* — 83 bais *A* — 85 heri *Cruquiana, Orelliana* 3. eri *A* — 88 celeba *A* — 90 prothea *A* — 91 ride. mutat] uiden' ut mutat *Bentleii coniectura* — 92 condicto *A* — 94 curatus *A Orelliana* 3. 'si curtatus. *sic habet unus cod. scriptus Diu. nec tamen sine litura litterae* t; *ceteri omnes sine ullis*

nauseat ac locuples quem ducit priua triremis.
si curatus inaequali tonsore capillos
occurri, rides; si forte subucula pexae
trita subest tunicae uel si toga dissidet inpar,
rides: quid, mea cum pugnat sententia secum,
quod petiit spernit, repetit quod nuper omisit,
aestuat et uitae disconuenit ordine toto,
diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis?
insanire putas sollemnia me neque rides,
nec medici credis nec curatoris egere
a praetore dati, rerum tutela mearum
cum sis et praue sectum stomacheris ob unguem
de te pendentis, te respicientis amici.
ad summam, sapiens uno minor est Ioue, diues,
liber, honoratus, pulcher, rex denique regum,
praecipue sanus, nisi cum pituita molesta est.

EPISTVLA II.

Troiani belli scriptorem, Maxime Lolli,
dum tu declamas Romae, Praeneste relegi:
qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
planius ac melius Chrysippo et Crantore dicit.

maculis habent, curatus' *Cruquius* — 95 occurri *A Cruquiana.* occurrit *D.* occurro *e duobus codicibus Bentleius* — 96 impar *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 97 mecum *A.* secum *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 101 solemnia *A Orelliana* 3. solennia *Cruquiana* — 104 cum sis; et praue sectum stomacheris *Cruquiana*; *idem praefert Kirchner Quaest. Horat. p.* 36 *nisi quod scribi uult* stomacharis — 105 suspicientis *de N. Heinsii coniectura Bentleius*

Epistola II. Ad Lollium I *Cruquiana* — 109 maxime *omnes codd. et editt.* Maxime *conlatis Carminum uersibus* 1142 *et* 919, *ubi eodem ordine dicuntur* Hirpine Quinti *et* Crispe Salusti *Meinekius l. l. p. XXXV* — 112 planius *AD.* 'plenius. *perfectius. sic habent Blandin. Diuaei Mart. Nann. codices. Buslid. Tonsa. Silu.*

cur ita crediderim, nisi quid te detinet, audi.
fabula, qua Paridis propter narratur amorem
Graecia Barbariae lento conlisa duello,
stultorum regum et populorum continet aestum.
Antenor censet belli praecidere causam.
quid Paris? ut saluus regnet uiuatque beatus,
cogi posse negat. Nestor conponere litis
inter Peliden festinat et inter Atriden:
hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.
quidquid delirant reges, plectuntur Achiui.
seditione, dolis, scelere atque libidine et ira
Iliacos intra muros peccatur et extra.
rursus quid uirtus et quid sapientia possit,
utile proposuit nobis exemplar Vlixen,
qui domitor Troiae multorum prouidus urbis
et mores hominum inspexit, latumque per aequor,
dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa
pertulit, aduersis rerum inmersabilis undis.

planius, *id est, apertius' Cruquius.* planius *Bentleius* — 113 detinet *A Orelliana* 3. ‘detinet. *sic habent omnes codices praeter Blandin. qui habent,* distinet' *Cruquiana* — 115 collisa *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 116 aestus *A Orelliana* 3. ‘aestum. *sic habent* 4. *Blandin. Tonsa. Silu. cod. reliqui,* aestus' *Cruquius* — 118 quid Paris? ut *AD Cruquiana.* quod Paris, ut *Bentleius e codicibus et edilt. Weidmanniana et Meinekiana* — 119 mnestor *A* — liteis *Cruquiana.* lites *A Orelliana* 3 — componere *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 120 inter] primus *Bentleii coniectura. cfr. Serm. uersum* 786 — Pelidem ... Atridem *A* — 122 quitquid *A* — 123 solis *A* — 125 rursum *Bentleius* — 126 Vlyssem *Cruquiana.* Vlixen *D Bentleius.* Vlixem *A* — 127 urbeis *Cruquiana.* urbes *A Orelliana* 3 — 128 latorque *A* — 130 aduersus *A* — inmersabilis *AD.* immersabilis *Cruquiana* — 131 Seirenum *Cruquiana* — Circae *A Orelliana* 3 ‘Circae pocula. *sic habent omnia scripta quae legi, non* Circes' *Cruquius* — 134 immundus *Cruquiana, Orelliana* 3. inmundus *A* — 136 Penelopae *A Orel-*

Sirenum uoces et Circae pocula nosti:
quae si cum sociis stultus cupidusque bibisset,
sub domina meretrice fuisset turpis et excors,
uixisset canis inmundus uel amica luto sus.
nos numerus sumus et fruges consumere nati,
sponsi Penelopae, nebulones, Alcinoique
in cute curanda plus aequo operata iuuentus,
cui pulchrum fuit in medios dormire dies et
ad strepitum citharae cessatum ducere somnum.
ut iugulent hominem, surgunt de nocte latrones:
ut te ipsum serues, non expergisceris? atqui
si noles sanus, curres hydropicus; et ni
posces ante diem librum cum lumine, si non
intendes animum studiis et rebus honestis,
inuidia uel amore uigil torquebere. nam cur
quae laedunt oculos festinas demere, siquid
est animum, differs curandi tempus in annum?
dimidium facti qui coepit habet: sapere aude:

liana 3. (*Cfr. Priscian. I* 280 *Kr.*) 'sponsi Penelopae. *sic habent omnes manuscripti*' *Cruquius* — 139 cessatum *AD Cruquiana.* cessantem *Bentleii coniectura* — somnum *A.* curam *D.* 'cessatum ducere curam. *Blandin. codices hic habent*, cessatum ducere somnum' *Cruquius* — 140 hominem *A Bentleius.* homines *Orelliana* 3. 'ut iugulent homines. hominem *Blandin. antiquissim.*' *Cruquius* — 141 tu te ipsum ut serues *malebat Bentleius* — atqui *A Orelliana* 3. 'atque. *pro*, atqui *Blandin. antiquiss.*' *Cruquius* — 142 nolis ... curres *A.* noles ... curres *Orelliana* 3. 'si noles sanus, curres hydropicus. *sic scriptum est in* 4. *cod. Bland. Nanniano Buslidiano, Tons. Sil. alii habent cum uulgatis*, si nolis sanus, cures hydropicus' *Cruquius* — 146 oculos *AD.* oculum *cum quattuor codicibus Bentleius.* 'si quid ..... 4. *Blandin. cod. cum Tonsa. Buslid. et Silu. habent*, quid, *alii* quod. *praeterea Blandin.* 2. *habent* oculum, *reliqui* oculos' *Cruquius* — festinans *A* — si quid *A Orelliana* 3 — 148 squi *A*

incipe. qui recte uiuendi prorogat horam,
rusticus expectat dum defluat amnis: at ille
labitur et labetur in omne uolubilis aeuum.
quaeritur argentum puerisque beata creandis
uxor et incultae pacantur uomere siluae.
quod satis est cui contingit, nihil amplius optet.
non domus et fundus, non aeris aceruus et auri
aegroto domini deduxit corpore febris,
non animo curas: ualeat possessor oportet,
si conportatis rebus bene cogitat uti.
qui cupit aut metuit, iuuat illum sic domus et res
ut lippum pictae tabulae, fomenta podagram,
auriculas citharae conlecta sorde dolentis.
sincerum est nisi uas, quodcumque infundis acescit.
sperne uoluptates: nocet empta dolore uoluptas.
semper auarus eget: certum uoto pete finem.
inuidus alterius macrescit rebus opimis:
inuidia Siculi non inuenere tyranni
maius tormentum. qui non moderabitur irae,
infectum uolet esse, dolor quod suaserit et mens,
dum poenas odio per uim festinat inulto.

149 uiuendi qui recte *D Cruquiana.* qui recte uiuendi *A* — 150 expectat *A Cruquiana.* exspectat *Orelliana* 3 *et Cruquius in adnotationibus ubique* — 154 contingit nihil *AD Bentleius.* ‘quod satis est cui contigit is nihil. *sic habet codex Blandin. uetustissimus sed per lituram; quod factum credo a sciolo, quia codex idem habet* contingit, *cum altero Blandin. alii duo habent* contigit *cum Tonsa. Diuaei et Sil. alii* contingit’ *Cruquius* — 156 deduxit *A Orelliana* 3. ‘deduxit corpore. *Tonsa. cod. habet,* duxit de corpore’ *Cruquius* — febres *A Cruquiana, Orelliana* 3. ‘febres. *alii* febrem *quoque, alii* febrim *habent*’ *Cruquius* — 158 comportatis *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 159 et res *A Orelliana* 3. aut res *Lambinus, Cruquiana.* ‘domus et res. *sic scriptum est in omnibus codicibus, a quibus non dissentiendum credo*’ *Cruquius* — 160 podagram *AD Cruquiana.* podagrum *e codicibus Bentleius* — 161 collecta *A Cruquiana, Orelliana* 3 — dolenteis *Cruquiana.* dolen-

ira furor breuis est: animum rege; qui nisi paret,
imperat: hunc frenis, hunc tu conpesce catenis.
fingit equum tenera docilem ceruice magister
ire uiam qua monstrat eques: uenaticus, ex quo
tempore ceruinam pellem latrauit in aula,
militat in siluis catulus. nunc adbibe puro
pectore uerba puer, nunc te melioribus offer.
quo semel est imbuta recens, seruabit odorem
testa diu. quodsi cessas aut strenuus anteis,
nec tardum opperior nec praecedentibus insto.

EPISTVLA III.

Iuli Flore, quibus terrarum militet oris
Claudius Augusti priuignus, scire laboro.
Thracane uos Hebrusque niuali compede uinctus,
an freta uicinas inter currentia terras,
an pingues Asiae campi collesque morantur?
quid studiosa cohors operum struit? hoc quoque
curo.

tes *A Orelliana* 3 — 162 acessit *A* — 163 emta *Cruquiana.* empta *A Orelliana* 3 — 171 catenis *A.* catena *Orelliana* 3. 'catena. *aliqui codices habent* catena, *alii* catenis, *sed parum interesse credo' Cruquius* — compesce *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 173 quam monstret *D.* qua monstrat *A Cruquiana.* qua monstret *Bentleius.* 'qua. *sic codex Silu. Martin. et uera est lectio' Cruquius* — 175 adhibe *AD.* 'nunc adhibe puro. adbibe, *habent omnes scripti codices, non* adhibe, *ut quidam uulgati, non recte' Cruquius*

Epistola III. Ad Iulium Florum *Cruquiana* — 180 Auli *A* — 183 turris *A.* turres *D.* turreis *Cruquiana.* terras *Bentleius.* 'turreis. *lectorem non celabo, Blandinium cod. uetustissimum cum Siluio hic habere,* terras' *Cruquius* — 184 morantur *A Orelliana* 3. morentur *Cruquiana* — 185 haec *Cruquiana.* hoc *AD Bentleius*

quis sibi res gestas Augusti scribere sumit?
bella quis et paces longum diffundit in aeuum?
quid Titius, Romana breui uenturus in ora?
Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
fastidire lacus et riuos ausus apertos.
ut ualet? ut meminit nostri? fidibusne Latinis
Thebanos aptare modos studet auspice Musa,
an tragica desaeuit et ampullatur in arte?
quid mihi Celsus agit? monitus multumque monendus,
priuatas ut quaerat opes et tangere uitet
scripta, Palatinus quaecumque recepit Apollo,
ne, si forte suas repetitum uenerit olim
grex auium plumas, moueat cornicula risum
furtiuis nudata coloribus. ipse quid audes?
quae circumuolitas agilis thyma? non tibi paruum
ingenium, non incultum est et turpiter hirtum:
seu linguam causis acuis, seu ciuica iura
respondere paras, seu condis amabile carmen,
prima feres ederae uictricis praemia. quodsi
frigida curarum fomenta relinquere posses,
quo te caelestis sapientia duceret, ires.
hoc opus, hoc studium parui properemus et ampli,

187 paces *A Orelliana* 3. 'codex *Tons. habet*, pacem; *praeterea haec uerba* morantur, struit, sumit, diffundit *habet*, morentur, struat, sumat, diffundat, *non inepte, ut mihi uidetur, nimirum ut consentiant ei* militet, *quod in omnibus scriptis uulgatisque est uniforme*' *Cruquius* — 193 ampullat *A* — 200 circum uolitas *Cruquiana* — 201 et *AD Bentleius.* nec *Cruquiana* — 204 ederae *Cruquiana.* hederae *A Orelliana* 3 — 209 sit *AD.* si *Bentleius.* 'sit tibi curae. *sic habent omnia scripta, quae uidi, sine ulla macula: quare sic legendum censeo per ellipsim*, ne, *hoc modo:* sitne Munatius *e. q. s.*' *Cruquius* — 210 mala *A* — 211 nequitquam *A.* nequiquam *D.* nequicquam *Cruquiana* (*cfr. Wagneri Orthogr. Verg. p.* 459. *uid. Carm. us.* 109, 397, 400 *Serm.* 1935) — ac *D Bentleius.* at *A Cruquiana* — 212 heu .. heu *AD.* seu .. seu *Bentleius.* 'heu calid. sang. heu re. *sic omnes scripti cod. praeter*

si patriae uolumus, si nobis uiuere cari.
debes hoc etiam rescribere, sit tibi curae
quantae conueniat Munatius; an male sarta
gratia nequiquam coit et rescinditur? at uos
heu calidus sanguis heu rerum inscitia uexat
indomita ceruice feros ubicumque locorum
uiuitis, indigni fraternum rumpere foedus,
pascitur in uestrum reditum uotiua iuuenca.

EPISTVLA IIII.

Albi, nostrorum sermonum candide iudex,
quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
scribere quod Cassi Parmensis opuscula uincat,
an tacitum siluas inter reptare salubris,
curantem quidquid dignum sapiente bonoque est?
non tu corpus eras sine pectore: di tibi formam,
di tibi diuitias dederunt artemque fruendi.
quid uoueat dulci nutricula maius alumno,
qui sapere et fari possit quae sentiat, et cui

Diuaei, qui uulgatos sequitur' Cruquius — rerum] ueri *Bentleii coniectura* — 213 ubicunque *ut* 194 quaecunque *Orelliana* 3

Epistola IIII. Ad Albium Tibullum *Cruquiana*. — 218 crassi *A* — 219 salubres *A Cruquiana, Orelliana* 3 — interreptare *A Cruquiana* — 220 quitquit *A.* quicquid *Cruquiana* — bonoque est *A.* bonoque *Orelliana* 3. 'bonoque. *unus cod. Blandin. habet*, bonumque' *Cruquius* — 221 eras] eris *Horkelius Anal. Horat. p.* 139 *sqq.* — dii .. dii *Cruquiana* — 222 dederant *A.* dederunt *D pr. m.* 'dederunt. *hanc lectionem probat Commentator, nec aliter inueni in omnibus scriptis, praeter Martin., qui legit* dederant' *Cruquius* — 224 quin *A.* qui *Orelliana* 3. 'quam sapere et fari ut possit quae sentiat ..... *non diffiteor codices hic non constare. Bland.* 4. *habent*, qui sapere et fari possit, quae sentiat et cui ..... *Tons. habet*, quin sapere etc. *reliqui omnes*,

gratia, fama, ualetudo contingat abunde,
et mundus uictus, non deficiente crumena?
inter spem curamque, timores inter et iras
omnem crede diem tibi diluxisse supremum:
grata superueniet quae non sperabitur hora.
me pinguem et nitidum bene curata cute uises,
cum ridere uoles Epicuri de grege porcum.

EPISTVLA V.

Si potes Archiacis conuiua recumbere lectis
nec modica cenare times holus omne patella,
supremo te sole domi, Torquate, manebo.
uina bibes iterum Tauro diffusa palustris
inter Minturnas Sinuessanumque Petrinum.
si melius quid habes, arcesse, uel imperium fer.
iandudum splendet focus et tibi munda supellex.

quam sapere et fari ut possit quae sentiat et cui' *Cruquius* — 225 ualitudo ... habunde *A* — 226 et domus et uictus *Bentleii coniectura.* et mundus uictus *AD* — 228 dileuisse *A* — 229 *hunc uersum om. A*

Epistola V. Ad Torquatum *Cruquiana* — 232 Archiacis *AD Bentleius.* 'si potes Archaicis conu. rec. lect. *ad unum quos uidi cod. scripti omnes in uersibus ipsis habent* archiacis, *praeter Tonsanum, in quo scriptum legi,* Archanis; *sed in adnotationibus unius Blandinii, ex quo Commentatorem magno studio descripsimus, uidi,* Archaici *lecti dicebantur ab* Archaico *fabro, in alterius, ab* Archaea, *quod mendosum est' Cruquius et idem paullo post:* 'quod *autem Turnebus legat* Archaicus (*scr.* Archiacus) *ab* Archia *fabro, dandum est antiquitatis studio, propter tam multorum cod. script. consensum, a quibus profecto nec ego dissentirem, nisi adnotationes Blandiniae me uarium quasi data manu in uiam reduxissent'* — 233 holus *A* — 235 diffusa *AD Cruquiana* — palustreis *Cruquiana.* palustres *Orelliana* 3. palustris *A* — 236 Sinues sanumque *A* — 237 si *AD.* sin *Lambinus aliique multi.* 'si. *nulla mea*

mitte leuis spes et certamina diuitiarum
et Moschi causam: cras nato Caesare festus
dat ueniam somnumque dies; inpune licebit
aestiuam sermone benigno tendere noctem.
quo mihi fortunas, si non conceditur uti?
parcus ob heredis curam nimiumque seuerus
adsidet insano. potare et spargere flores
incipiam patiarque uel inconsultus haberi.
quid non ebrietas designat? operta recludit,
spes iubet esse ratas, ad proelia trudit inertem,
sollicitis animis onus eximit, addocet artis.
fecundi calices quem non fecere disertum?
contracta quem non in paupertate solutum?
haec ego procurare et idoneus imperor et non
inuitus, ne turpe toral, ne sordida mappa
conruget naris, ne non et cantharus et lanx
ostendat tibi te, ne fidos inter amicos
sit qui dicta foras eliminet. ut coeat par

scripta habent, sin' *Cruquius* — 238 iamdudum *A Cruquiana, Orelliana* 3. (*cfr. ad Serm. uers.* 1909) — 239 leuis *A.* leueis *Cruquiana.* leues *Orelliana* 3 — 240 et Moschi causam *AD Cruquiana.* et causam Moschi *Meinekius* — 241 impune *A Orelliana* 3, *Cruquianu* — 242 aestiuam] festiuam *coniecit et recepit Meinekius*; *cfr. l. l. p. XXXV sq.* — tendere *AD Cruquiana.* extendere *codices aliqui et editt. uett.* — 243 quo *A Cruquiana.* quid *D* — fortuna *D.* fortunam *A*, *sed* m *littera ab eadem manu deleta*, *Bentleius.* 'quo mihi fortunas. *multi cod. habent*, fortuna; *Diuaei*, fortuna est; *Tonsa. et Mart.* fortunam; *sed doctis cerlum est debere legi*, fortunas' *Cruquius* — 245 assidet *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 247 dissignat *D.* designat *A Cruquiana* — 248 inermem *AD.* 'inermem. *cod. Blandin. habent*, ad proelia trudit inertem' *Cruquius* — 249 arteis *Cruquiana.* artes *A Orelliana* 3 — 253 tosal *A* — 254 conruget *A.* corruget *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — nareis *Cruquiana.* nares *A Orelliana* 3 — nec non *AD.* ne non *Cruquiana* — 256 *uulgarem interpungendi rationem:* eliminet, ... pari. *mutaui*

iungaturque pari, Butram tibi Septiciumque
et nisi cena prior potiorque puella Sabinum
detinet adsumam. locus est et pluribus umbris:
sed nimis arta premunt olidae conuiuia caprae.
tu quotus esse uelis rescribe et rebus omissis
atria seruantem postico falle clientem.

EPISTVLA VI.

Nil admirari prope res est una, Numici,
solaque quae possit facere et seruare beatum.
hunc solem et stellas et decedentia certis
tempora momentis sunt qui formidine nulla
imbuti spectent. quid censes munera terrae?
quid maris extremos Arabas ditantis et Indos?
ludicra quid plausus et amici dona Quiritis?

257 Butram *AD.* Brutum *Cruquiana.* ‘*legendum contra omnia quae legi scripta*, Brutum, *pro* Brutam, *quod est in scriptis*’ *Cruquius* — Septiciumque *AD.* Septimiumque *Cruquiana.* ‘*et* Septimium Septitiumue, *utrumque est in scriptis*’ *Cruquius* — 259 ad sum̄um *A.* adsumam *Cruquiana.* assumam *Orelliana* 3. ‘*omnia scripta praeter Tons. habent insulse:* ad summam *cum colo post uerbum* detinet’ *Cruquius* — 260 arta *A Orelliana* 3. ‘sed nimis arta. arta *sine* c, *habent omnes scripti codices*, *non in hoc loco solum*, *sed ubicunque ea uox recurrit*’ *Cruquius* — 262 ‘*hic uersus tantisper mihi persuasit non sine aliis rationibus satis obuiis in Epistola*, *legendum esse* (*uers.* 232) Si potes arcanis conuiua recumbere lectis, *ut inueneram in cod. Tonsano*, *dum inciderem in Blandinias adnotationes*, *quae solae meam mentem mutarunt*’ *Cruquius*

Epistola VI. Ad Numicium *Cruquiana* — 263 ‘nil admi. prope res. *in* 4. *Blandin. codic. Diuaei Buslid. Silu. Mart. scripta est coniunctim properes*’ *Cruquius* — 267 spectent *AD Cruquiana.* spectant *alii codices et Fea* — 269 plausus] censes *A*, *sed ab ead. m. haec uox deleta et supra scriptum est* plausus — 270

quo spectanda modo, quo sensu credis et ore? 270
qui timet his aduersa, fere miratur eodem
quo cupiens pacto: pauor est utrobique molestus,
inprouisa simul species exterret utrumque.
gaudeat an doleat, cupiat metuatne, quid ad rem,
si, quidquid uidit melius peiusue sua spe, 275
defixis oculis animoque et corpore torpet?
insani sapiens nomen ferat, aequus iniqui,
ultra quam satis est uirtutem si petet ipsam.
i nunc, argentum et marmor uetus aeraque et artis
suspice, cum gemmis Tyrios mirare colores; 280
gaude quod spectant oculi te mille loquentem;
nauus mane forum et uespertinus pete tectum,
ne plus frumenti dotalibus emetat agris
Mutus et (indignum, quod sit peioribus ortus)
hic tibi sit potius quam tu mirabilis illi. 285
quidquid sub terra est, in apricum proferet aetas,
defodiet condetque nitentia. cum bene notum

credis] cordis *D* — 272 utrobique *AD.* utrique *Aldus.* ‘utrobique mol. *sic legitur in omnibus nostris scriptis et uera est lectio*’ *Cruquius* — 273 improuisa *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — exterret *A Orelliana* 3, *Cruquiana.* externat *Iacobsii coniectura* (*Lect. Venus. p.* 157), *quam C. Lachmannus ad Lucretium p.* 266 *uocat* ‘*optimam et necessariam*’ *et quam recepit editio Weidmanniana* — 274 metuatne *A Orelliana* 3. ‘metuatne. *sic habent omnia scripta, non, ut uulgo*, metuatue’ *Cruquius* — 275 peiusue *AD Cruquiana*, *Bentleius.* peiusque *Fea*, *Meinekius alii* — 277 sapiens nomen *AD Cruquiana.* nomen sapiens *Meinekius alii* — 278 petet *AD.* ‘et petat ipsam. *duo Bland. cum Tons. et Sil. habent*, petet, *quod magis placet*’ *Cruquius* — 279 arteis *Cruquiana.* artes *A Orelliana* 3 — 280 ‘suspice. *quidam lib. ueteres habent* suscipe’ *Cruquius* — 282 nauus *AD.* ‘gnauus, *in omnibus scriptis legitur*, nauus, *ut antiqui*’ *Cruquius. Vid. Bentleii curas nouissimas* — 284 Mutus *A Orelliana* 3. Mucius *Cruquiana*, *Lambinus.* ‘Mutius. *ad unum omnes libr. scripti, quos legi, habent*, Mutus et indignum ..... *in* 2. *lib. Bland. et Tons. supra* τὸ Mutus *scriptum uidi,*

porticus Agrippae et uia te conspexerit Appi,
ire tamen restat Numa quo deuenit et Ancus.
si latus aut renes morbo temptantur acuto,
quaere fugam morbi. uis recte uiuere: quis non?
si uirtus hoc una potest dare, fortis omissis
hoc age deliciis. uirtutem uerba putas et
lucum ligna: caue ne portus occupet alter,
ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas;
mille talenta rotundentur, totidem altera, porro et
tertia succedant, et quae pars quadret aceruum.
scilicet uxorem cum dote fidemque et amicos
et genus et formam regina Pecunia donat,
ac bene nummatum decorat Suadela Venusque.
mancipiis locuples eget aeris Cappadocum rex:
ne fueris hic tu. chlamydes Lucullus, ut aiunt,
si posset centum scenae praebere rogatus,
'qui possum tot?' ait: 'tamen et quaeram et quot habebo
mittam.' post paullo scribit sibi milia quinque
esse domi chlamydum; partem uel tolleret omnis.

est proprium' *Cruquius* — quod] qui *malebat Bentleius* — 288 et *om. AD.* et *Cruquiana* — 289 quo] quod *A* — 290 tentantur *Cruquiana*, *Orelliana* 3. temptantur *A* — 291 quae refugam morbo — 292 hoc *A Orelliana* 3. 'si uirtus hoc una. *sic habent omnes manuscripti quos legi*, *non* haec, *in potentiali modo*, *quos secutus sum*' *Cruquius* — 293 putas *A Cruquiana*, *Orelliana* 3. putes *Bentleius*. 'tres. *codic. Blandin. Mart. et Sil. habent*, putes' *Cruquius* — et *A.* ut *D.* ut *Cruquiana* — 296 rotunderetur *A pr. m.* — et *D erasum a sec. m.* et *A.* 'porro et. τὸ et *in tribus Bland. adiectum omittere nolui*' *Cruquius* — 297 quadret *Cruquiana*, *Bentleius.* quadrat *AD* — 302 nec *D* — clamides *A* — 304 quod *A.* quot *Orelliana* 3. 'et quot. *sic scriptum est in omnibus antiquis lib. per* t, *non per* d *litteram*, *ut uulgo*' *Cruquius* — 306 omneis *Cruquiana.* omnes *A Orelliana* 3 — 311 praestat *Orelliana* 3. praestet *Cruquiana.* praestęt *A ab alt. m.* —

exilis domus est ubi non et multa supersunt
et dominum fallunt et prosunt furibus. ergo
si res sola potest facere et seruare beatum,
hoc primus repetas opus, hoc postremus omittas.
si fortunatum species et gratia praestat,
mercemur seruum qui dictet nomina, laeuum
qui fodicet latus et cogat trans pondera dextram
porrigere: 'hic multum in Fabia ualet, ille Velina;
cui libet hic fascis dabit eripietque curule
cui uolet inportunus ebur.' frater, pater adde;
ut cuique est aetas, ita quemque facetus adopta.
si bene qui cenat bene uiuit, lucet, eamus
quo ducit gula, piscemur, uenemur, ut olim
Gargilius, qui mane plagas, uenabula, seruos,
differtum transire forum populumque iubebat,
unus ut e multis populo spectante referret
emptum mulus aprum. crudi tumidique lauemur,
quid deceat quid non obliti, Caerite cera
digni, remigium uitiosum Ithacensis Vlixi,
cui potior patria fuit interdicta uoluptas.

312 dictat *A* — laeuum *Orelliana* 3. saeuum *A*. 'laeuum latus. *sic scriptum inueni in Mart. et Sil. in Tonsa.* saeuum, *et supra scriptum* saeue. *in uno ex Bland.* saeuium i. *ultra mensuram*' *Cruquius* — 313 fodicet *A Bentleius.* fodiet *D.* 'qui fodicet latus. *hanc scripturam 4. cod. Bland. mutare mihi uisum non fuit*' *Cruquius* — 315 cuilibet *A* — fasceis *Cruquiana.* fasces *Orelliana* 3. falces *A* — hic *AD Cruquiana.* is *e tribus suis codicibus Bentleius* — 316 importunus *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 319 **ducit** *D Cruquiana, Bentleius.* ducet *A* (*semel* docet *a pr. m.*) — ueneremur *A* — 319 *et* 320 *hos duo uersus bis exhibet A, sed alteris duobus puncti supposili sunt a m. alt.* — 321 **transi** transferre *A* — populumque] campumque *Bentleii coniectura.* — 323 emptum *A Orelliana* 3. emtum *Cruquiana* — **lauer**tur *A* — 324 Cexite cexa *A* — 325 Vlixi *AD.* Vlyssei *Cruquiana*

si, Mimnermus uti censet, sine amore iocisque
nil est iocundum, uiuas in amore iocisque.
uiue, uale. siquid nouisti rectius istis,
candidus imperti; si non, his utere mecum.

EPISTVLA VII.

Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum,
sextilem totum mendax desideror. atqui,
si me uiuere uis sanum recteque ualentem,
quam mihi das aegro, dabis aegrotare timenti,
Maecenas, ueniam, dum ficus prima calorque
designatorem decorat lictoribus atris,
dum pueris omnis pater et matercula pallet,
officiosaque sedulitas et opella forensis
adducit febris et testamenta resignat.
quod si bruma niuis Albanis inlinet agris,
ad mare descendet uates tuus et sibi parcet
contractusque leget: te, dulcis amice, reuiset
cum zephyris, si concedes, et hirundine prima.

328 iocundum *A*. iucundum *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 330 non *Cruquiana*. nil *AD*

Epistola VII. Ad C. Maecenatem Cilnium II *Cruquiana* — 332 atque *A*. atqui *Orelliana* 3. 'atqui. *cod. Blandin.* 2. *Buslid. Nan. Tons. Sil. habent*, atque; *reliqui*, atqui' *Cruquius* — 333 uis sanum recteque ualentem *AD Cruquiana*, *Bentleius*. 'Cod. *Voss. cum aliis uetustis*, si me uiuere uis, recteque VIDERE ntem: *an leg.* uigere' *Bentleius in curis nouissimis* — 335 que *A Orelliana* 3. 'colorque. *sic habet cod. antiquiss. Bland. Mart. Sil. et ueram lectionem iudico' Cruquius* — 339 fe- *Cruquiana.* febres *Orelliana* 3, *item uersu* 340 niueis — subruina *A prioris* u *litterae altera pedicula ab ead. manu* — illinet *Cruquiana*, *Orelliana* 3. inlinet *A* — 343 con- s *D* — 344 piris *A* — 346 quantumuis *Bentleius* — 349 relinques *AD Cruquiana*, *Bentleius*. relinquis *tres Pottierii*, *Mei.*

non quo more pyris uesci Calaber iubet hospes
tu me fecisti locupletem. 'uescere sodes.' 345
'iam satis est.' 'at tu quantum uis tolle.' 'benigne.'
'non inuisa feres pueris munuscula paruis.'
'tam teneor dono quam si dimittar onustus.'
'ut libet: haec porcis hodie comedenda relinques.'
prodigus et stultus donat quae spernit et odit: 350
haec seges ingratos tulit et feret omnibus annis.
uir bonus et sapiens dignis ait esse paratus:
nec tamen ignorat quid distent aera lupinis.
dignum praestabo me etiam pro laude merentis.
quodsi me noles usquam discedere, reddes 355
forte latus, nigros angusta fronte capillos,
reddes dulce loqui, reddes ridere decorum et
inter uina fugam Cinarae maerere proteruae.
forte per angustam tenuis nitedula rimam
repserat in cumeram frumenti, pastaque rursus 360
ire foras pleno tendebat corpore frustra.
cui mustela procul 'si uis' ait 'effugere istinc,
macra cauum repetes artum, quem macra subisti.'
hac ego si conpellor imagine, cuncta resigno;

nekius — 352 ait *A ab all. m. additum* — paratum *AD.* 'dignis ait esse paratus. *sic habent* 4. *Bland. cum Busl. sed duo cum litura* s *litterae manifesta; et antiquae ueraque est lectio' Cruquius. (Cfr. Charisius* 4, 2, 1. *Seruius ad Verg. Aen. II* 377). paratus? .... lupinis? *Bentleius* — 355 nolles *A Cruquiana.* noles *Orelliana* 3 — 359 uulpecula *AD Cruquiana, Orelliana* 3. nitedula *Bentleii coniectura, inpugnata a F. Iacobsio Lectt. Venus. p.* 99, *tum defensa a Paldamo in program. de imitatione Horatii scripta (Griph. a.* 1851, *recepta a recentioribus fere omnibus, probata a que a C. Lachmanno ad Lucr. p.* 204 *his uerbis: 'hoc uocabu .... qui non accipiunt rationem et genera fabellarum ignora* — 363 repetas *Cruquiana.* repetes *A Orelliana* 3. 'repetas. *M et Silu. cod. habent:* repedes, *quod non displicet' Cruquius* — compellor *A Orelliana* 3. 'compellor. *habent sic* 4. *Bland. Tons. sed Mart. habet,* compellar, *cum aliis' Cruquius*

nec somnum plebis laudo satur altilium, nec otia diuitiis Arabum liberrima muto.
saepe uerecundum laudasti, rexque paterque
audisti coram, nec uerbo parcius absens:
inspice si possum donata reponere laetus.
haud male Telemachus, proles patientis Vlixi,
'non est aptus equis Ithace locus, ut neque planis
porrectus spatiis nec multae prodigus herbae:
Atride, magis apta tibi tua dona relinquam.'
paruum parua decent: mihi iam non regia Roma,
sed uacuum Tibur placet aut inbelle Tarentum.
strenuus et fortis causisque Philippus agendis
clarus, ab officiis octauam circiter horam
dum redit atque foro nimium distare Carinas
iam grandis natu queritur, conspexit, ut aiunt,
adrasum quendam uacua tonsoris in umbra
cultello proprios purgantem leniter unguis.
'Demetri' (puer hic non laeue iussa Philippi
accipiebat), 'abi, quaere et refer, unde domo, quis,
cuius fortunae, quo sit patre quoue patrono.'
it, redit et narrat, Volteium nomine Menam,
praeconem, tenui censu, sine crimine, notum
et properare loco et cessare et quaerere et uti,
gaudentem paruisque sodalibus et lare certo

370 Vlixi *A*, *D pr. m.* Vlyssei *Cruquiana* — haut *D* — 371 Ithacae *D Cruquiana.* Ithace *A Bentleius* — 372 multi *A* — 375 imbelle *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 380 adrasum *A.* arrasum *D.* 'adrasum. *aliqui codices habent*, arrasum, *sed nulli* abrasum' *Cruquius* — 381 purgantem] resecantem *A.* ('purantem. *i. e.* resecantem' *Commentator Cruquii*) — ungueis *Cruna* ungues *A Orelliana* 3 — 382 non laeue] non lenia *Cruna* — 385 Volteium *A Orelliana* 3. Vulteium *Cruquiana* — nan *D* — 386 sine crimine natum, et *ex aliorum codicibus Bentleius.* sine crimine notum, || Et *Cruquiana.* sine crimine, [illegible]m || Et *Orelliana* 3 — 388 certo *A Orelliana* 3. 'et lare certo. *cod. Sil. cum Mart. habet*, et lare curto, *quod omnino*

et ludis et post decisa negotia campo.
'scitari libet ex ipso quodcumque refers: dic
ad cenam ueniat.' non sane credere Mena,
mirari secum tacitus. quid multa? 'benigne'
respondet. 'neget ille mihi?' 'negat inprobus et te
neglegit aut horret.' Volteium mane Philippus
uilia uendentem tunicato scruta popello
occupat et saluere iubet prior. ille Philippo
excusare laborem et mercenaria uincla,
quod non mane domum uenisset, denique quod non
prouidisset eum. 'sic ignouisse putato
me tibi, si cenas hodie mecum.' 'ut libet.' 'ergo
post nonam uenies: nunc i, rem strenuus auge.'
ut uentum ad cenam est, dicenda tacenda locutus
tandem dormitum dimittitur. hic ubi saepe
occultum uisus decurrere piscis ad hamum,
mane cliens et iam certus conuiua, iubetur
rura suburbana indictis comes ire Latinis.
inpositus mannis aruum caelumque Sabinum
non cessat laudare. uidet ridetque Philippus,
et sibi dum requiem, dum risus undique quaerit,
dum septem donat sestertia, mutua septem
promittit, persuadet uti mercetur agellum.
mercatur. ne te longis ambagibus ultra

rectum puto' Cruquius. curto *Bentleius* — 389 descisa *A* — 390 sectari *A* — quodcumque *AR Orelliana* 3. quaecumque *Cruquiana* — 393 respondit *A* — negat ille *AD Cruquiana.* ////etille *R.* neget ille *Bentleius* — improbus *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 394 neglegit *AD.* negligit *Cruquiana* — Volteium *Orelliana* 3. uulteiũ *AR.* Vulteium *Cruquiana* — 399 prouidisset *AR Orelliana* 3. 'prouidisset. *sic habent omnes scripti cod., nec mutandum credo' Cruquius.* prouisisset *Lambinus* — 400 *et* 402 cenas — cenam *AR* — ange *A pr. m.* — 403 hic *om. R* — 405 etiam *ADR.* et iam *Cruquiana.* 'cod. *scripti partim* et iam *partim habent* etiam' *Cruquius* — certus] serus *Bentleii dubia suspicio* — 407 inpositus *R.* impositus *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 410 tum *A*

quam satis est morer, ex nitido fit rusticus atque
sulcos et uineta crepat mera, praeparat ulmos,
inmoritur studiis et amore senescit habendi.
uerum ubi oues furto, morbo periere capellae,
spem mentita seges, bos est enectus arando,
offensus damnis media de nocte caballum
arripit iratusque Philippi tendit ad aedis.
quem simul aspexit scabrum intonsumque Philippus,
'durus' ait, 'Voltei, nimis attentusque uideris
esse mihi.' 'pol me miserum, patrone, uocares,
si uelles' inquit 'uerum mihi ponere nomen.
quod te per Genium dextramque deosque penatis
obsecro et obtestor, uitae me redde priori.'
qui semel aspexit quantum dimissa petitis
praestent, mature redeat repetatque relicta.
metiri se quemque suo modulo ac pede uerum est.

415 inmoritur *R.* immoritur *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 416 perire *R.* perire *A* — 417 arcendo *R pr. m.* araendo *R corr.* — 419 aedeis *Cruquiana.* aedes *A R Orelliana* 3 — 420 aspexit *A R Cruquiana.* adspexit *Orelliana* 3 — 421 uultei *A R.* Vultei *Cruquiana.* Voltei *Orelliana* 3 — adtendusque *R* — 423 ponere *A Orelliana* 3. dicere *R.* 'ponere. *sic legitur in Bland. uetustissimo Tons. Busl. Diuaei. in aliis* dicere, *sed malim*, ponere' *Cruquius* — 424 penatis *A R.* penateis *Cruquiana.* penates *Orelliana* 3 — 426 simul *A D R.* 'qui simul. *cod. Mart. habet*, qui semel; *reliqui omnes*, simul, *quod magis placet*' *Cruquius.* semel *Bentleius* — aspexit *uide uersu* 420 — 427 repetque *A* at *ab alt. m. suprascriptum*

EPISTVLA VIII.

Celso gaudere et bene rem gerere Albinouano
Musa rogata refer, comiti scribaeque Neronis.
si quaeret quid agam, dic multa et pulchra minantem
uiuere nec recte nec suauiter: haud quia grando
contuderit uitis oleamque momorderit aestus,
nec quia longinquis armentum aegrotet in agris;
sed quia mente minus ualidus quam corpore toto
nil audire uelim, nil discere, quod leuet aegrum;
fidis offendar medicis, irascar amicis,
cur me funesto properent arcere ueterno;
quae nocuere sequar, fugiam quae profore credam;
Romae Tibur amem uentosus, Tibure Romam.
post haec, ut ualeat, quo pacto rem gerat et se,
ut placeat iuueni percontare utque cohorti.
si dicet 'recte,' primum gaudere, subinde
praeceptum auriculis hoc instillare memento,
ut tu fortunam, sic nos te, Celse, feremus.

Epistola VIII. Ad Celsum Albinouanum *Cruquiana* — 429 albi nouando *A pr. m.* — 431 quaerit *ADR.* 'quaeret. *uariant hic antiqua scripta: in aliis est*, quaerit; *alia habent*, quaerat; *sed plura*, quaeret' *Cruquius* — agrā *R erasa tamen* r *littera* — 432 aut *R* — 433 uites *AR Orelliana* 3. uiteis *Cruquiana* — oleamue *ex uno codice Reginensi Bentleius* — 434 agris *ADR.* 'agris. *sic habent omnes scripti libri, praeter Martin. qui habet*, aruis' *Cruquius* — 436 *R in fine paginae hunc uersum additum habet* — 438 arcere] urguere *R* — 439 fugiamq. ue *R* — profero *R* — 440 uentosus *AD Bentleius, Seruius ad Verg. Aen. IV* 224. 'Romae Tibur amem. *omnes scripti codices hic habent interpunctionem, non etiam post* uentosus, *ut uulgati omnes; sed scripta mihi magis arrident ..... sed non celabo lectorem me in* 4. *Bland. inuenisse*, uenturus Tibure Romam' *Cruquius* — 442 percunctare *Cruquiana.* percontare *A Orelliana* 3 — utque *AD.* 'utque. *sic omnes cod. scripti' Cruquius.* atque *codices aliquot*

EPISTVLA VIIII.

Septimius, Claudi, nimirum intellegit unus,
quanti me facias. nam cum rogat et prece cogit,
scilicet ut tibi se laudare et tradere coner,
dignum mente domoque legentis honesta Neronis;
munere cum fungi propioris censet amici;
quid possim uidet ac nouit me ualdius ipso.
multa quidem dixi, cur excusatus abirem;
sed timui mea ne finxisse minora putarer,
dissimulator opis propriae, mihi commodus uni.
sic ego, maioris fugiens opprobria culpae,
frontis ad urbanae descendi praemia. quodsi
depositum laudas ob amici iussa pudorem,
scribe tui gregis hunc et fortem crede bonumque.

EPISTVLA X.

Vrbis amatorem Fuscum saluere iubemus
ruris amatores; hac in re scilicet una
multum dissimiles, at cetera paene gemelli

Epistola VIIII. Ad Claudium Neronem *Cruquiana* — 446 intellegit *A.* intelligit *D.* 'intelligit. *codices Blandin.* 4. *habent* intellegit, *antiquo more*' *Cruquius* — 447 cum rogat *AD.* me rogat *e codicibus Fea.* 'nam cum rogat et prece cogit. *sic habent omnia scripta quae legi, quam lectionem primus, quod sciam, animaduertit Victorinus, ut scribit libro* 20. *Variarum lectionum cap.* 9.' *Cruquius* — 450 cum] iam *D in rasura* — 455 obprobria *A*

Epistola X. Ad Fuscum Aristium *Cruquiana* — 459 'Fuscum sal. *in antiquis scriptis Bland. inscriptio est*, ad Aristium Fuscum grammaticum in urbe commorantem, *non autem ut uulgati*, ad Fuscum Aristium ... *insuper in scriptis legitur hic* Comoediarum, *non ut Acron*, Traioediarum *scriptor*' *Cruquius* — 461 ad *AD.* 'at cetera. *sic inuenio in antiquissim. codice Bland., quem secutus sum; sic etiam in fine huius Episto.* cetera laetus' *Cruquius* — 462 qdqt *A* — 463 annuimus *A Cruquiana*, *Orel-*

fraternis animis quidquid negat alter et alter:
adnuimus pariter uetulis notisque columbis.
tu nidum seruas, ego laudo ruris amoeni
riuos et musco circumlita saxa nemusque.
quid quaeris? uiuo et regno, simul ista reliqui
quae uos ad caelum ecfertis rumore secundo,
utque sacerdotis fugitiuus liba recuso,
pane egeo iam mellitis potiore placentis.
uiuere naturae si conuenienter oportet
ponendaeque domo quaerenda est area primum,
nouistine locum potiorem rure beato?
est ubi plus tepeant hiemes, ubi gratior aura
leniat et rabiem Canis et momenta Leonis,
cum semel accepit solem furibundus acutum?
est ubi diuellat somnos minus inuida cura?
deterius Libycis olet aut nitet herba lapillis?
purior in uicis aqua tendit rumpere plumbum,
quam quae per pronum trepidat cum murmure riuum?
nempe inter uarias nutritur silua columnas,
laudaturque domus longos quae prospicit agros.
naturam expelles furca, tamen usque recurret

liana 3 — uetuli notique columbi *A Orelliana* 3. ᶜpariter uetulis notisque columbis. *quam sibi Lambinus lectionem conjectura proponit, eam continet cod. Blandin. antiquissimus, sed in τὸ* noti s *littera suprascripta, sed in* uetulis *et* columbis *apposita. sic et cod. Silu. quam genuinam credo*' *Cruquius* — 464 ᶜ*codex Tons. habet* nidos' *Cruquius* — 467 fertis *A.* effertis *D.* ᶜfertis. *sic habent omnes cod. scripti, praeter unum Bland. antiquissim. et Diuae. qui habent*, effertis' *Cruquius.* fertis *Bentleius* — 469 potiore rure placentis *A* — 471 ponendeque *A.* ponendaeque *Orelliana* 3. ᶜponendaeque domo. *codic. Bland. habent* ponendaque domo' *Cruquius* — domo *A ab alt. m. additum* — 476 depellat *AD.* ᶜdepellat. depellat, *habent Buslid. Tonsa. Nann. Mart. Diuae. Sil. sed* 4. *Blandin.* diuellat' *Cruquius* — 477 lapillis] tapetis *Bentleii suspicio* — 482 expelles *AD Bentleius.* ᶜ*uaria est horum uersuum lectio. Martin. cod. habet* expellas; *reliqui omnes* expelles' *Cruquius*

et mala perrumpet furtim fastidia uictrix.
non qui Sidonio contendere callidus ostro
nescit Aquinatem potantia uellera fucum,
certius accipiet damnum propiusue medullis
quam qui non poterit uero distinguere falsum.
quem res plus nimio delectauere secundae,
mutatae quatient. siquid mirabere, pones
inuitus. fuge magna: licet sub paupere tecto
reges et regum uita praecurrere amicos.
ceruus equum pugna melior communibus herbis
pellebat, donec minor in certamine longo
inplorauit opes hominis frenumque recepit.
sed postquam uictor uiolens discessit ab hoste,
non equitem dorso, non frenum depulit ore.
sic qui pauperiem ueritus potiore metallis
libertate caret, dominum uehet inprobus atque
seruiet aeternum, quia paruo nesciet uti.
cui non conueniet sua res, ut calceus olim,
si pede maior erit, subuertet, si minor, uret.
laetus sorte tua uiues sapienter, Aristi,
nec me dimittes incastigatum, ubi plura
cogere quam satis est ac non cessare uidebor.
imperat aut seruit conlecta pecunia cuique,

483 fastidia *AD.* ᶜ4. *Blandin. Buslid. Silu. habent* uestigia; *Martin. et Tonsa.* fastigia; *equidem sequor Bland. propter antiquitatem* ᵗ *Cruquius* — 486 propiusque *A a sec. m.* propiusque *D.* ᶜpotiusq. medullis. *sic Diuae. Tons. reliqui*, ue ᵗ *Cruquius* (*uide uersum* 497) — 494 implorauit *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 495 uictor uiolens *AD Cruquiana.* uiolens uicto *Bentleii coniectura.* uicto sonipes *uel* domito uictor *eiusdem suspiciones.* uicto uiolens *editio Weidmanniana a.* 1851. uicto †uiolens *Meinekius l. l. p. XXXVI addens:* ᶜ*dubitari non potest quin* uiolens *corruptum sit, nec uideo quid aptius sententiae excogitari possit, quam quod Hauptius mecum communicauit* ridens.ᵗ — 498 uehet *AD Cruquiana.* uehit *alii* — improbus *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 499 quia .. nesciet *A Orelliana* 3. ᶜnesciet. *Tons. et Mart.* nesciat. *reliqui*

tortum digna sequi potius quam ducere funem.
haec tibi dictabam post fanum putre Vacunae,
excepto quod non simul esses cetera laetus.

EPISTVLA XI.

Quid tibi uisa Chios, Bullati, notaque Lesbos,
quid concinna Samos, quid Croesi regia Sardis,
Smyrna quid et Colophon? maiora minoraue fama?
cunctane prae campo et Tiberino flumine sordent?
an uenit in uotum Attalicis ex urbibus una,
an Lebedum laudas odio maris atque uiarum?
'scis Lebedus quid sit. Gabiis desertior atque
Fidenis uicus: tamen illic uiuere uellem
oblitusque meorum obliuiscendus et illis
Neptunum procul e terra spectare furentem.'
sed neque qui Capua Romam petit, imbre lutoque
aspersus, uolet in caupona uiuere; nec qui
frigus conlegit, furnos et balnea laudat
ut fortunatam plene praestantia uitam;
nec si te ualidus iactauerit Auster in alto,

nesciet ..... quia, *sic habent omnia scripta, non* qui paruo nesciet' *Cruquius* — 500 conueniat *Cruquiana* — 501 uret] urget *A* — 505 collecta *A Cruquiana, Orelliana* 3

Epistola XI. Ad Bullatium reuersum ex Asia *Cruquiana* — 511 minoraue *AD.* minorane *Bentleius.* 'minoraue fama. *sic habent omnia scripta, quae legi, et uera est lectio' Cruquius* — 515 *hic uersus et qui sequuntur tres recte Bullatio tribuuntur in editione Weidmanniana; cfr. Meinekii adnot. l. l. p. XXXVI* — quid *A Orelliana* 3. quam *Lambinus.* 'scis Lebedus quid sit. *libri omnes scripti, quos uidi, habent,* quid sit, *nulli* quam sit, *unus tantum Bland. habet* quod sit, *sed per emendationem, nam supra* o *litteram ponitur* i' *Cruquius* — 518 ex *AD.* e *Cruquiana* — 520 aspersus *A Cruquiana.* adspersus *Orelliana* 3 — 521 collegit *A*

idcirco nauem trans Aegaeum mare uendas.
incolumi Rhodos et Mitylene pulchra facit quod
paenula solstitio, campestre niualibus auris,
per brumam Tiberis, sextili mense caminus.
dum licet ac uoltum seruat Fortuna benignum,
Romae laudetur Samos et Chios et Rhodos absens.
tu quamcumque deus tibi fortunauerit horam
grata sume manu, neu dulcia differ in annum;
ut, quocumque loco fueris, uixisse libenter
te dicas. nam si ratio et prudentia curas,
non locus effusi late maris arbiter aufert,
caelum, non animum, mutant qui trans mare currunt.
strenua nos exercet inertia; nauibus atque
quadrigis petimus bene uiuere. quod petis, hic est,
est Vlubris, animus si te non deficit aequus.

EPISTVLA XII.

Fructibus Agrippae Siculis, quos conligis, Icci,
si recte frueris, non est ut copia maior

Cruquiana, *Orelliana* 3 — 524 iccirco *Cruquiana* — nauem *A* *Cruquiana*. nauim *D* — 525 incolomi *A* — mutylene puchra *A* — 526 poenula *A* — inualibus *A* — 528 ac *A* *Orelliana* 3. et *Cruquiana*. 'dum licet ac uultum. *sic habent omnia nostra scripta et rectius quam uulgati cod. propter τὸ κακόφωνον*' *Cruquius* — uultum *A* — 529 chius et rhodus *A* — 530 *et* 531 'tu quamcumque. *γνώμη.. hi duo uersus* tu quamcunque deus tibi fortunauerit horam grata sume manu nec dulcia differ in annum, *in Bland. non fuere primum scripti, sed multo post tempore sunt adiecti, ut ostendunt characteres in tribus libris Blandin. in quarto fuere quidem, sed hoc modo*, tibi fortunauerit oram, *sine nota aspirationis: praeterea sequens carmen in* 4. *Bland. Mart. et Sil. habet:* tu quocunque loco fueris, *non*, ut' *Cruquius* — 531

ab Ioue donari possit tibi. tolle querellas:
pauper enim non est cui rerum suppetit usus.
si uentri bene, si lateri est pedibusque tuis, nil
diuitiae poterunt regales addere maius.
si forte in medio positorum abstemius herbis
uiuis et urtica, sic uiues protinus ut te
confestim liquidus Fortunae riuus inauret,
uel quia naturam mutare pecunia nescit,
uel quia cuncta putas una uirtute minora.
miramur, si Democriti pecus edit agellos
cultaque, dum peregre est animus sine corpore uelox;
cum tu inter scabiem tantam et contagia lucri
nil paruum sapias et adhuc sublimia cures,
quae mare conpescant causae, quid temperet annum,
stellae sponte sua iussaene uagentur et errent,
quid premat obscurum lunae, quid proferat orbem,
quid uelit et possit rerum concordia discors,
Empedocles an Stertinium deliret acumen.
uerum seu piscis seu porrum et caepe trucidas,
utere Pompeio Grospho, et, siquid petet, ultro
defer: nil Grosphus nisi uerum orabit et aequum.
uilis amicorum est annona, bonis ubi quid deest.

neu *AD*. ‘nec dulcia. *multi lib. scripti habent*; neu’ *Cruquius* — dulcia *A* — 532 ut *D et A in litura* — 535 mittant *A*

Epistola XII. Ad Iccium *Cruquiana* — 539 Acrillae *Horkelius Anal. Horat. p.* 89 *sqq.* — colligis *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 541 querelas *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 542 suppedit *A* — 543 latere *A* — 546 protinus *AD Cruquiana*. protenus *uulgo*. (‘sic uiues protinus. *hic est in omnibus scriptis interpunctio .....*’ *Cruquius*) — 554 compescant *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 558 ‘Stertinium deliret acu. *sic habent omnes scripti libri*’ *Cruquius* — 559 pisceis *Cruquiana*. pisces *A Orelliana* 3 — 560 petit *A* — 562 ‘.... deest, *quod in antiquissim. codic. Blandin. syncopatum legitur* d’est, *cum apostropho supra* d

ne tamen ignores quo sit Romana loco res,
Cantaber Agrippae, Claudi uirtute Neronis
Armenius cecidit; ius imperiumque Phrahates
Caesaris accepit genibus minor; aurea fruges
Italiae pleno defundit Copia cornu.

EPISTVLA XIII.

Vt proficiscentem docui te saepe diuque,
Augusto reddes signata uolumina, Vini,
si ualidus, si laetus erit, si denique poscet;
ne studio nostri pecces, odiumque libellis
sedulus inportes, opera uehemente minister.
si te forte meae grauis uret sarcina chartae,
abicito potius quam quo perferre iuberis
clitellas ferus inpingas Asinaeque paternum
cognomen uertas in risum et fabula fias.
uiribus uteris per cliuos, flumina, lamas:

litteram' Cruquius — *'hoc carmen in scriptis fere habet interpunctionem post τὸ* annona ..... *in Mart. et Silu. et uulgatis aliquot libris comma ponitur post τὸ* bonis ...' *Cruquius* — 565 Phrahates *A.* prahates *D.* Phraates *Cruquiana.* Tigranes *Bentleii suspicio ad Epistularum uersum* 873 — 567 defundit *A.* defundit *D.* *'defundit. *sic habent omnia scripta praeter Martin. qui habet* diffudit' *Cruquius*

Epistola XIII. Ad Vinnium Asellam *Cruquiana* — 568 ter *A* — 569 Vinni *AD Cruquiana.* Vini *Bentleius* — 572 importes *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 573 uret *AD Cruquiana*, *Bentleius.* urat *Priscianus* 18, 4, 50 (*II* 126 *Kr.*) — 574 abiicito *Cruquiana*, *Orelliana* 3. abicito *A* — 575 *'quidam hic legunt* fessus *per elisionem* s *litterae*, *sed hoc in nullis meis scriptis inueni' Cruquius* — impingas *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 581 glomos *AD.* glomus *Bentleius.* *'glomos. *sic habent tres Blandin. cum Martin. Diuae. et Silu. quartus Blandin. habet*, glomus, *per quartam*

uictor propositi simul ac perueneris illuc,
sic positum seruabis onus, ne forte sub ala
fasciculum portes librorum ut rusticus agnum,
ut uinosa glomus furtiuae Pyrrhia lanae,
ut cum pileolo soleas conuiua tribulis.
ne uolgo narres te sudauisse ferendo
carmina quae possint oculos aurisque morari
Caesaris, oratus multa prece, nitere porro.
uade, uale: caue ne titubes mandataque frangas.

EPISTVLA XIIII.

Vilice siluarum et mihi me reddentis agelli,
quem tu fastidis habitatum quinque focis et
quinque bonos solitum Variam dimittere patres,
certemus, spinas animone ego fortius an tu
euellas agro, et melior sit Horatius an res.
me quamuis Lamiae pietas et cura moratur,

flexionem. Tonsa. habet, globos' *Cruquius* — furtiue .. lane *A sed* e *littera bis in litura* — Pirria *A*. ‘Pyrrhia *neque Graecae neque Romanae feminae nomen est, nec potest dubitari, quin a librariis illud ita corruptum sit*' *C. Lachmannus ad Lucret. p.* 408. †Pyrrhia *Meinekius* — 582 ut] est *D* — 583 ne *AD Cruquiana.* neu *e codice Galeano Bentleius.* nec *editio Weidmanniana* — 584 possunt *Cruquiana* — aureisque *Cruquiana.* auresque *A Orelliana* 3 — 585 nitere . porro *Bentleius et editio Weidmanniana*

Epistola XIIII. Ad Villicum suum *Cruquiana* — 587 Villice *A Cruquiana.* Vilice *Orelliana* 3. *Cfr. C. Lachmannum ad Lucret. p.* 32 *sq.* — 589 Variam *A Orelliana* 3. ‘Variam dimittere pa. *sic habent omnes scripti libri, quos uidi, praeter Tonsa. et Diuae. qui uulgatis consonant, sed plurium consensum secutus sum ..... Codex Sil. et Martinius cum euulgatis iam olim duobus legunt* Varia *in ablatiuo casu*' *Cruquius* — 591 oratius an tu res *A* — 592 moretur *Cruquiana*

fratrem maerentis, rapto de fratre dolentis
insolabiliter, tamen istuc mens animusque
fert et amat spatiis obstantia rumpere claustra.
rure ego uiuentem, tu dicis in urbe beatum:
cui placet alterius, sua nimirum est odio sors.
stultus uterque locum inmeritum causatur inique:
in culpa est animus, qui se non effugit umquam.
tu mediastinus tacita prece rura petebas,
nunc urbem et ludos et balnea uilicus optas:
me constare mihi scis et discedere tristem,
quandocumque trahunt inuisa negotia Romam.
non eadem miramur: eo disconuenit inter
meque et te. nam quae deserta et inhospita tesqua
credis, amoena uocat mecum qui sentit, et odit
quae tu pulchra putas. fornix tibi et uncta popina
incutiunt urbis desiderium, uideo, et quod
angulus iste feret piper et tus ocius uua,
nec uicina subest uinum praebere taberna
quae possit tibi, nec meretrix tibicina, cuius
ad strepitum salias terrae grauis: et tamen urgues
iam pridem non tacta ligonibus arua bouemque
disiunctum curas et strictis frondibus exples:
addit opus pigro riuus, si decidit imber,
multa mole docendus aprico parcere prato.

595 amat] auet *Bentleii coniectura* — 597 res *A*. sors *D*. 'est odio sors. *cod. Tonsa. Buslid. Silu. et unus Blandin. habent*, est odio res. *sed aliud magis placet' Cruquius* — 598 immeritum *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 601 uillicus *AD Cruquiana. Cfr. uersum* 587 — 605 quae *A alt. m.*, *Orelliana* 3. '*In antiquissimo cod. Blandin. pro* nam quae *deserta etc. legitur*, nam qua *et supra scriptum*, ubi: *quod lectorem celare nolui' Cruquius* — inhospita *A* in *ab alt. m.* — 609 thus *Cruquiana*, *Orelliana* 3. tus *A* — 610 uicina q̄ subest *A* — 611 meritrix *A* — 612 urges *Cruquiana*, *Orelliana* 3. urgues *A* — 614 disiunctum *AD*. 'disiunctum. *sic habent omnia scripta*, *non* deiunctum, *ut Lambinus legit' Cruquius* — frontibus *A* — 619 immunem *A Cruquiana*,

nunc age, quid nostrum concentum diuidat, audi.
quem tenues decuere togae nitidique capilli,
quem scis inmunem Cinarae placuisse rapaci,
quem bibulum liquidi media de luce Falerni,
cena breuis iuuat et prope riuum somnus in herba.
nec lusisse pudet, sed non incidere ludum.
non istic obliquo oculo mea commoda quisquam
limat, non odio obscuro morsuque uenenat:
rident uicini glebas et saxa mouentem.
cum seruis urbana diaria rodere mauis;
horum tu in numerum uoto ruis: inuidet usum
lignorum et pecoris tibi calo argutus et horti.
optat ephippia bos piger, optat arare caballus.
quam scit uterque, libens, censebo, exerceat artem.

EPISTVLA XV.

Quae sit hiems Veliae, quod caelum, Vala, Salerni,
quorum hominum regio et qualis uia (nam mihi Baias
Musa superuacuas Antonius, et tamen illis
me facit inuisum, gelida cum perluor unda

Orelliana 3 — 621 coena *Cruquiana*, *Orelliana* 3 *ubique*. cena *A ubique* — 622 ne clusisse *A* — 624 limat *A ab alt. m. suprascriptum* destruit — 626 seruis tu urbana *Bentleii coniectura* — diaria] cibaria *A*. 'diaria. *cibaria*' *Commentator Cruquianus* — 629 bos, piger optat *Bentleius*. bos piger, optat *Cruquiana*, *item* piger *ad* bouem *referendum esse docet Meinekius l. l. p. XXXVI* — caballum *A*

Epistola XV. Ad Gn. Vmonium Vaalam *Cruquiana*. 'Quae sit hiems Vc. *inscriptio huius epist. in* 4. *Bland. Busl. Tons. Silu. est* ad Numonium Valam. *In uno autem Blandin. additum est* De lauacris frigidis. *In Diu. cod. est* ad Gualam .....' *Cruquius. Om. AD* — 634 perluor *A Orelliana* 3. '*Monere lectorem peritum*

per medium frigus. sane murteta relinqui,
dictaque cessantem neruis elidere morbum
sulfura contemni, uicus gemit, inuidus aegris
qui caput et stomachum supponere fontibus audent
Clusinis Gabiosque petunt et frigida rura.
mutandus locus est et deuersoria nota
praeteragendus equus. 'quo tendis? non mihi Cumas
est iter aut Baias' laeua stomachosus habena
dicet eques: sed equi frenato est auris in ore);
maior utrum populum frumenti copia pascat;
conlectosne bibant imbris puteosne perennis
dulcis aquae (nam uina nihil moror illius orae.
rure meo possum quiduis perferre patique:
ad mare cum ueni, generosum et lene requiro,
quod curas abigat, quod cum spe diuite manet
in uenas animumque meum, quod uerba ministret,
quod me Lucanae iuuenem commendet amicae);

uolui, *in tribus Bland. inuenisse me*, perluor, *et supra notatum, alias* peruehor' *Cruquius* — 635 murteta *AD.* 'sane myrteta. *cod. scrip. alii*, myrteta, *habent, alii*, murteta, *sine discrimine. nam in Satyr. alibi offendi*, y *uerti sine ulla offensione in* u, *uocalem Latinam: sic* depygis, depugis' *Cruquius* — 638 sulphura *A* — 639 Clusinis *AD.* 'Clusinos. *sic habet cod. Bland. antiq. et Silu. quos sequor ..... non etiam* Clusinis, *qui casus hic irrepsit propter τὸ* fontibus' *Cruquius* — 640 deuersoria *A ab alt. m.* diuersoria *D.* 'deuersoria nota. *sic habet Bland. cod. antiq. reliqui omnes*, diuersoria' *Cruquius* — 641 equus *A ab alt. m. additum* — 643 sed equis] ut equis *Horkelius Anal. Hor. p.* 146. equi *AD Cruquiana.* equis *e codicibus Bentleius* — 645 imbreis ... perenneis *Cruquiana.* imbres ... perennes *A Orelliana* 3 — 645 collectos *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 646 dulcis *A.* iugis *D Bentleius.* 'puteosne perenneis dulcis aquae. *sic habent duo cod. Mart. et Bland. antiq. reliqui omnes*, iugis aquae' *Cruquius. Cfr. Sermon. uers.* 1793 *ex quo loco in margine adscripto fortasse huc*

tractus uter pluris leporès, uter educet apros;
utra magis piscis et echinos aequora celent,
pinguis ut inde domum possim Phaeaxque reuerti,
scribere te nobis, tibi nos adcredere par est.
Maenius, ut rebus maternis atque paternis
fortiter absumptis urbanus coepit haberi,
scurra uagus, non qui certum praesepe teneret,
inpransus non qui ciuem dignosceret hoste,
quaelibet in quemuis opprobria fingere saeuus,
pernicies et tempestas barathrumque macelli,
quidquid quaesierat, uentri donarat auaro:
hic ubi nequitiae fautoribus et timidis nil
aut paullum abstulerat, patinas cenabat omasi,
uilis et agninae, tribus ursis quod satis esset;
scilicet ut uentres lamna candente nepotum
diceret urendos correctus Bestius. idem
quidquid erat nactus praedae maioris, ubi omne
uerterat in fumum et cinerem, 'non hercule miror'

irrepsit illud iugis — 652 plureis *Cruquiana.* plures *A Orelliana* 3 — ut duceret *A* — 653 pisceis *Cruquiana.* pisces *A Orelliana* 3 — 654 Phaeaxque *A Orelliana* 3. 'Phaeaxque. *tres Blandin. cod. habent* Phaegaxque' *Cruquius* — 655 accedere *Cruquiana.* accredere *A Orelliana* 3 — 656 *ab hoc uersu noua epistula incipit in A, sed littera initialis deest:* enuus (*sic!*) — 659 impransus *Cruquiana, Orelliana* 3. inpransus *A* — dinosceret *AD.* dignosceret *Cruquiana* — 660 saeuus *AD.* 'fingere certus. *promptus, paratus. sic habent duo codic. Bland. Tonsa. et Sil. alii habent* saeuus *cum uulgatis*' *Cruquius* — 661 baratrum *A* — 662 donabat *AD.* donaret *Bentleii coniectura.* 'donabat. 4. *Blandin. habent* donarat' *Cruquius* — 663 tumidis *Cruquiana* — 665 uilis et agninae *D.* uilis et agnini *A.* 'uilis et agninae. *sic habent* 4. *Blandin. Busl. Nan. Diu. Silu. alii sequuntur uulgatam*' *Cruquius* — 667 correctus *D.* correptus *A.* 'Correctus Bestius. *hanc lectionem habent omnia quae uidi scripta. unus Blandin. habet,* correptus' *Cruquius.* corrector *Lambinus, Bentleius* — 668 quidquid *AD Cruquiana.* si quid *e codicibus aliquot Torrentii Bentleius* —

aiebat, 'si qui comedunt bona, cum sit obeso 670
nil melius turdo, nil uolua pulchrius ampla.'
nimirum hic ego sum. nam tuta et paruola laudo,
cum res deficiunt, satis inter uilia fortis:
uerum ubi quid melius contingit et unctius, idem
uos sapere et solos aio bene uiuere, quorum 675
conspicitur nitidis fundata pecunia uillis.

EPISTVLA XVI.

Ne perconteris fundus meus, optime Quinti,
aruo pascat erum an bacis opulentet oliuae,
pomisne an pratis an amicta uitibus ulmo,
scribetur tibi forma loquaciter et situs agri. 680
continui montes, ni dissocientur opaca
ualle, sed ut ueniens dextrum latus aspiciat sol,
laeuum discedens curru fugiente uaporet.
temperiem laudes. quid, si rubicunda benigni

praedae] expensae *A alt. m. hunc uersum in codice A sequuntur uerss.* 673 *et* 674: cum res *e. q. s.* — 670 qui] qd *A pr. m. sed* d *littera erasa est* — 'comedunt bona. *sic est in omnibus scriptis, non etiam*, bene' *Cruquius* — 671 uulua *AD.* 'uolua. *sic habent Bland. uera et antiqua lectione' Cruquius* — 672 paruula *A Cruquiana.* paruola *Orelliana* 3

Epistola XVI. Ad Quinctium *Cruquiana* — 677 percuncteris *Cruquiana* — Quincti *A.* Quinti *D.* 'Quincti. *sic scriptum est in antiquissim. codic. Blandin. per* c *litteram' Cruquius* — 678 herum *Cruquiana*, *Orelliana* 3. erum *A* — bacis *AD.* 'bacis. *per* c *unicum scriptum est in omnibus praeter Martin. qui uulgatis consentit' Cruquius* — 679 pomisne an *A.* pomisne et *D.* 'pomisue an pratis. *ita tres codices Mart. Silu. et Blandin. leguni' Cruquius.* pomisne an *Bentleius* — 681 ni] scidis socientur *A pr. m., in* scidis *uoce* c *littera erasa est.* nisi diss. *Cruquiana* — 682 adspiciat *Orelliana* 3. aspiciat *A Cruquiana* — 683 discedens *AD*

corna uepres et pruna ferant? si quercus et ilex
multa fruge pecus, multa dominum iuuet umbra?
dicas adductum propius frondere Tarentum.
fons etiam riuo dare nomen idoneus, ut nec
frigidior Thracam nec purior ambiat Hebrus,
infirmo capiti fluit utilis, utilis aluo.
hae latebrae dulces, et, iam si credis, amoenae,
incolumem tibi me praestant septembribus horis.
tu recte uiuis, si curas esse quod audis.
iactamus iam pridem omnis te Roma beatum:
sed uereor ne cui de te plus quam tibi credas,
neue putes alium sapiente bonoque beatum,
neu, si te populus sanum recteque ualentem
dictitet, occultam febrem sub tempus edendi
dissimules, donec manibus tremor incidat unctis.
stultorum incurata pudor malus ulcera celat.
siquis bella tibi terra pugnata marique
dicat et his uerbis uacuas permulceat auris,
'tene magis saluum populus uelit an populum tu,
seruet in ambiguo qui consulit et tibi et urbi

Cruquiana. decedens *Bentleii coniectura* — curru *A Orelliana* 3. 'curru fugiente. *Bland. antiq. habet*, cursu' *Cruquius* — 684 'quid? si rubicunda. *sic habent omnes scripti praeter Martin. Nann. et Sil. qui habent*, quod si' *Cruquius.* quid si *A Orelliana* 3 — benigni *A.* benigne *D.* 'benigne. *codic. Tonsa. cum duobus Blandinianis habet*, benigni' *Cruquius* — 685 pruina *A* — ferunt *Bentleii coniectura.* ferant *AD Cruquiana* — 'si quercus. *aut potius*, ni quercus, *ut uolunt Blandinii*' *Cruquius.* et quercus *D.* si quercus *A* — 686 iuuet *AD Cruquiana.* iuuat *Bentleius* — 690 util. utilis *A.* utilis, utilis *D Cruquiana*, *Bentleius.* aptus et utilis *quinque Pottierii, inde editiones Weidmanniana et Meinekiana* — 691 etiam *AD Cruquiana.* et iam *Bentleii coniectura; probat eandem Meinekius l. l. p. XXXVII* — 692 incolomē *A.* incolumen *D.* incolumē *Cruquiana* — 698 febrem *AD Cruquiana, Bentleius.* febrim *Meinekius, alii* — tempus] pectus *A* — 701 terra] tetra *A* — 702 aureis *Cruquiana.* aures *A Orelliana* 3

Iuppiter,' Augusti laudes agnoscere possis:
cum pateris sapiens emendatusque uocari,
respondesne tuo, dic sodes, nomine? 'nempe
uir bonus et prudens dici delector ego ac tu.'
qui dedit hoc hodie, cras, si uolet, auferet, ut si
detulerit fascis indigno, detrahet idem.
'pone, meum est' inquit: pono tristisque recedo:
idem si clamet furem, neget esse pudicum,
contendat laqueo collum pressisse paternum,
mordear opprobriis falsis mutemque colores?
falsus honor iuuat et mendax infamia terret
quem nisi mendosum et medicandum? uir bonus est
quis?
'qui consulta patrum, qui leges iuraque seruat,
quo multae magnaeque secantur iudice lites,
quo res sponsore et quo causae teste tenentur.'
sed uidet hunc omnis domus et uicinia tota
introrsum turpem, speciosum pelle decora.
'nec furtum feci nec fugi' si mihi dicat
seruus, 'habes pretium, loris non ureris' aio.

706 pateris] cupias *D* — 707 'dic sodes' *sic interpungendum esse uidetur Horkelio Anal. Hor. p.* 147 — 709 ut si *D* aut — 710 fascis *A*. fasceis *Cruquiana*. fasces *Orelliana* 3 — detrahit *D* — 712 Idem, si .... mordear *iunxit Bentleius et post* colores *uocem us.* 714 *punctum posuit* — 713 obprobriis *A* — 714 colores *AD*. 'colorem. *sic habent Tons. Mart. Silu. quos sequor' Cruquius* — 716 et medicandum *A* (*ut uidetur pr. m. sed mutatum est in* mendacem), *Bentleius*. et mendacem *D*. 'et medicandum. *hanc lectionem habent* 4. *cod. Blandin. Busl. Tons. et Sil. quos secutus sum' Cruquius* — 718 secantur *A*, r *littera ab alt. m.* — 719 responsore *AD*. 'quo res sponsore. *sic habet cod. Bland. antiquissimus, et uerissima lectio est, hactenus ignorata doctis' Cruquius* — 721 introrsum *A*. introrsus *D Bentleius*. introrsum *Cruquiana* — 722 dicat *AD Cruquiana*. dicit *cum codicibus aliquot Bentleius* — 725 negat. atque *AD*. 'negitatq. Sabellus. *sic*

'non hominem occidi.' non pasces in cruce coruos.
'sum bonus et frugi.' renuit negitatque Sabellus.
cautus enim metuit foueam lupus accipiterque
suspectos laqueos et opertum miluus hamum.
oderunt peccare boni uirtutis amore:
tu nihil admittes in te formidine poenae.
sit spes fallendi, miscebis sacra profanis:
nam de mille fabae modiis cum subripis unum,
damnum est, non facinus, mihi pacto lenius isto.
uir bonus, omne forum quem spectat et omne tribunal,
quandocumque deos uel porco uel boue placat,
'Iane pater' clare, clare cum dixit 'Apollo,'
labra mouet metuens audiri 'pulchra Lauerna,
da mihi fallere, da iusto sanctoque uideri,
noctem peccatis et fraudibus obice nubem.'
qui melior seruo, qui liberior sit auarus,
in triuiis fixum cum se demittit ob assem,
non uideo. nam qui cupiet, metuet quoque: porro
qui metuens uiuet, liber mihi non erit umquam.
perdidit arma, locum uirtutis deseruit, qui

scriptum est in antiq. cod. Blandin. quod mihi non parum placet, atque adeo plus quam uulgata lectio' Cruquius — 727 miluus *AD.* miluius *Lambinus.* 'miluus. *sic habent* 4. *Bland. cod. ut sit trisyllabum. reliqui sequuntur uulgatam lectionem' Cruquius* — 732 pacto mihi *Bentleius.* ('*Hic uersus ab Accursio recitatus* (*auctore Lambino*) *diuersus a uulgata lectione, a me quoque inuentus est in Silu. codic. sed paullo aliter, nimirum:* damnum est hoc leuius mihi, non facinus tamen. esto. Vir bonus omne forum' *Cruquius* — 736 laberna *A* — 737 iustum sanctumque *AD.* 'da iusto sanctoque uideri. *sic habet codex antiquissim. Blandin. quem secutus sum, propter τὸ* mihi, *reclamantibus omnibus aliis' Cruquius* — 738 obice *AD.* obiice *Cruquiana* — 739 qui ... qui *A Orelliana* 3. 'qui melior seruo, qui lib. *Haec lectio inuenitur in* 4. *codic. Blandin. Buslid. Nan. Silu. et Diu. sed Martin. et Tonsa. habent,* quo, *cum uulgatis, quos non sequor' Cruquius* — 742 uiuet *AD Cruquiana.* uiuit *Bentleius* — 743 prodidit *Bentleii suspicio ab ipso*

semper in augenda festinat et obruitur re.
uendere cum possis captiuum, occidere noli:
seruiet utiliter: sine pascat durus aretque,
nauiget ac mediis hiemet mercator in undis,
annonae prosit, portet frumenta penusque.
uir bonus et sapiens audebit dicere 'Pentheu,
rector Thebarum, quid me perferre patique
indignum coges?' 'adimam bona.' 'nempe pecus, rem,
lectos, argentum. tollas licet.' 'in manicis et
compedibus saeuo te sub custode tenebo.'
'ipse deus, simul atque uolam, me soluet.' opinor
hoc sentit, 'moriar.' mors ultima linea rerum est.

EPISTVLA XVII.

Quamuis, Scaeua, satis per te tibi consulis, et scis
quo tandem pacto deceat maioribus uti,
disce, docendus adhuc quae censet amiculus, ut si
caecus iter monstrare uelit: tamen aspice siquid
et nos quod cures proprium fecisse loquamur.
si te grata quies et primam somnus in horam
delectat, si te puluis strepitusque rotarum,

postea reiecta — 747 nauigat *A* — 748 penusque *A D Cruquiana.* penumque *Fea* — 752 in] et *Cruquiana*

Epistola XVII. Ad Scaeuam *Cruquiana* — 757 tandem] tenuem *coniecit Horkelius Anal. Hor. p.* 129 *sqq. recepit nuper Meinekius* — 758 disce docendus adhuc, quid *Cruquiana* — 759 adspice *Orelliana* 3. aspice *A Cruquiana* — 762 delectet *editio Fabricii a.* 1555 *(fortasse haec genuina scriptura est* 'et *us. sq.* laedat) — 763 laedet *A D Cruquiana*, *Bentleius.* 'si laedat. *sic omnes scripti praeter duos Bland. qui sequuntur lectionem uulgatam*' *Cruquius* — 767 ad unctum *A Orelliana* 3. 'ad unctum. *cod. Bland. antiq. habet* inunctum, *una uoce, pro ualde unctum*' *Cru-*

si laedit caupona, Ferentinum ire iubebo.
nam neque diuitibus contingunt gaudia solis,
nec uixit male, qui natus moriensque fefellit.
si prodesse tuis paulloque benignius ipsum
te tractare uoles, accedes siccus inunctum.
'si pranderet holus patienter, regibus uti
nollet Aristippus.' 'si sciret regibus uti,
fastidiret holus qui me notat.' utrius horum
uerba probes et facta doce, uel iunior audi
cur sit Aristippi potior sententia. namque
mordacem Cynicum sic eludebat, ut aiunt,
'scurror ego ipse mihi, populo tu: rectius hoc et
splendidius multo est. equus ut me portet, alat rex
officium facio: tu poscis uilia: uerum
dante minor, quamuis fers te nullius egentem.'
omnis Aristippum decuit color et status et res,
temptantem maiora, fere praesentibus aequum.
contra, quem duplici panno patientia uelat,
mirabor, uitae uia si conuersa decebit.
alter pupureum non expectabit amictum,
quidlibet indutus celeberrima per loca uadet
personamque feret non inconcinnus utramque:
alter Mileti textam cane peius et angue

quius — 768 holus *A ut u.* 770 — 773 illudebat *Cruquius de codicibus suis nil memorans* — 775 est, equus ut me portet, alat rex. Officium facio *Cruquiana* — 776 uilia. uerum *A.* uilia rerum *D.* 'uerum dante minor. *hic locus uarie legitur. 4. Blandin. cod. Buslid. Nan. Silu.* uerum dante minor. *Mart. habet* rerum. *Diu.* rerum es dante minor. *uulgati habent* uerum es dante minor' *Cruquius* — 779 temptantem *AR* — 780 dupluci *R* — 781 decebat *A* — 782 expectabit *A Cruquiana* — 785 angue *Cruquiana.* angu̇e *R.* angui *D et contra codicum omnium auctoritatem Bentleius.* angue *A.* (*Priscian. II* 338 *Kr. sic citat:* Alter Mileti textam cane peius et angui uitabat clamidem)

uitabit chlamydem, morietur frigore, si non
rettuleris pannum. refer et sine uiuat ineptus.
res gerere, et captos ostendere ciuibus hostis,
attingit solium Iouis et caelestia temptat.
principibus placuisse uiris non ultima laus est.
non cuiuis homini contingit adire Corinthum.
sedit, qui timuit ne non succederet: esto.
quid? qui peruenit fecitne uiriliter? atqui
hic est, aut nusquam, quod quaerimus. hic onus horret,
ut paruis animis et paruo corpore maius:
hic subit et perfert. aut uirtus nomen inane est,
aut decus et pretium recte petit experiens uir.
coram rege suo de paupertate tacentes
plus poscente ferent. distat sumasne pudenter
an rapias. atqui rerum caput hoc erat, hic fons.
'indotata mihi soror est, paupercula mater,
et fundus nec uendibilis nec pascere firmus'
qui dicit, clamat 'uictum date.' succinit alter
'et mihi diuiduo findetur munere quadra.'
sed tacitus pasci si posset coruus, haberet
plus dapis et rixae multo minus inuidiaeque.
Brundisium comes aut Surrentum ductus amoenum
qui queritur salebras et acerbum frigus et imbris,
aut cistam effractam et subducta uiatica plorat,
nota refert meretricis acumina, saepe catellam

786 uitauit *AR* — clamidem *AR* — 787 rettuleris *Cruquiana*, *Orelliana* 3, *R altera* t *littera erasa.* retuleris *A* — 788 hotis *R.* hosteis *Cruquiana.* hostes *A Orelliana* 3 — 789 temptat *AR* — 792 nec non *R* — 798 suo *ADR Cruquiana.* sua *e codice Petrensi Bentleius. Cfr. Buttmannum Bibl. crit.* 3, 1. *p.* 392 *et C. Lachmannum ad Lucret. p.* 238 — 802 neque uen. *A* — 804 quadra *AR Orelliana* 3. 'quadra. *Tons. cod. habet* quadrans. *Alii omnes scripti habent*, quadra *Cruquius* — 807 furrentum *A* — ductus *A in margine ab ead. m. additum* — 808 imbreis *Cruquiana.* imbres *A Orelliana* 3 — 809 et] aut *Cruquiana* — 811

saepe periscelidem raptam sibi flentis, uti mox
nulla fides damnis uerisque doloribus adsit.
nec semel inrisus triuiis attollere curat
fracto crure planum. licet illi plurima manet
lacrima, per sanctum iuratus dicat Osirim:
'credite, non ludo: crudeles, tollite claudum:'
quaere peregrinum' uicinia rauca reclamat.

EPISTVLA XVIII.

Si bene te noui, metues, liberrime Lolli,
scurrantis speciem praebere, professus amicum.
ut matrona meretrici dispar erit atque
discolor, infido scurrae distabit amicus.
est huic diuersum uitio uitium prope maius,
asperitas agrestis et inconcinna grauisque,
quae se commendat tonsa cute, dentibus atris,
dum uolt libertas dici mera ueraque uirtus.
VIRTVS est medium uitiorum et utrimque reductum.
alter in obsequium plus aequo pronus, et imi
derisor lecti, sic nutum diuitis horret,
sic iterat uoces et uerba cadentia tollit,
ut puerum saeuo credas dictata magistro
reddere uel partis mimum tractare secundas:
alter rixatus de lana saepe caprina

rapta *A* — mox] mors *A* — 812 assit *A* — 813 irrisus *A Cruquiana*, *Orelliana* 3

Epistola XVIII. Ad Lollium. 2 *Cruquiana.* Alloquitur Lollium quendam sibi familiarem *R in marg.* — 820 matre[na] mert. *R.* matrona meritrici *A* — 825 *hic uersus in codici A post u.* 820 *legitur* — uult *A R Cruquiana.* uolt *Orelliana* 3 — mera dici *Cruquiana.* dici mera *A R Orelliana* 3 — 831 parteis *Cruquiana.* partes *Orelliana* 3. partis *A* — 832 rixatur *A R D.* rixator *de Mureti coniectura Fea.* 'alter rixatus. *locus hic in scriptis*

propugnat nugis armatus: 'scilicet ut non
sit mihi prima Fides et uere quod placet ut non
acriter elatrem? pretium aetas altera sordet.'
ambigitur quid enim? Castor sciat an Dolichos plus;
Brundisium Minuci melius uia ducat an Appi.
quem damnosa Venus, quem praeceps alea nudat,
gloria quem supra uires et uestit et unguit,
quem tenet argenti sitis inportuna famesque,
quem paupertatis pudor et fuga, diues amicus,
saepe decem uitiis instructior, odit et horret,
aut, si non odit, regit ac ueluti pia mater
plus quam se sapere et uirtutibus esse priorem
uolt et ait prope uera: 'meae (contendere noli)
stultitiam patiuntur opes: tibi paruola res est.
arta decet sanum comitem toga: desine mecum
certare.' Eutrapelus cuicumque nocere uolebat,

uarie legitur et non uno modo clausulas habet interpunctas Bland. antiquiss. ex quo Comment. descripsimus, habet, alter rixatus de lana saepe caprina propugnat: nugis armatus scilicet. *ubi supra scriptum est,* nugis armatus *id est inutilibus argumentis, uerbis, λόγοις, lingua scilicet. duo alii Blandin.* alter rixatur de lana saepe caprina propugnat nugis armatus. scilicet. *quartus Bland.* alter rixatus de lana saepe capr. propugnat nugis armatus. scilicet. *Tons.* al. rix. d. l. s. c. p. n. armatus scilicet' *Cruquius* — caprina et *Bentleius* — 833 armatus. ut scilicet ut non *A* — 835 'acriter elatrem. *in omnibus fere scriptis cum interrogatione leguntur' Cruquius* — et latrem *A* — 836 'ambigitur. *hic interpunctio est in Tons. Mart. et Sil. quae lectio mihi uulgatae praefertur. deinde cum interrogatione,* quid enim?' *Cruquius* — docilis *AD.* 'an Dolichos plus. *sic habent tres codic. Mart. Tons. et Sil. quos secutus sum ..... tres Bland. habent,* Dolicis' *Cruquius.* docilis *Bentleius* — 837 Minuci *A Orelliana* 3. 'Brundisium Minuti. *hic uariant omnes scripti. Diuae. Mart. Nan. consentiunt uulgatae lectioni.* 4. *Bland. et Sil. habent,* Minuti. *Busl.* Menuci. *Tons.* Munici. *equidem uulgatam mutaui quia lectio Bland. codicum mihi probatur inprimis' Cruquius* — 839 uireis *Cruquiana.* uires *A Orelliana* 3

uestimenta dabat pretiosa: 'beatus enim iam
cum pulchris tunicis sumet noua consilia et spes,
dormiet in lucem, scorto postponet honestum
officium, nummos alienos pascet, ad imum
Thraex erit aut olitoris aget mercede caballum.'
arcanum neque tu scrutaberis ullius umquam,
conmissumque teges et uino tortus et ira.
nec tua laudabis studia aut aliena reprendes,
nec, cum uenari uolet ille, poemata panges.
gratia sic fratrum geminorum, Amphionis atque
Zethi, dissiluit, donec suspecta seuero
conticuit lyra. fraternis cessisse putatur
moribus Amphion: tu cede potentis amici
lenibus imperiis, quotiensque educet in agros
Aetolis onerata plagis iumenta canesque,
surge et inhumanae senium depone Camenae,

— ungit *Cruquiana*, *Orelliana* 3. ungèt *A* — 840 inportuna *A* — 841 amicus diues *A* — 845 uult *A Cruquiana*. uolt *Orelliana* 3 — meae *A Orelliana* 3. 'meae. *sic habent omnia quae uidi scripta ..... uidi autem in uno et altero uulgato cod.* mihi contin. *quibus non subscribo*' *Cruquius.* mihi *e codicibus Lambinus* — noli[b] contendere[a] *A* — 846 paruula *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 850 'et spes. *Tonsa. codex sine ulla macula habet* expes ... *huic lectioni astipulatur in eodem cod. annotatio tantum uetustate non deleta*, *nimirum*, sumet noua consilia ut consul fiat et exspes; id est, nullam amplius spem habens, dormiet etc.' *Cruquius.* exspes *Cruquiana* — 853 Thrax erit *D.* traxerit *A.* Thrax erit *Cruquiana* — 854 archanum *A* — scrutaueris *A* — ullius *AD Cruquiana.* illius *Bentleius* — 856 laudabilis *A* — repe-[ren]des *A* — 857 pangas *A* — 859 Zethidis siluit *A* — 860 putatur] probatur *coniecit Horkelius Anal. Hor. p.* 35 — 861 mortibus *A* — 862 quotiensque *A.* quotiesque *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 863 Aeoliis *quod est in codice Franequ. et coniecerat Vlitius ad Gratii Cyn.* 35 *probat Meinekius l. l. p. XXXVII sq. et recepit* — caneisque *Cruquiana.* canesque *A Orelliana* 3

cenes ut pariter pulmenta laboribus empta;
Romanis sollemne uiris opus, utile famae
uitaeque et membris, praesertim cum ualeas et
uel cursu superare canem uel uiribus aprum
possis. adde, uirilia quod speciosius arma
non est qui tractet: scis quo clamore coronae
proelia sustineas campestria; denique saeuam
militiam puer et Cantabrica bella tulisti .
sub duce qui templis Parthorum signa refigit
nunc, et siquid abest Italis adiudicat armis.
ac ne te retrahas et inexcusabilis absis,
quamuis nil extra numerum fecisse modumque
curas, interdum nugaris rure paterno:
partitur lintris exercitus, Actia pugna
te duce per pueros hostili more refertur,
aduersarius est frater, lacus Hadria, donec
alterutrum uelox uictoria fronde coronet:
consentire suis studiis qui crediderit te,
fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.
protinus ut moneam (siquid monitoris eges tu),
quid te quoque uiro et cui dicas, saepe uideto.
percontatorem fugito: nam garrulus idem est,
nec retinent patulae conmissa fideliter aures,

865 pariter *om.* *A* — emta *Cruquiana.* empta *A Orelliana* 3 — 866 solemne *Cruquiana.* solenne *A.* 'solemne. *hanc scripturam exhibent codd. Ed. de reliquis nunc non memini' Orellius* — 870 tractat *D.* tractet *A Cruquiana* — 873 refigit *AD Bentleius.* refixit *Lambinus.* 'refigit nunc. *sic habent omnes libri scripti cum interpunctione τὸ* nunc *et τὸ* et. *quam lectionem confirmat τὸ* abiudicat' *Cruquius* — 874 aruis *malebat Bentleius* — 875 abstes *contra omnes libros Bentleius* — 876 'quamuis nil extra. *uult Lambinus hic esse parenthesim, sed eius notam nullam in scriptis offendi' Cruquius* — 878 lintreis *Cruquiana.* lintres *A Orelliana* 3 — 880 Adria *Cruquiana* — 884 protinus *A Orelliana* 3, *Cruquiana.* protenus *Bentleius* — 886 per cunctatorem *Cruquiana* — 887 conmissa *A* — 888 inreuocabile *A* — 890 inter *Cru-*

et semel emissum uolat inreuocabile uerbum.
non ancilla tuum iecur ulceret ulla puerue
intra marmoreum uenerandi limen amici,
ne dominus pueri pulchri caraeue puellae
munere te paruo beet aut incommodus angat.
qualem commendes etiam atque etiam aspice, ne mox
incutiant aliena tibi peccata pudorem.
fallimur et quondam non dignum tradimus: ergo
quem sua culpa premet, deceptus omitte tueri,
ut penitus notum si temptent crimina, serues
tuterisque tuo fidentem praesidio: qui
dente Theonino cum circumroditur, ecquid
ad te post paullo uentura pericula sentis?
nam tua res agitur, paries cum proximus ardet,
et neglecta solent incendia sumere uires.
dulcis inexpertis cultura potentis amici:
expertus metuit. tu, dum tua nauis in alto est,
hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.
oderunt hilarem tristes tristemque iocosi,
sedatum celeres, agilem gnauumque remissi,
potores uetuli media de nocte Falerni
oderunt porrecta negantem pocula, quamuis
nocturnos iures te formidare tepores.

quiana — 891 pueri dominus *A* — 893 aspice *A Cruquiana.* adspice *Orelliana* 3 — 897 at penitus *Bentleii coniectura* — temptent *A.* tentent *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 898 fidenter *e codice Barthii Bentleius* — 899 et quid *A* — 902 uireis *Cruquiana.* uires *A Orelliana* 3 — 906 *In codice A omisso toto uersu* 908 *sic uersus se excipiunt:* 907, 909, 906, 910, *sed uersibus* 906 *et* 909 *ascriptae sunt ab ead. m.* b *et* a *litterae, ut transponantur* — 907 nauum *AD.* gnauum *Cruquiana*, *Bentleius* — 908 *uersum om. D. uncis inclusit Orelliana* 3. *uerba* bibuli .... oderunt *uncis inclusit cum Pottierio Meinekius* (*cfr. edit. alt. l. l. p. XXXVIII*) *et editio Weidmanniana.* potores liquidi media de luce Falerni *Bentleius. Cfr. de nostra scriptura* uetuli *Catull.* 27, 1 *et Martial.* 11, 27 *et Horkel. Anal. Hor. p.* 113 *sq.* — 910 tepo-

deme supercilio nubem: plerumque modestus
occupat obscuri speciem, taciturnus acerbi.
inter cuncta leges et percontabere doctos,
qua ratione queas traducere leniter aeuum,
num te semper inops agitet uexetque cupido,
num pauor et rerum mediocriter utilium spes,
uirtutem doctrina paret naturane donet,
quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum,
quid pure tranquillet, honos an dulce lucellum
an secretum iter et fallentis semita uitae.
me quotiens reficit gelidus Digentia riuus,
quem Mandela bibit, rugosus frigore pagus,
quid sentire putas, quid credis, amice, precari?
'sit mihi quod nunc est, etiam minus, et mihi uiuam
quod superest aeui, siquid superesse uolunt di:
sit bona librorum et prouisae frugis in annum
copia, neu fluitem dubiae spe pendulus horae.
sed satis est orare Iouem qui ponit et aufert:
det uitam, det opes; aequum mi animum ipse parabo.

res *AD Bentleius.* uapores *Orelliana* 3. 'tepores. *sic habent omnia scripta nostra.* uapores *autem non damno in uulgatis' Cruquius* — 913 percunctabere *Cruquiana* — 915 *et* 916 num ... num *AD.* ne ... ne *Cruquiana, Bentleius.* 'ne te semper. *Bland.* 4. *Tons. Busl. et Nann. in utroque uersu habent,* num. *Diuae. legit,* non. *Mart. et Sil. consentiunt uulgatae lectioni quae mihi non improbatur. Alii in priori uersu legunt,* non; *in altero,* nec' *Cruquius* — 921 quoties *Cruquiana, Orelliana* 3. quotiens *A* — 924 ut *AD.* 'et mihi uiuam. *sic* 4. *Bland. et Sil. quod magis placet' Cruquius.* et *Bentleius* — 927 ne *D pr. m.* neu *A Bentleius.* 'ne fluitem. *omnia scripta habent,* neu; *praeter unum Silu. qui sequitur uulgatam lectionem' Cruquius* — fluiter *A* — 'horae. *codex Martin. habet* aurae' *Cruquius* — 928 sed *AD.* haec *tres Pottierii aliique.* 'sed satis est. *sic habent omnes lib. scripti, quos legi' Cruquius* — qui donat *D.* q̄ donet *A.* quae donat *Orelliana* 3. quae ponit *Bentleius.* 'qui donat. *omnes lib. scripti habent,* ponit et aufert' *Cruquius* — 929 animum *om. A*

EPISTVLA XVIIII.

Prisco si credis, Maecenas docte, Cratino,
nulla placere diu nec uiuere carmina possunt,
quae scribuntur aquae potoribus. ut male sanos
adscripsit Liber Satyris Faunisque poetas,
uina fere dulces oluerunt mane Camenae.
laudibus arguitur uini uinosus Homerus:
Ennius ipse pater numquam nisi potus ad arma
prosiluit dicenda. 'forum Putealque Libonis
mandabo siccis, adimam cantare seueris.'
hoc simul edixi, non cessauere poetae
nocturno certare mero, putere diurno.
quid? siquis uoltu toruo ferus et pede nudo
exiguaeque togae simulet textore Catonem,
uirtutemne repraesentet moresque Catonis?
rupit Iarbitam Timagenis aemula lingua,
dum studet urbanus tenditque disertus haberi.
decipit exemplar uitiis imitabile. quòdsi
pallerem casu, biberent exsangue cuminum.

Epistola XVIIII. Ad C. Cilnium Maecenatem *Cruquiana* — 930 credas *Commentator Cruquianus* — 933 adscripsit *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — poetas. uina *distinxit Bentleius* — 935 Humerus *A* — 939 edixi *A in litura*, *Bentleius.* edixit *D alt. m.*, *Cruquiana* — non] nec *Cruquiana*, *quod operarum error esse uidetur; Cruquius in adnotat. habet* non — 940 utere *A* — 942 simulet textore Cat. *quam studiosis et doctis omnibus male consuluit sciolus aliquis, in eradenda prima syllaba* τοῦ textore *in uno ex libris Bland. eaque substituenda, quam nunc habemus, mirabiliter est deplorandum: deinde temeritatem stultus ut mutaret inscitia deteriore, supρa scripsit*, textuque. *Codex Silu. habet* terrore, *sed non sine lituris. quid si legamus*, Exiguaque toga simulet textoque Catonem' *Cruquius.* textore *AD* — 944 Itabitham *A.* Iarbitam *Orelliana* 3. 'Hyarbitham. *codex Busl. habet*, Barbutam' *Cruquius* — lingua *A Orelliana* 3. 'aemula lingua. *duo Blandin. codic. habent* lingua, *alias* coena; *quam lectionem sequitur Commentator et uulgatus Porphyr.*' *Cruquius* — 946 quid si ... cumi-

o imitatores, seruum pecus, ut mihi saepe
bilem, saepe iocum uestri mouere tumultus!
libera per uacuum posui uestigia princeps,
non aliena meo pressi pede. qui sibi fidet,
dux reget examen. Parios ego primus iambos
ostendi Latio, numeros animosque secutus
Archilochi, non res et agentia uerba Lycamben.
ac ne me foliis ideo breuioribus ornes,
quod timui mutare modos et carminis artem,
temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho,
temperat Alcaeus, sed rebus et ordine dispar,
nec socerum quaerit quem uersibus oblinat atris,
nec sponsae laqueum famoso carmine nectit.
hunc ego, non alio dictum prius ore, Latinus
uolgaui fidicen. iuuat inmemorata ferentem
ingenuis oculisque legi manibusque teneri.
scire uelis, mea cur ingratus opuscula lector
laudet ametque domi, premat extra limen iniquus:
non ego uentosae plebis suffragia uenor
inpensis cenarum et tritae munere uestis;
non ego nobilium scriptorum auditor et ultor
grammaticas ambire tribus et pulpita dignor.

num? *Cruquiana* — 948 ut mihi bilem || ut mihi saepe iocum *Bentleii codex Collegii Trinitatis* — 951 *et* 952 fidet ... reget *A.* fidit ... reget *D.* 'qui sibi fidet dux reget ex. *sic habet Blandin. antiquiss. cum Diu. et Sil. reliqui tres Bland. habent*, fidit, regit. *utrumque aeque recte. alii legunt* fidit, reget, *quod non probo*' *Cruquius* — 957 temperet *A* — Sapho *A* — 958 *uide Bentleii adnotationem* — 961 Latinus *A.* Latinis *D.* 'Latinus. *sic legitur in scriptis cod. omnibus, praeter Mart. qui habet*, Latinis *cum uulgatis quibusdam*' *Cruquius* — 961 hinc .... melos ore *Horkelius proposuit Anal. Hor. p.* 133 — 962 uulgaui *A Cruquiana.* uolgaui *Orelliana* 3 *e codice E* — inmemorata *A.* immem. *Cruquiana, Orelliana* 3 — 963 ingenuis *A.* ingeniis *D.* 'ingenuis *habent omnes scripti codic.*' *Cruquius* — 967 impensis *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 968 auditor et ultor *AD Bentleius.* 'audi-

hinc illae lacrimae. 'spissis indigna theatris
scripta pudet recitare et nugis addere pondus'
si dixi, 'rides' ait 'et Iouis auribus ista
seruas: fidis enim manare poetica mella
te solum, tibi pulcher.' ad haec ego naribus uti
formido et, luctantis acuto ne secer ungui,
'displicet iste locus' clamo, et diludia posco.
ludus enim genuit trepidum certamen et iram,
ira trucis inimicitias et funebre bellum.

EPISTVLA XX.

Vertumnum Ianumque, liber, spectare uideris,
scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus.
odisti clauis et grata sigilla pudico,
paucis ostendi gemis et communia laudas,
non ita nutritus. fuge quo descendere gestis.
non erit emisso reditus tibi. 'quid miser egi?
quid uolui?' dices, ubi quid te laeserit; et scis
in breue te cogi, cum plenus languet amator.
quodsi non odio peccantis desipit augur,
carus eris Romae, donec te deserat aetas:

tor. *cod. Bland. duo habent*, auditor, *alias* adiutor. *sed omnes ad unum scripti mei habent* ultor, *sed cum diuersa expositione. antiquiss. Bland. habet* ultor, *id est*, laudator; *alius* ultor, *suppl.* iniuriarum. τὸ actor *autem, quod adfert in medium Canterus, in scriptis non inueni' Cruquius* — 975 ungui *AD.* ungue *Cruquiana* (*cfr. Priscian. I* 338 *Kr.*) — 978 truceis *Cruquiana.* truces *A Orelliana* 3

Epistola XX. Ad Librum suum *Cruquiana* — 981 clauis *A.* claueis *Cruquiana.* claues *Orelliana* 3 — 982 genus *A* — 983 muritus *A* — descendere *AD Bentleius.* 'descendere gestis. *sic habent omnes ad unum quos. uidi libri scripti, quos secutus sum' Cruquius.* discedere *Cruquiana, Lambinus* — 985 quid te *D Bentleius.* qui te *A.* quis te *Cruquiana* — 986 plenus cum *ex uno codice Colleg. Trinitatis Bentleius* — 988 carusceris *A* —

contrectatus ubi manibus sordescere uolgi
coeperis, aut tineas pasces taciturnus inertis
aut fugies Vticam aut uinctus mitteris Ilerdam.
ridebit monitor non exauditus, ut ille
qui male parentem in rupis protrusit asellum
iratus: quis enim inuitum seruare laboret?
hoc quoque te manet, ut pueros elementa docentem
occupet extremis in uicis balba senectus.
cum tibi sol tepidus pluris admouerit auris,
me libertino natum patre, et in tenui re,
maiores pinnas nido extendisse loqueris,
ut quantum generi demas, uirtutibus addas;
me primis urbis belli placuisse domique;
corporis exigui, praecanum, solibus aptum,
irasci celerem, tamen ut placabilis essem.
forte meum siquis te percontabitur aeuum,
me quater undenos sciat inpleuisse decembris,
conlegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

deserat *AD.* deserit *Bentleius*, *Cruquiana* — 990 inerteis *Cruquiana.* inertes *Orelliana* 3 — 991 uinctus *AD Bentleius.* uinctus. *hic locus uarie legitur. uulgati quidam habent*, unctus. *Bland. habent*, uinctus: *alias* uictus. *reliqui legunt* uinctus' *Cruquius* — 993 rupeis *Cruquiana.* rupes *A Orelliana* 3 — detrusit *Cruquiana.* protrusit *DA.* 'protrusit. *habent omnia scripta* protrusit. *praeter unum Blandin. qui habet*, protrudit' *Cruquius* — 996 bella *D* — *'post hunc uersum hiare uidetur oratio, ut complures uersus excidisse suspicer' Meinekius l. l. p. XXXVIII* — 997 pluris ... aures *A.* plureis ... aureis *Cruquiana.* plures ... aures *Orelliana* 3 (pluris admouerit auras *Priscian. I* 351 *Kr.*) — 1002 solibus aptum] solis amicum *poetam fortasse scripsisse putat Meinekius l. l. p. XXXVIIII* — 1004 percunctabitur *Cruquiana* — 1005 impleuisse *A Cruquiana*, *Orelliana.*3 — decembreis *Cruquiana.* decembres *Orelliana* 3. decembris *A* (decembris *etiam Priscian. I* 349 *Kr.*)

Q. HORATII FLACCI
EPISTVLARVM
LIBER SECVNDVS.

EPISTVLA I.

Cum tot sustineas et tanta negotia solus,
res Italas armis tuteris, moribus ornes,
legibus emendes, in publica commoda peccem,
si longo sermone morer tua tempora, Caesar.
Romulus et Liber pater et cum Castore Pollux,
post ingentia facta deorum in templa recepti,
dum terras hominumque colunt genus, aspera bella
conponunt, agros adsignant, oppida condunt,
plorauere suis non respondere fauorem
speratum meritis. diram qui contudit hydram
notaque fatali portenta labore subegit,
comperit inuidiam supremo fine domari.
urit enim fulgore suo, qui praegrauat artis

Epistolarum liber secundus. Ad Augustum *Cruquiana* — 1008 moribus] moenibus *Bentleii suspicio* — 1009 commoda publica *Cruquiana* — 1012 fata *Bentleii coniectura nuper in Schmidii codice Guelferbytano (secundo) reperta* — 1014 componunt *A Cruquiana, Orelliana* 3, *ut paulo post* assignant — 'oppida cond. *Tons. codic. habet*, firmant' *Cruquius* — 1016 condidit *A* — 1018 comperit *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 1019 arteis *Cruquiana.* artes *A Orelliana* 3

infra se positas: extinctus amabitur idem.
praesenti tibi maturos largimur honores
iurandasque tuum per numen ponimus aras,
nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.
sed tuus hic populus, sapiens et iustus in uno
te nostris ducibus, te Grais anteferendo,
cetera nequaquam simili ratione modoque
aestimat, et nisi quae terris semota suisque
temporibus defuncta uidet, fastidit et odit,
sic fautor ueterum, ut tabulas peccare uetantis
quas bis quinque uiri sanxerunt, foedera regum
uel Gabiis uel cum rigidis aequata Sabinis,
pontificum libros, annosa uolumina uatum
dictitet Albano Musas in monte locutas.
si, quia Graiorum sunt antiquissima quaeque
scripta uel optima, Romani pensantur eadem
scriptores trutina, non est quod multa loquamur:
nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri,
uenimus ad summum fortunae, pingimus atque
psallimus et luctamur Achiuis doctius unctis.
si meliora dies, ut uina, poemata reddit,
scire uelim, chartis pretium quotus adroget annus.
scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter

1020 extinctus *A Cruquiana.* exstinctus *Orelliana* 3 — 1021 iurandusque *A* — 1022 nomen *AD.* 'per nomen pon. *Bland. uetustiss. habet*, numen' *Cruquius.* numen *Bentleius* — 1023 nihil ortum *Priscian. I* 478. 526 *Kr.* — 1024 hoc *Bentleius e codice Coll. Trin.* — 1025 Grais *AD Orelliana* 3. Graiis *Cruquiana* — 1029 uetanteis *Cruquiana.* uetantes *A Orelliana* 3 — 1032 dicit *A* — 1034 Graiorum *A Bentleius.* Graecorum *D.* 'si quia Graecorum. *Bland. cod. antiquiss. habet*, Graiorum' *Cruquius* — 1035 pensentur *A.* pensantur *D Cruquiana* — 1037 olea *Bentleii coniectura* — 1039 luctamur] saltamus *Eutych. ed. Lind. p.* 186 — doctius *AD Cruquiana, Bentleius.* scitius *ex eodem Eutych. p.* 2179 *P. Meinekius et editio Weidmanniana; sed cfr. Eutych. ed. Lind. p.* 186 — 1040 si *A in rasura* — 1041 chartis (carthis *A*) pretium

perfectos ueteresque referri debet an inter
uilis atque nouos? excludat iurgia finis.
'est uetus atque probus, centum qui perficit annos.'
quid? qui deperiit minor uno mense uel anno,
inter quos referendus erit? ueteresne poetas,
an quos et praesens et postera respuat aetas?
'iste quidem ueteres inter ponetur honeste,
qui uel mense breui uel toto est iunior anno.'
utor permisso, caudaeque pilos ut equinae
paullatim uello et demo unum, demo et item unum,
dum cadat elusus ratione ruentis acerui,
qui redit in fastos et uirtutem aestimat annis
miraturque nihil nisi quod Libitina sacrauit.
Ennius et sapiens et fortis et alter Homerus,
ut critici dicunt, leuiter curare uidetur
quo promissa cadant et somnia Pythagorea.
Naeuius in manibus non est et mentibus haeret
paene recens? adeo sanctum est uetus omne poema.
ambigitur quotiens, uter utro sit prior, aufert
Pacuuius docti famam senis, Attius alti,
dicitur Afrani toga conuenisse Menandro,

A Orelliana 3. pretium chartis *Lambinus.* 'pretium chartis. *cod. Bland. antiq. et Tonsa. habent*, chartis pretium' *Cruquius* — 1442 adhinc *A* — 1044 uileis *Cruquiana.* uiles *A Orelliana* 3 — 1047 poetas] probosque *Bentleii suspicio* — 1048 respuit *A.* respuat *D Bentleius.* 'respuat. *sic Blandin. antiquiss. Silu. et Martin. quos sequor; reliqui*, respuit; *uulgati habent*, respuet' *Cruquius* — 1052 paulatim *A* — et item *e codicibus Bentleius.* etiam *A D Cruquiana* — 1053 cadet *D* — 1054 in] ad *Cruquiana* — fastos *A Orelliana* 3, *Cruquiana.* 'fastos. *quidam lib. scripti habent* fastus'. *Cruquius* — 1056 Humerus *A* — 1057 critici *A* — 1059 et mentibus haeret poena recens: *Cruquiana* — 1061 quotiens *A Orelliana* 3. quoties *Cruquiana* — 1062 Accius *A D.* Actius *Cruquiana* — 1063 affrani *A*

Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi,
uincere Caecilius grauitate, Terentius arte.
hos ediscit et hos arto stipata theatro
spectat Roma potens; habet hos numeratque poetas
ad nostrum tempus Liui scriptoris ab aeuo.
interdum uolgus rectum uidet: est ubi peccat.
si ueteres ita miratur laudatque poetas
ut nihil anteferat, nihil illis conparet, errat.
si quaedam nimis antique, si pleraque dure
dicere credit eos, ignaue multa fatetur,
et sapit et mecum facit et Ioue iudicat aequo.
non equidem insector delendaue carmina Liui
esse reor, memini quae plagosum mihi paruo
Orbilium dictare: sed emendata uideri
pulchraque et exactis minimum distantia miror.
inter quae uerbum emicuit si forte decorum et
si uersus paullo concinnior unus et alter,
iniuste totum ducit uenditque poema.
indignor quicquam reprehendi, non quia crasse
conpositum inlepideue putetur, sed quia nuper;
nec ueniam antiquis, sed honorem et praemia posci.
recte necne crocum floresque perambulet Attae
fabula si dubitem, clament periisse pudorem
cuncti paene patres, ea cum reprehendere coner

1068 Liui *A Cruquiana*. Liuii *D* — 1071 comparet *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1073 credit *AD Cruquiana*. cedit *cum codice Regiae Societatis Bentleius* — 1075 delendaue *A Bentleius*. delendaque *D*. ʿdelendaque. *codic. Tons.*, *Diuaei*, *Silu. Bland. antiquiss. legunt*, delendaueʾ *Cruquius* — Liuii *D*. Liui *A Cruquiana*. Laeui *Bentleius* — 1078 ʿminimum. *Tonsa. Mart. Silu. legunt*, nimiumʾ *Cruquius* — 1079 decorum et *AD Cruquiana*. decorum *Bentleius* — 1080 paulo *A* — 1081 uenditque *AD Cruquiana*. uenitque *Bentleius* — 1082 reprehendi *AD Cruquiana*. reprendi *alii* — 1083 compositum illepideue *Cruquiana*, *Orelliana* 3. compositum inlepideque *A* — 1085 ne nec *A* — perambulat *AD*. perambulet *Cruquiana* — Attae] acie *A* — 1086

quae grauis Aesopus, quae doctus Roscius egit;
uel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt,
uel quia turpe putant parere minoribus, et quae
inberbi didicere, senes perdenda fateri.
iam Saliare Numae carmen qui laudat, et illud,
quod mecum ignorat, solus uolt scire uideri,
ingeniis non ille fauet plauditque sepultis,
nostra sed inpugnat, nos nostraque liuidus odit.
quodsi tam Graïs nouitas inuisa fuisset
quam nobis, quid nunc esset uetus? aut quid haberet
quod legeret tereretque uiritim publicus usus?
ut primum positis nugari Graecia bellis
coepit et in uitium fortuna labier aequa,
nunc âthletarum studiis, nunc arsit equorum,
marmoris aut eboris fabros aut aeris amauit,
suspendit picta uoltum mentemque tabella,
nunc tibicinibus, nunc est gauisa tragoedis;
sub nutrice puella uelut si luderet infans,
quod cupide petiit, mature plena reliquit.
quid placet aut odio est, quod non mutabile credas?
hoc paces habuere bonae uentique secundi.
Romae dulce diu fuit et sollemne reclusa
mane domo uigilare, clienti promere iura,
cautos nominibus rectis expendere nummos,

clament *AD Cruquiana.* clamant *alii codices haud pauci* — 1087 reprehendere *uide ad uersum* 1082 — 1091 imberbes *AD.* imberbi *Cruquiana, Bentleius. Cfr. Artis poeticae uersum* 161 — 1095 impugnat *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 1096 Graecis *AD Cruquiana.* Graiis *Bentleii coniectura* — 1098 terreret *A* — 1101 adletharum *A* — 1102 heboris *A* — 1105 uelud *A* — 1106 relinquit *Cruquiana.* reliquit *AD* — 1109 sollemne *A Orelliana* 3. ᶜsollemne. *omnes libri scripti habent* sollemne *per* ll *duo, et plures per* m, *quam per duo* n' *Cruquius* — 1111 cautos] scriptos *e codice (?) Barthii (Aduers.* 37, 18) *Bentleius* — rectis *AD.* certis *Lambinus.* ᶜnominibus rectis. τὸ rectis, *in omnibus scriptis inueni sine ulla macula aut litura, quae et uidi et adhuc apud me*

maiores audire, minori dicere, per quae
crescere res posset, minui damnosa libido.
mutauit mentem populus leuis et calet uno
scribendi studio; pueri patresque seueri
fronde comas uincti cenant et carmina dictant.
ipse ego, qui nullos me adfirmo scribere uersus,
inuenior Parthis mendacior et prius orto
sole uigil calamum et chartas et scrinia posco.
nauem agere ignarus nauis timet; abrotonum aegro
non audet nisi qui didicit dare; quod medicorum est
promittunt medici; tractant fabrilia fabri:
scribimus indocti doctique poemata passim.
hic error tamen et leuis haec insania quantas
uirtutes habeat sic conlige. uatis auarus
non temere est animus: uersus amat, hoc studet unum;
detrimenta, fugas seruorum, incendia ridet;
non fraudem socio pueroue incogitat ullam
pupillo; uiuit siliquis et pane secundo,
militiae quamquam piger et malus, utilis urbi,
si das hoc, paruis quoque rebus magna iuuari.
os tenerum pueri balbumque poeta figurat,
torquet ab obscaenis iam nunc sermonibus aurem,
mox etiam pectus praeceptis format amicis,
asperitatis et inuidiae corrector et irae,

habeo: qua gratia cum iis sentio' Cruquius — 1115 puerique *Cruquiana, Bentleius.* pueri *AD* — 1116 comis *A* — 1117 affirmo *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 1119 carthas *A* — 1120 nauem *A Cruquiana, Bentleius.* nauim *D* — 1121 melicorum .. melici *Bentleii suspicio* — 1124 tam *A* — 1125 collige *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 1126 tremere *A* — 1128 'pueroue incogitat. *sic habent omnes scripti quos legi' Cruquius.* pueroue incogitat *A Orelliana* 3. puero non cogitat *editiones Aldinae* — 1129 uiuit *A in margine* — 1133 obscenis *A Cruquiana.* obscoenis *Orelliana* 3 1136 facti *A* — noctis *A* — 1139 nisi *Cruquiana.* in *A* —

recte facta refert, orientia tempora notis
instruit exemplis, inopem solatur et aegrum.
castis cum pueris ignara puella mariti
disceret unde preces, uatem ni Musa dedisset?
poscit opem chorus et praesentia numina sentit,
caelestis inplorat aquas docta prece blandus,
auertit morbos, metuenda pericula pellit,
impetrat et pacem et locupletem frugibus annum.
carmine di superi placantur, carmine manes.
agricolae prisci, fortes paruoque beati,
condita post frumenta leuantes tempore festo
corpus et ipsum animum spe finis dura ferentem
cum sociis operum pueris et coniuge fida,
Tellurem porco, Siluanum lacte piabant,
floribus et uino Genium memorem breuis aeui.
Fescennina per hunc inuenta licentia morem
uersibus alternis opprobria rustica fudit,
libertasque recurrentis accepta per annos
lusit amabiliter, donec iam saeuus apertam
in rabiem coepit uerti iocus et per honestas
ire domos inpune minax. doluere cruento
dente lacessiti: fuit intactis quoque cura
condicione super communi: quin etiam lex
poenaque lata, malo quae nollet carmine quemquam
describi. uertere modum, formidine fustis
ad bene dicendum delectandumque redacti.

1041 coelestis *A*. coelestes *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — implorat *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — implorat aquas, docta prece blandus auertit morbos *distinguit Bentleius in Curis nouissimis* — 1148 operum et pueris *Cruquiana* operum pueris *AD Bentleius* — 1151 inuecta *cum Barthio ad Claudian. p.* 765 *Bentleius* — 1152 obprobria *A* — 1153 recurrenteis *Cruquiana*. recurrentes *Orelliana* 3. currentes *A* — 1155 coepit uerti *AD Cruquiana*. uerti coepit *Lambinus. uid. Bentleii adnotationem* — 1156 impune *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — ire minax impune domos *Cruquiana* — 1158 conditione *Cruquiana*. condicione *A Orelliana* 3 — 1159 nata

Graecia capta ferum uictorem cepit et artis
intulit agresti Latio. sic horridus ille
defluxit numerus Saturnius et graue uirus
munditiae pepulere: sed in longum tamen aeuum
manserunt hodieque manent uestigia ruris.
serus enim Grais admouit acumina chartis,
et post Punica bella quietus quaerere coepit,
quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent.
temptauit quoque rem, si digne uertere posset,
et placuit sibi natura sublimis et acer:
nam spirat tragicum satis et feliciter audet,
sed turpem putat in scriptis metuitque lituram.
creditur, ex medio quia res arcessit, habere
sudoris minimum, sed habet comoedia tanto
plus oneris, quanto ueniae minus. aspice, Plautus
quo pacto partis tutetur amantis ephebi,
ut patris attenti, lenonis ut insidiosi,
quantus sit Dossennus edacibus in parasitis,
quam non adstricto percurrat pulpita socco.
gestit enim nummum in loculos demittere, post hoc
securus cadat an recto stet fabula talo.
quem tulit ad scenam uentoso gloria curru,

D pr. m. — 1162 arteis *Cruquiana.* artes *A Orelliana* 3 — 1167 Graecis *AD Cruquiana.* Graijs *Porphyrio in editione Fabriciana a.* 1555 *et uid. Carm. uers.* 1318 — 1170 tentauit *Cruquiana*, *Orelliana* 3. temptauit *A* — 1172 et *om. A* — 1173 in scriptis *A.* in scriptis *D corr.* inscitus *Bentleii coniectura.* inscite *Orelliana* 3. ʿin scriptis. *sic legunt cod. Diu. Silu. Mart. et Blandin. antiquiss. sed hic habet supra scriptum*, inscitiae, *quomodo quoque Tons. legit ..... alii tres Bland. habent*, inscite; *ego certe τὸ* in scriptis *probarim' Cruquius* — 1174 accessit *A.* arcessit *Orelliana* 3. ʿquia res arcessit. *sic habent tres cod. Bland. cum Tons. sed antiquissimus Blandin. habet*, accessit *cum Mart. Diu. Silu. nec me hercle uideo utra sit alteri proferenda' Cruquius* — 1175 tanti *A* — 1176 aspice *A Cruquiana* — 1177 parteis *Cruquiana.* partes *A Orelliana* 3 — 1178 et patris *D* — 1179 Dossenus *A* — 1180

exanimat lentus spectator, sedulus inflat:
sic leue, sic paruum est, animum quod laudis auarum
subruit aut reficit. ualeat res ludicra, si me
palma negata macrum, donata reducit opimum.
saepe etiam audacem fugat hoc terretque poetam,
quod numero plures, uirtute et honore minores,
indocti stolidique et depugnare parati
si discordet eques, media inter carmina poscunt
aut ursum aut pugiles: his nam plebecula gaudet.
uerum equitis quoque iam migrauit ab aure uoluptas
omnis ad incertos oculos et gaudia uana.
quattuor aut pluris aulaea premuntur in horas,
dum fugiunt equitum turmae peditumque cateruae;
mox trahitur manibus regum fortuna retortis,
esseda festinant, pilenta, petorrita, naues,
captiuum portatur ebur, captiua Corinthus.
si foret in terris, rideret Democritus, seu
diuersum confusa genus panthera camelo
siue elephas albus uolgi conuerteret ora;
spectaret populum ludis attentius ipsis
ut sibi praebentem nimio spectacula plura;

astricto *A Cruquiana* — 1181 dimittere *A*, *D corr.* ᶜdemittere. *sic omnia scripta praeter Diu. et Martin. codic. qui sequuntur uulgatam lectionem' Cruquius* — 1185 est *om. A* — 1186 aut *AD Cruquiana.* ac *Bentleius* — 1192 gaudet *AD Bentleius.* ᶜgaudet. *sic habet cod. Bland. antiquiss. cum Mart. Diu. Silu. tres reliqui Bland. habent*, plaudet; *unicus autem Tons. habet* plaudit *sine ulla litura, quod mihi placet imprimis' Cruquius* — 1193 equiti *Bentleii coniectura* — 1194 ingratos *Bentleii coniectura* — 1195 plureis *Cruquiana.* plures *A Orelliana* 3 — 1198 ᶜpetorrita. *in omnibus scriptis inuenitur duobus* rr' *Cruquius* — 1202 elephans *A* — conuerterit *cum Prisciani Cod. Cantabrig. Bentleius. uide Krehlii editionem I* 182. conuerteret *AD Cruquiana* — 1204 nimio *A.* mimo *D.* ᶜpraebentem mimo. *Diu. Tons. Mart. Sil. cod. habent* mimum; *quae lectio uidetur anteponenda uulgatae. Bland. antiquiss.*

scriptores autem narrare putaret asello
fabellam surdo. nam quae peruincere uoces
eualuere sonum, referunt quem nostra theatra?
Garganum mugire putes nemus aut mare Tuscum,
tanto cum strepitu ludi spectantur et artes
diuitiaeque peregrinae: quibus oblitus actor
cum stetit in scaena, concurrit dextera laeuae.
dixit adhuc aliquid? nil sane. quid placet ergo?
lana Tarentino uiolas imitata ueneno.
ac ne forte putes me, quae facere ipse recusem,
cum recte tractent alii, laudare maligne;
ille per extentum funem mihi posse uidetur
ire poeta, meum qui pectus inaniter angit,
inritat, mulcet, falsis terroribus inplet,
ut magus, et modo me Thebis, modo ponit Athenis.
uerum age et his, qui se lectori credere malunt
quam spectatoris fastidia ferre superbi,
curam redde breuem, si munus Apolline dignum
uis conplere libris et uatibus addere calcar,
ut studio maiore petant Helicona uirentem.
multa quidem nobis facimus mala saepe poetae
(ut uineta egomet caedam mea), cum tibi librum
sollicito damus aut fesso; cum laedimur, unum
siquis amicorum est ausus reprehendere uersum;
cum loca iam recitata reuoluimus inreuocati;
cum lamentamur, non adparere labores

legit, nimio, *quod nec displicet .... reliqui lib. scripti sequuntur uulgatam lectionem' Cruquius* — 1210 at cor *A* — 1211 laeua *A* — . 1215 cum] quae *D Cruquiana*. — 1216 extensum *D pr. m.* — 1218 inritat *A* — implet *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 1219 modo ponit] opponit *A* — 1222 cura ... breue *A* — redde] impende *e cod. Coll. Trin. Bentleius* — 1223 complere *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 1224 elicona *A* — 1228 reprehendere *AD*. reprendere *Bentleius*. 'reprehendere. *sic in omnibus scrip. legitur' Cruquius* — 1229 irreuocati *Cruquiana*. inreuocati *DA* — 1230 apparere *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 1232 speramus item fore uenturum *D*

nostros et tenui deducta poemata filo;
cum speramus eo rem uenturam ut, simul atque
carmina rescieris nos fingere, commodus ultro
arcessas et egere uetes et scribere cogas:
sed tamen est operae pretium cognoscere, qualis
aedituos habeat belli spectata domique
uirtus, indigno non conmittenda poetae.
gratus Alexandro regi magno fuit ille
Choerilus, incultis qui uersibus et male natis
rettulit acceptos, regale nomisma, Philippos.
sed ueluti tractata notam labemque remittunt
atramenta, fere scriptores carmine foedo
splendida facta linunt. idem rex ille, poema
qui tam ridiculum tam care prodigus emit,
edicto uetuit nequis se praeter Apellen
pingeret aut alius Lysippo duceret aera
fortis Alexandri uoltum simulantia. quodsi
iudicium subtile uidendis artibus illud
ad libros et ad haec Musarum dona uocares,
Boeotum in crasso iurares aere natum.
at neque dedecorant tua de se iudicia atque
munera, quae multa dantis cum laude tulerunt,
dilecti tibi Vergilius Variusque poetae,
nec magis expressi uoltus per aenea signa,
quam per uatis opus mores animique uirorum
clarorum adparent. nec sermones ego mallem

— 1235 qualeis *Cruquiana*. quales *A Orelliana* 3 — 1237 committenda *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1239 Choerilos *Bentleius* — 1240 retulit *A* — nomisma *AD*. numisma *Cruquiana* — 1243 linunt *om. A* — 1245 Apellen *AD Bentleius*. Apellem *Cruquiana* — 1246 cuderet *de Lambini coniectura Bentleius*. ducere *A* — 1253 Vergilius *D*. Virgilius *A Cruquiana* — Variusque *A*. Varusque *D*. 'Variusq. *Blandin. antiquiss. cum Mart. Busl. Tons. Diu. Sil. habent* Varusque. *reliqui consonant uulgatis' Cruquius* — 1256 apparent *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — mallem] laudo *A*

repentis per humum quam res conponere gestas,
terrarumque situs et flumina dicere et arcis
montibus inpositas et barbara regna, tuisque
auspiciis totum confecta duella per orbem,
claustraque custodem pacis cohibentia Ianum,
et formidatam Parthis te principe Romam,
si quantum cuperem, possem quoque: sed neque paruum
carmen maiestas recipit tua, nec meus audet
rem temptare pudor quam uires ferre recusent.
sedulitas autem, stulte quem diligit, urguet,
praecipue cum se numeris commendat et arte:
discit enim citius meminitque libentius illud
quod quis deridet quam quod probat et ueneratur.
nil moror officium quod me grauat; ac neque ficto
in peius uoltu proponi cereus usquam,
nec praue factis decorari uersibus opto,
ne rubeam pingui donatus munere et una
cum scriptore meo capsa porrectus operta
deferar in uicum uendentem tus et odores
et piper et quidquid chartis amicitur ineptis.

1257 repenteis *Cruquiana*. repentes *A Orelliana* 3 — componere *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1258 arceis *Cruquiana*. artes *A*. arces *Orelliana* 3 — 1259 impositas *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1265 tentare *Cruquiana*, *Orelliana* 3. temptare *A* — 1266 autem, stulte quem diligit *Cruquiana*. autem stulte, quem diligit *Bentleius*, *Orelliana* 3 — urguet *A* — 1268 discit *A Orelliana* 3. 'discit enim. *antiquiss. Bland. legit*, discet enim' *Cruquius* — 1272 decorare *A* — 1274 protectus *Lexicon Latinitatis Ang. Maii p.* 124 — operta *AD Cruquiana*, *Bentleius*. aperta *alii codices* — 1275 tus *A Cruquiana*. thus *Orelliana* 3 — 1276 'ineptis. *Sil. cod. habet* inemtis' *Cruquius*

EPISTVLA II.

Flore, bono claroque fidelis amice Neroni,
siquis forte uelit puerum tibi uendere natum
Tibure uel Gabiis et tecum sic agat, 'hic et
candidus et talos a uertice pulcher ad imos
fiet eritque tuus nummorum milibus octo,
uerna ministeriis ad nutus aptus erilis,
litterulis Graecis imbutus, idoneus arti
cuilibet, argilla quiduis imitaberis uda;
quin etiam canet indoctum, sed dulce bibenti.
multa fidem promissa leuant, ubi plenius aequo
laudat uenalis qui uolt extrudere mercis.
res urguet me nulla: meo sum pauper in aere.
nemo hoc mangonum faceret tibi: non temere a me
quiuis ferret idem. semel hic cessauit et, ut fit,
in scalis latuit metuens pendentis habenae:
des nummos, excepta nihil te si fuga laedit:'
ille ferat pretium poenae securus, opinor.
prudens emisti uitiosum; dicta tibi est lex:
insequeris tamen hunc et lite moraris iniqua.

Epistola II. Ad Iulium Florum *Cruquiana* — 1281 milibus *D Cruquiana.* millibus *A alii* — 1282 heriles *A.* eriles *D.* herileis *Cruquiana* — 1283 arte *A* — 1284 quiduis *D* — imitaberis *A*, *D pr. m.*, *Bentleius.* imitabitur *D corr.* 'imitaberis. *sic habent omnes Blandin. Buslid. Diuae. Silu. atque ita legendum censeo' Cruquius* — 1286 fide *A* — 1287 uenaleis ... merceis *Cruquiana.* uenales ... merces *A Orelliana* 3 — extrudere *A Orelliana* 3. 'extrudere. 4. *Blandin. Tonsa. Martin. Silu. habent* excludere, *quod mihi magis apparet uendendis mercibus idoneum' Cruquius* — 1288 resurget *A.* res urget *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1290 semel ut *A* — 1292 laedat *A Orelliana* 3. 'laedat. *cod. Blandin. antiquiss. habet*, laedit' *Cruquius.* laedit *Bentleius* — 1293 feret *Cruquiana* (*sed in adnotationibus legitur*, ferat) — 1294 emisit *A* — tibi lex *AD.* tibi est lex *Cruquiana*

dixi me pigrum proficiscenti tibi, dixi
talibus officiis prope mancum, ne mea saeuus
iurgares ad te quod epistula nulla rediret.
quid tum profeci, mecum facientia iura
si tamen attemptas? quereris super hoc etiam, quod
expectata tibi non mittam carmina mendax.
Luculli miles conlecta uiatica multis
aerumnis, lassus dum noctu stertit, ad assem
perdiderat: post hoc uehemens lupus, et sibi et hosti
iratus pariter, ieiunis dentibus acer,
praesidium regale loco deiecit, ut aiunt,
summe munito et multarum diuite rerum.
clarus ob id factum donis ornatur opimis,
accipit et bis dena super sestertia nummum.
forte sub hoc tempus castellum euertere praetor
nescio quod cupiens hortari coepit eundem
uerbis quae timido quoque possent addere mentem:
'i, bone, quo uirtus tua te uocat, i pede fausto,
grandia laturus meritorum praemia. quid stas?'
post haec ille catus, quantumuis rusticus, 'ibit,
ibit eo quo uis qui zonam perdidit' inquit.
Romae nutriri mihi contigit atque doceri
iratus Grais quantum nocuisset Achilles.
adiecere bonae paullo plus artis Athenae,
scilicet ut uellem curuo dignoscere rectum

1298 epistola *A Orelliana* 3. 'epistola. *antiquiss. Blandin. habet* epistula' *Cruquius* — rediret *AD.* ueniret. 4. *Blandin. Tonsa. Martin. habent*, rediret; *iudicet lector' Cruquius.* ueniret *Bentleius tacite* — 1300 attemptas *A.* attentas *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1301 expectata *A* — 1302 collecta *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1303 nocte *A* — 1308 opimis *A.* honestis *Orelliana* 3. 'honestis. *Bland. antiquiss. habet*, opimis' *Cruquius* — 1312 'mentem. *Bland. antiquiss. habet*, mentis *et fortasse rectius*, *pro* animis' *Cruquius* (*fortasse scripsit poeta*, timidis quoque possent addere mentis *ut apud Verg. Aen. XII* 609 *est:* demittunt mentes) — 1318 Grais *AD.* Graiis *Cruquiana* — 1320 uellem *A.* possem *D Cruquiana*,

atque inter siluas Academi quaerere uerum.
dura sed emouere loco me tempora grato,
ciuilisque rudem belli tulit aestus in arma
Caesaris Augusti non responsura lacertis.
unde simul primum me dimisere Philippi,
decisis humilem pinnis inopemque paterni
et laris et fundi paupertas inpulit audax
ut uersus facerem: sed quod non desit habentem
quae poterunt umquam satis expurgare cicutae,
ni melius dormire putem quam scribere uersus?
singula de nobis anni praedantur euntes;
eripuere iocos, Venerem, conuiuia, ludum;
tendunt extorquere poemata: quid faciam uis?
denique non omnes eadem mirantur amantque:
carmine tu gaudes, hic delectatur iambis,
ille Bioneis sermonibus et sale nigro.
tres mihi conuiuae prope dissentire uidentur,
poscentes uario multum diuersa palato.
quid dem? quid non dem? renuis tu quod iubet alter;
quod petis, id sane est inuisum acidumque duobus.
praeter cetera me Romaene poemata censes
scribere posse inter tot curas totque labores?
hic sponsum uocat, hic auditum scripta, relictis
omnibus officiis: cubat hic in colle Quirini,
hic extremo in Auentino, uisendus uterque:

Bentleius — dinoscere *AD.* dignoscere *Cruquiana* — 1322 dura sed] duras *A* — emouere *AD.* ‘emouere lo. *sic ad unum omnes habent codic. scripti quos legi et habeo*’ *Cruquius.* amouere *codices aliquot Pulmanni et Feae* — 1325 primum semel *A* — 1326 derisis *A* — 1327 impulit *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1329 ‘expurgare cicutae. *sic habent omnia scripta quae legi, sine ulla litura; quare mihi religio fuerit τὸ cicutae suo loco mouere, quod tamen a Lambino factum est*’ *Cruquius* — 1330 ne *Cruquiana* — 1333 faciam uis] faciamus *A* — 1339 tu, quod *AD Cruquiana.* quod tu *Bentleius* — 1340 id] ad *A* — 1345 Aduentino *A*

interualla uides humane commoda. uerum
purae sunt plateae, nihil ut meditantibus obstet.
festinat calidus mulis gerulisque redemptor,
torquet nunc lapidem nunc ingens machina tignum,
tristia robustis luctantur funera plaustris,
hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus:
i nunc et uersus tecum meditare canoros.
scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbis,
rite cliens Bacchi somno gaudentis et umbra:
tu me inter strepitus nocturnos atque diurnos
uis canere et cantata sequi uestigia uatum?
ingenium, sibi quod uacuas desumpsit Athenas
et studiis annos septem dedit insenuitque
libris et curis, statua taciturnius exit
plerumque et risu populum quatit: hic ego rerum
fluctibus in mediis et tempestatibus urbis
uerba lyrae motura sonum conectere digner?

1346 humane. *tres Blandin. habebant* humanae, *per* ae *diphtongum, sed in duobus nota diphtongi subscripta manifeste cernitur erasa. alii omnes habent* humane, *sine diphtongo' Cruquius.* humane *A Orelliana* 3. †humane *Meinekiana altera* — uerum *A D.* ᶜrerum purae sunt plateae. *sic legitur in Blandin. uno et Tonsano codice et genuina est lectio' Cruquius* — 1347 plures *A.* purae *Orelliana* 3. ᶜpurae. *sic habent omnes praeter Mart. cod. qui sequitur uulgatam lectionem' Cruquius* — obstet *A Orelliana* 3. ᶜobsit. *sic Tons. et Silu. quos sequor sine ullo periculo' Cruquius* — 1351 fugit *A D Cruquiana.* furit *e cod. Fea* — 1353 urbeis *Cruquiana.* urbes *A.* urbem *D* (fugit urbis rite, cliens *distinguit Bentleius in Curis nouissimis*) — 1356 contacta *A D.* contracta *Orelliana* 3. non tacta *Bentleii coniectura.* ᶜcontacta. *sic habent tres Blandin. Diuae. Tons. Mart. Buslid. Silu. quos secutus sum. Blandin. antiquiss. legit*, cantata, *quod mihi in primis placet, cum hac adnotatione, ab aliis prius dicta. Nann. codex habet*, cunctata' *Cruquius*

— 1357 uacuis .. Athenas *A* — 1359 et curii statua *D* — 1362 conectere *A.* connectere *Cruquiana, Orelliana* 3. (*Cfr. Wag-*

frater erat Romae consulti rhetor, ut alter
alterius sermone meros audiret honores,
Gracchus ut hic illi, foret huic ut Mucius ille.
qui minus argutos uexat furor iste poetas?
carmina conpono, hic elegos. mirabile uisu
caelatumque nouem Musis opus! aspice primum,
quanto cum fastu, quanto molimine circum
spectemus uacuam Romanis uatibus aedem:
mox etiam, si forte uacas, sequere et procul audi,
quid ferat et qua re sibi nectat uterque coronam.
caedimur et totidem plagis consumimus hostem
lento Samnites ad lumina prima duello.
discedo Alcaeus puncto illius; ille meo quis?
quis nisi Callimachus? si plus adposcere uisus,
fit Mimnermus et optiuo cognomine crescit.
multa fero, ut placem genus inritabile uatum,
cum scribo et supplex populi suffragia capto:

neri Orthogr. Verg. p. 455 *et C. Lachmannum ad Lucret. p.* 136) — 1363 Pactus erat Romae consulto *Bentleii suspicio* — 1363 *et* 1364 *hic locus lacunosus uidetur Meinekio l. l. p. XXXVIIII sq. qui idem sic fortasse Horatium scripsisse putat:* frater erat Romae consulti rhetor [uterque || alterius laudum sic admirator] ut alter || alterius sermone meros audiret honores (*cfr. utramque Bentleii adnotationem*) — 1365 Grachus *A.* Crassus *Bentleii suspicio* — hic ut Mucius illi *D.* huic ut Mucius illi *A.* hic ut Mucius illi *Cruquiana* — 1366 ipse *A* — uersat *Bentleii coniectura* — 1367 compono *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 1368 sacratumque *Bentleii coniectura* — aspice *A* — 1371 uacas *AD.* 'si forte uacas. *omnes lib. scripti sic habent, non* uacat, *ut uulgati quidam' Cruquius* — 1372 et *om. A* — 1374 lumina prima *A Orelliana* 3. 'lumina prima. *duo Blandin. aperte habent,* prona. *sed antiquiss. per lituram,* lumina prima, *i. e. prima luce, ut uolunt aliqui, sed non apte ....' Cruquius* — 1376 adposcere *A Orelliana* 3. 'si plus adposcere. *codic. Tonsa. habet,* se attollere' *Cruquius* — 1377 Minermus *A* — crescat *D* — 1378 irritabile

idem, finitis studiis et mente recepta,
obturem patulas inpune legentibus auris.
ridentur mala qui conponunt carmina; uerum
gaudent scribentes et se uenerantur et ultro,
si taceas, laudant quidquid scripsere beati.
at qui legitimum cupiet fecisse poema,
cum tabulis animum censoris sumet honesti;
audebit, quaecumque parum splendoris habebunt
et sine pondere erunt et honore indigna ferentur,
uerba mouere loco, quamuis inuita recedant
et uersentur adhuc intra penetralia Vestae;
obscurata diu populo bonus eruet atque
proferet in lucem speciosa uocabula rerum,
quae priscis memorata Catonibus atque Cethegis
nunc situs informis premit et deserta uetustas;
adsciscet noua, quae genitor produxerit usus.
uehemens et liquidus puroque simillimus amni
fundet opes Latiumque beabit diuite lingua;
luxuriantia conpescet, nimis aspera sano
leuabit cultu, uirtute carentia tollet,
ludentis speciem dabit et torquebitur ut qui
nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa mouetur.
praetulerim scriptor delirus inersque uideri,
dum mea delectent mala me uel denique fallant,
quam sapere et ringi? fuit haud ignobilis Argis
qui se credebat miros audire tragoedos

A Cruquiana, Orelliana 3 — 1381 opdurem *A* — impune *A Cruquiana, Orelliana* 3 — aureis *Cruquiana.* aures *A Orelliana* 3 — 1382 componunt *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 1384 qtqd *A* — 1385 *ab hoc uersu nouam epistulam incipit A* — 1386 sumet Censoris *A* — 1388 feruntur *AD.* fruentur *Horkelius Anal. Hor. p.* 42 *sqq.* ferentur *Cruquiana; probat Meinekius l. l. p. XL* — 1395 adsciscet *A Orelliana* 3. asciscet *Cruquiana* — 1396 uehemens *AD Cruquiana.* uemens *editt. Weidm. et Meinek.* (*uid. C. Lachmannum ad Lucret. p.* 132 *et* 133) — 1398 compescet *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 1399 carentia *AD.* uirtute caren-

in uacuo laetus sessor plausorque theatro;
cetera qui uitae seruaret munia recto
more, bonus sane uicinus, amabilis hospes,
comis in uxorem, posset qui ignoscere seruis
et signo laeso non insanire lagenae,
posset qui rupem et puteum uitare patentem.
hic ubi cognatorum opibus curisque refectus
expulit elleboro morbum bilemque meraco,
et redit ad sese, 'pol me occidistis, amici,
non seruastis' ait, 'cui sic extorta uoluptas
et demptus per uim mentis gratissimus error.'
nimirum sapere est abiectis utile nugis,
et tempestiuum pueris concedere ludum,
ac non uerba sequi fidibus modulanda Latinis,
sed uerae numerosque modosque ediscere uitae.
quocirca mecum loquor haec tacitusque recordor:
si tibi nulla sitim finiret copia lymphae,
narrares medicis: quod quanto plura parasti,
tanto plura cupis, nulline faterier audes?
si uolnus tibi monstrata radice uel herba
non fieret leuius, fugeres radice uel herba
proficiente nihil curarier: audieras, cui
rem di donarent, illi decedere prauam
stultitiam, et cum sis nihilo sapientior ex quo
plenior es, tamen uteris monitoribus isdem?
at si diuitiae prudentem reddere possent,

tia. 4. *Blandin. habent*, calentia, *quos Comment. ex antiquis illis scriptis sequitur' Cruquius* — 1403 delectant *A* — 1404 fuit haud] haec aut *A* — 1409 possit *A*, *item uersu* 1411 — 1410 lagoenae *A* — 1413 helleboro *Cruquiana*, *Orelliana* 3. elleboro *A* (*cfr. Wagneri Orthogr. Verg. p.* 433) — bilem morbumque *A* — 1416 demtus *Cruquiana.* demptus *A Orelliana* 3 — 1428 dii *Cruquiana* — donarent *AD Cruquiana.* donarint *Bentleii coniectura* — 1430 rationibus *D.* monitoribus *A Cruquiana* — iisdem *Cruquiana*

si cupidum timidumque minus te, nempe ruberes,
uiueret in terris te siquis auarior uno.
si proprium est quod quis libra mercatus et aere est,
quaedam, si credis consultis, mancipat usus;
qui te pascit ager, tuus est, et uilicus Orbi,
cum segetes occat tibi mox frumenta daturas,
te dominum sentit. das nummos, accipis uuam,
pullos, oua, cadum temeti. nempe modo isto
paullatim mercaris agrum, fortasse trecentis
aut etiam supra nummorum milibus emptum.
quid refert, uiuas numerato nuper an olim?
emptor Aricini quondam Veientis et arui
emptum cenat holus, quamuis aliter putat; emptis
sub noctem gelidam lignis calefactat aenum:
sed uocat usque suum, qua populus adsita certis
limitibus uicina refugit iurgia; tamquam
sit proprium quicquam, puncto quod mobilis horae
nunc prece, nunc pretio, nunc ui, nunc morte suprema
permutet dominos et cedat in altera iura.
sic quia perpetuus nulli datur usus et heres
heredem alterius uelut unda superuenit undam,
quid uici prosunt aut horrea? quidue Calabris

1434 mercatur et aere *AD*. ᶜmercatus et aere est. *sic cod. antiquiss. Bland. alii tres*, quicquid libra mercatur et aere. *alii sequuntur lectionem uulgatam' Cruquius.* mercatus et aere est *Bentleius* — 1435 mancipit *A* — 1436 uillicus *A Cruquiana*, *Orelliana* 3 —f Orbi] agri *D corr.* — 1437 daturus *AD*. daturas *Bentleius*. ᶜdaturas. *sic habent* 4. *Blandin. Tons. Silu. et genuina est lectio' Cruquius* — 1440 terrentis *A* — 1441 millibus *A* — 1443 Aricini *A*. Arricini *Cruquiana* — quoniam *D*. quō *A*. ᶜArricini quoniam Veientis. quoniam, *habent omnes scripti libri quos uidi praeter Mart. qui uulgatam sequitur' Cruquius* — Veientis et arui *A*. Veientis et agri *D*. ᶜVeientis et arui. *Cod. Tosanus habet*, Veientis auiti' *Cruquius* — 1444 emptor̃ .. holus *A* — 1447 refigit *e codicibus Lambini aliquot Bentleius*. refringit *coniecit Horkelius Anal. Hor. p.* 134 *sqq. recepit nuper Meinekius* — 1448 ᶜsit

saltibus adiecti Lucani, si metit Orcus
grandia cum paruis, non exorabilis auro?
gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas,
argentum, uestis Gaetulo murice tinctas,
sunt qui non habeant, est qui non curat habere.
cur alter fratrum cessare et ludere et ungui
praeferat Herodis palmetis pinguibus, alter
diues et inportunus ad umbram lucis ab ortu
siluestrem flammis et ferro mitiget agrum,
scit Genius, natale comes qui temperat astrum,
naturae deus humanae, mortalis in unum
quodque caput, uoltu mutabilis, albus et ater.
utar et ex modico quantum res poscet aceruo
tollam, nec metuam quid de me iudicet heres,
quod non plura datis inuenerit: et tamen idem
scire uolam, quantum simplex hilarisque nepoti
discrepet et quantum discordet parcus auaro.
distat enim, spargas tua prodigus an neque sumptum
inuitus facias neque plura parare labores,
ac potius, puer ut festis quinquatribus olim,
exiguo gratoque fruaris tempore raptim.
pauperies inmunda modo procul absit: ego utrum

proprium quicquam. *sic habent omnia scripta' Cruquius.* s. pr. quicquam *A.* s. pr. quidquam *Orelliana* 3 — 1449 sorte suprema *Cruquiana.* morte suprema *AD* — 1451 si quia *D* — haeres *Cruquiana* — 1452 alternis *Bentleii coniectura, nuper in codice Louaniensi reperta* — 1457 uesteis *Cruquiana.* uestes *A Orelliana* 3 — 1458 et qui *A* — curat *AD Cruquiana.* curet *alii* — 1459 ungi *Cruquiana, Orelliana* 3. ungui *A* — 1461 importunus *A Cruquiana, Orelliana* 3 — 1463 temperet *A* — 1469 uolo *A* — 1475 immunda domus procul *AD Cruquiana.* immunda procul procul *ex uno Pulmanni Bentleius.* immunda procul precor *Bentleii suspicio.* inmunda .. procul *sic Meinekius; sed idem l. l. p. XL dicit: 'uersu* 199 *recipienda erat I. M. Gesneri emendatio* pauperies inmunda modo procul absit.' (*'Antiquissimus Bland. totus ad finem huius epistolae partim oblitteratus est partim lucera-*

naue ferar magna an parua, ferar unus et idem.
non agimur tumidis uelis aquilone secundo,
non tamen aduersis aetatem ducimus austris,
uiribus, ingenio, specie, uirtute, loco, re
extremi primorum, extremis usque priores.
non es auarus: abi. quid? cetera iam simul isto
cum uitio fuge rite. caret tibi pectus inani
ambitione? caret mortis formidine et ira?
somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
nocturnos lemures portentaque Thessala rides?
natalis grate numeras? ignoscis amicis?
lenior et melior fis accedente senecta?
quid te exempta leuat spinis de pluribus una?

tus' Cruquius) — 1478 'non tamen aduersis. *Busl. habet*, auersis' *Cruquius* — 1481 'non es auarus? abi quid caetera. *locus hic uarie legitur, praeter duos Bland. omnes quos legi scripti habent* non est auarus? *cum interrogationis nota.* abi. quid caetera? *cum interrogatione' Cruquius* — iam cetera *A* — 1482 cum uitio fuge. Rite caret tibi *D.* cum uitio fuge rite caret pectus inani *A cum lacuna post* caret *uocem.* cum uitio fuge rite. caret *Bentleius in Curis nouissimis.* 'iam simul isto cum uitio fuge. rite caret, etc. *sine interrogationis nota eo usque*, quid te exempta *etc. Sed nec una in omnibus est interpunctio. nam duo Bland. Busl. Nan. Tons. habent*, non es auarus? abi: quid caetera? iam simul isto cum uitio fuge. rite caret *etc. assertiue. Diuae. et Mart.* non es auarus? abi. quid? caetera iam simul isto cum uitio fuge *etc. duo Bland.* quod caetera iam simul isto cum uitio fuge. *uulgati nuper habent*, non es auarus, *sine nota interrogationis.* abi. quid caetera? iam simul isto cum uitio fugere? caret tibi pectus inani ambitione? *etc. singula cum interrogatione, usque ad eum uersum*, uiuere si recte nescis *etc. ..... omnia scripta habent*, fuge rite caret' *Cruquius.* cum uitio fugere? Caret *editores recentiores fere omnes* — 1486 nataleis *Cruquiana.* natales *A Orelliana* 3. 'natales. *Mart. et Sil. habent*, fataleis' *Cruquius* — 1488 iuuat *AD.* leuat *Bentleius.* 'quid te exemta leuat spinis de pluribus una? *sic habent cod. Bland. tres per interrogationis notam'*

uiuere si recte nescis, decede peritis.
lusisti satis, edisti satis atque bibisti:
tempus abire tibi est, ne potum largius aequo
rideat et pulset lasciua decentius aetas.

Cruquius — 1492 pulset *A Orelliana* 3. 'pulset. *codic. unus Blandin. habet adnotatum: alii legunt*, plaudat' *Cruquius* — 'finiunt sermones horatii metro' *subscripsit in codice A manus recentior*

Q. HORATII FLACCI
DE ARTE POETICA
LIBER.

Humano capiti ceruicem pictor equinam
iungere si uelit et uarias inducere plumas
undique conlatis membris, ut turpiter atrum
desinat in piscem mulier formosa superne,
spectatum admissi risum teneatis amici?
credite, Pisones, isti tabulae fore librum
persimilem cuius uelut aegri somnia uanae
fingentur species, ut nec pes nec caput uni
reddatur formae. PICTORIBVS atque poetis
quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.
scimus, et hanc ueniam petimusque damusque uicissim;

Epistola libri secundi tertia, ad Pisones de arte poetica' *Cruquiana.* Q. Horatii Flacci de arte poetica liber *Orelliana* 3. *Deest tota epistula in codice A* — 2 *hunc uersum om. C* — plumas] formas *Bentleii suspicio* — 3 conlatis *B* — 5 missi *B.* ad missi *D* — 7 aegri *Orelliana* 3. 'aegri. *unus cod. Blandin. habet*, aegris. *sed arbitror* s *litteram ei adrepsisse a* τῷ somnia *proxime sequenti, non enim uidetur ei aptanda; reliqui lib. scripti sequuntur lectionem uulgatam' Cruquius* — 8 funguntur *C* — 12 immitis *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 13 acni *C* — 16 adsuitur *Orelliana* 3. assuitur *Cruquiana* — 19 non nunc *C* — 23 sit *om. C* — quod uis *BCD Cruquiana.* quid uis *Orelliana* 3,

sed non ut placidis coeant inmitia, non ut
serpentes auibus geminentur, tigribus agni.
inceptis grauibus plerumque et magna professis
purpureus, late qui splendeat, unus et alter
adsuitur pannus cum lucus et ara Dianae
et properantis aquae per amoenos ambitus agros,
aut flumen Rhenum, aut pluuius describitur arcus.
sed nunc non erat his locus. et fortasse cupressum
scis simulare: quid hoc, si fractis enatat exspes
nauibus, aere dato qui pingitur? amphora coepit
institui: currente rota cur urceus exit?
denique sit quiduis, simplex dumtaxat et unum.
maxima pars uatum, pater et iuuenes patre digni,
decipimur specie recti: breuis esse laboro,
obscurus fio; sectantem leuia nerui
deficiunt animique; professus grandia turget;
serpit humi tutus nimium timidusque procellae;
qui uariare cupit rem prodigialiter unam,
delphinum siluis adpingit, fluctibus aprum.
IN uitium ducit culpae fuga, si caret arte.
Aemilium circa ludum faber unus et unguis
exprimet et mollis imitabitur aere capillos,
infelix operis summa, quia ponere totum
nesciet. hunc ego me, siquid conponere curem,
non magis esse uelim quam naso uiuere prauo,

Bentleius — 25 recti specie *B* — 26 leuia *BCD Cruquiana.* lenia *Bentleius, qui tamen in Curis nouissimis rursus praetulit* leuia — 27 animusque *D corr.* — 29 unam *Cruquiana, Orelliana* 3. (*forlasse scribendum est* una *et comma ponendum post* rem *uocem*) — 30 Delfianum *C* — appingit *Cruquiana, Orelliana* 3 *ut us.* 35 componere — 32 imus *BCD Cruquiana.* unus *e codice Oxoniensi Bentleius et post eum editores fere omnes.* inritus *coniecit Horkelius Anal. Hor. p.* 60 *sqq.* — ungueis *Cruquiana.* ungues *Orelliana* 3 — 33 mollis *C.* molleis *Cruquiana* — 34 infelix operis, summa: quia *Bentleius* — 35 nesciet *Cruquiana.* nescit *C.* nesciat *D pr. m.* — egomet *B* — 36 prauo uiuere

spectandum nigris oculis nigroque capillo.
SVMITE materiam uestris, qui scribitis, aequam
uiribus, et uersate diu, quid ferre recusent,
quid ualeant umeri. cui lecta potenter erit res,
nec facundia deseret hunc nec lucidus ordo.
ordinis haec uirtus erit et uenus, aut ego fallor,
ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici,
pleraque differat et praesens in tempus omittat;
in uerbis etiam tenuis cautusque serendis,
hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.
dixeris egregie, notum si callida uerbum
reddiderit iunctura nouum. si forte necesse est
indiciis monstrare recentibus abdita rerum et
fingere cinctutis non exaudita Cethegis,
continget dabiturque licentia sumpta pudenter.
et noua fictaque nuper habebunt uerba fidem, si
Graeco fonte cadent, parce detorta. quid autem
Caecilio Plautoque dabit Romanus ademptum
Vergilio Varioque? ego cur, adquirere pauca
si possum, inuideor? cum lingua Catonis et Enni

naso *Cruquiana* — 37 spectatum *D* — nigroue *C* — 38 materiam iā mr̄ *C* — 40 pudenter *coniecit Marklandus ad Stat. Silu. IV* 8, 24 — 42 haud ego *C* — 43 dicat, iam nunc debentia dici pleraque *distinguunt Cruquiana, Bentleius* — 46 spernet *C* — 45 *et* 46 *hos uersus transposuit Bentleius coniectura; nostrum ordinem seruant B C D Cruquiana* — 47 dixerit *C* — 49 rerum et *B D.* rerum *Orelliana* 3, *Bentleius.* rerum et. *sic habent omnes scripti cod.' Cruquius* — 52 factaque *e Ge. Fabricii codicibus Bentleius* — 53 cadent *C B.* cadant *D Cruquiana.* 'Graeco fonte cadent. *Omnes Blandin. cum Busl. et Sil. habent,* cadent, *sed Tons. et Mart.* cadunt, *Diu.* cadant' *Cruquius* — parce] arte *C* — 54 'dabit. *sic omnes lib. scripti. sed Bland. habent,* dabit, *pro dedit, adnotatum' Cruquius.* dabit *Orelliana* 3 — 55 Virgilio Varoque *D.* Virgilio Varoque *B.* Virgilio Varioque *Cruquiana* — acquirere *Cruquiana, Orelliana* 3 — 59 producere *B C D.* procudere *e paucis codicibus Bentleius.* 'producere

sermonem patrium ditauerit et noua rerum
nomina protulerit. licuit semperque licebit
signatum praesente nota producere nomen.
ut siluae foliis pronos mutantur in annos,
prima cadunt, ita uerborum uetus interit aetas,
et iuuenum ritu florent modo nata uigentque.
DEBEMVR morti nos nostraque: siue receptus
terra Neptunus classis aquilonibus arcet,
regis opus, sterilisue diu palus aptaque remis
uicinas urbis alit et graue sentit aratrum,
seu cursum mutauit iniquum frugibus amnis
doctus iter melius: MORTALIA facta peribunt,
nedum sermonum stet honos et gratia uiuax.
multa renascentur quae iam cecidere, cadentque
quae nunc sunt in honore uocabula, si uolet usus,
quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi.
res gestae regumque ducumque et tristia bella
quo scribi possent numero, monstrauit Homerus.
uersibus inpariter iunctis querimonia primum,
post etiam inclusa est uoti sententia compos.

sic est in omnibus script., non etiam procudere, *ut aliqui se inuenisse aiunt' Cruquius* — nomen] nummum *Fr. Luisino auctore Bentleius* — 60 ut folia in siluis *Diomedes p.* 394 *P.* ut siluis folia priuos *Bentleii coniectura.* nudantur *uel* uiduantur *idem malebat* — 62 uigentque *BCD Cruquiana.* uirentque *ex uno codice Fea, Meinekius.* uigentque *Bentleius* — 63 debemus *Priscian. I* 277 *Kr.* — 64 classeis *Cruquiana.* classes *Orelliana* 3 — 65 regium opus *non improbabile uidetur Meinekio l. l. p. XLII* — sterilisque *CD.* sterilisue *B Cruquiana, Bentleius* — sterilisue palus prius aptaque *Bentleii coniectura.* sterilisue palus diu aptaque remis *coniecit I. M. Gesnerus et post hunc Doederlinius; quam coniecturam Bentleiana probabiliorem iudicat idem Meinekius l. l.* — 66 urbeis *Cruquiana.* urbes *Orelliana* 3 — 68 facta] cuncta *Bentleii coniectura firmata a codice Galeano* — 72 ius] uis *B.* et ius. *sic omnes scrip. lib. non,* uis' *Cruquius* — 74 possunt *B pr. m.* — 75 impariter *Cruquiana, Orelliana* 3 — iunctis.

quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
grammatici certant, et adhuc sub iudice lis est.
Archilochum proprio rabies armauit iambo:
hunc socci cepere pedem grandesque cothurni,
alternis aptum sermonibus et popularis
uincentem strepitus et natum rebus agendis.
Musa dedit fidibus diuos puerosque deorum
et pugilem uictorem et equum certamine primum
et iuuenum curas et libera uina referre.
descriptas seruare uices operumque colores
cur ego si nequeo ignoroque poeta salutor?
cur nescire pudens praue quam discere malo?
uersibus exponi tragicis res comica non uolt:
indignatur item priuatis ac prope socco
dignis carminibus narrari cena Thyestae.
singula quaeque locum teneant sortita decentem.
interdum tamen et uocem comoedia tollit,
iratusque Chremes tumido delitigat ore;
et tragicus plerumque dolet sermone pedestri
Telephus et Peleus, cum pauper et exul uterque
proicit ampullas et sesquipedalia uerba,
si curat cor spectantis tetigisse querella.

uoti *B.* inclusa est uoti *C Cruquiana* — 81 popularis *C.* populareis *Cruquiana.* populares *Orelliana* 3 — 89 uult *Cruquiana.* uolt *Orelliana* 3 — 92 decenter *B D.* decentem *C Bentleius.* 'sortita decenter. *Bland. antiquiss. cum alio habet*, decentem' *Cruquius* — 95 pedestri. Telephus *distinguit Cruquiana* — 96 Telephus aut Peleus *Bentleii coniectura* — 97 proiicit *Cruquiana, Orelliana* 3 — 98 querella *D.* querela *Cruquiana, Orelliana* 3. (*uid. Wagnerum de Orthogr. Verg. p.* 467 *et C. Lachmannum ad Lucret. p.* 204) — 101 adsunt *B C D Cruquiana.* adflent *e grammatico anonymo Bibliothecae Vigorniensis Bentleius* — 103 tum *C* — 104 mala *B pr. m.* — 109 atque inpellit *B.* aut impellit *Cruquiana, Orelliana* 3 — 113 equites patresque '*librariorum populo ualere iusso*' *Bentleius* — 114 diuosne *antiqua scriptura C.*

non satis est pulchra esse poemata: dulcia sunto
et quocumque uolent animum auditoris agunto.
ut ridentibus adrident, ita flentibus adflent
humani uoltus. SI uis me flere, dolendum est
primum ipsi tibi: tunc tua me infortunia laedent,
Telephe uel Peleu: male si mandata loqueris,
aut dormitabo aut ridebo. TRISTIA maestum
uoltum uerba decent, iratum plena minarum,
ludentem lasciua, seuerum seria dictu.
format enim natura prius nos intus ad omnem
fortunarum habitum; iuuat aut inpellit ad iram,
aut ad humum maerore graui deducit et angit:
post ecfert animi motus interprete lingua.
si dicentis erunt fortunis absona dicta,
Romani tollent equites peditesque cachinnum.
intererit multum diuosne loquatur an heros,
maturusne senex an adhuc florente iuuenta
feruidus, et matrona potens an sedula nutrix,
mercatorne uagus cultorne uirentis agelli,
Colchus an Assyrius, Thebis nutritus an Argis.
aut famam sequere aut sibi conuenientia finge.
scriptor honoratum si forte reponis Achillem,

a diuusne *BD.* ᶜdiuosne loquatur an heros. *hic uersus uarie legitur ..... mihi certe probantur codices Blandin. ex quibus duo habent* diuosne (o *pro* u *ut saepius in antiquis scriptis*) loquatur an heros. *tertius*, diuusne loquatur an heros. *Sed non celabo lectorem, me ante annos non paucos in bibliotheca Tonsana offendisse codicem scriptum, cui titulus erat, Alphabetatum ex scriptis Horatii, Catonis et Theoduli, praeter alias nugas, qui satis uidebatur antiquus; ubi legi hunc de quo agimus uersum sic scriptum aperte:* Intererit multum Dauusne loquatur an haeres' *Cruquius* — 116 an matrona *Cruquiana.* et matrona *BCD Bentleius* — 117 ᶜuirentis. *unus Bland. habet* uigentis' *Cruquius.* uirentis *Orelliana* 3 — 119 *et* 120 finge. scriptor honoratum *Orelliana* 3. finge scriptor. Homereum *Bentleii coniectura:* finge scriptor. Honoratum *Cruquiana*

inpiger, iracundus, inexorabilis, acer
iura neget sibi nata, nihil non adroget armis.
sit Medea ferox inuictaque, flebilis Ino,
perfidus Ixion, Io uaga, tristis Orestes.
siquid inexpertum scaenae conmittis et audes
personam formare nouam, seruetur ad imum
qualis ab incepto processerit, et sibi constet.
difficile est proprie communia dicere; tuque
rectius Iliacum carmen deducis in actus,
quam si proferres ignota indictaque primus.
publica materies priuati iuris erit, si
non circa uilem patulumque moraberis orbem,
nec uerbo uerbum curabis reddere fidus
interpres, nec desilies imitator in artum,
unde pedem proferre pudor uetet aut operis lex.
nec sic incipies, ut scriptor cyclicus olim,
'fortunam Priami cantabo et nobile bellum.'
quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
PARTVRIENT montes, nascetur ridiculus mus.
quanto rectius hic qui nil molitur inepte:
'dic mihi, Musa, uirum, captae post tempora Troiae
qui mores hominum multorum uidit et urbis.'
non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,
Antiphaten Scyllamque et cum Cyclope Charybdin.

121 impiger *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 122 negat *B pr. m.* — arrogat *B pr. m.* — 123 Media *C* — 132 nec circa *Cruquiana*. non circa *Orelliana* 3 — 133 uerbo uerbum *BCD*. uerbum uerbo *Cruquiana*, *Bentleius* — 134 disilies *C* — 136 cyclicus *BD Cruquiana*. cyclius *C Bentleius* (*uide Welckerum cycl. epic. p.* 117) — 137 cantarat nobile *C* — 139 parturient *BCD Cruquiana*. parturiunt *Bentleius* — 141 tempora] moenia *e codicibus Bentleius*. funera *eiusdem suspicio dubia* — 142 urbeis *Cruquiana*. urbes *Orelliana* 3 — 145 Antiphatem *Cruquiana* — Circamque *Bentleii coniectura* — Charybdim *BC Cruquiana*. Charybdin *Orelliana* 3 — 152 imum] unum *C* — 154 si

nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo:
semper ad euentum festinat et in medias res
non secus ac notas auditorem rapit, et quae
desperat tractata nitescere posse, relinquit,
atque ita mentitur, sic ueris falsa remiscet,
primo ne medium, medio ne discrepet imum.
tu quid ego et populus mecum desideret audi:
si plausoris eges aulaea manentis et usque
sessuri, donec cantor 'uos plaudite' dicat,
aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores,
mobilibusque decor naturis dandus et annis.
reddere qui uoces iam scit puer et pede certo
signat humum, gestit paribus conludere et iram
conligit ac ponit temere et mutatur in horas.
inberbus iuuenis, tandem custode remoto,
gaudet equis canibusque et aprici gramine campi,
cereus in uitium flecti, monitoribus asper,
utilium tardus prouisor, prodigus aeris,
sublimis cupidusque et amata relinquere pernix.
conuersis studiis aetas animusque uirilis
quaerit opes et amicitias, inseruit honori,
commisisse cauet quod mox mutare laboret.
multa senem circumueniunt incommoda, uel quod
quaerit et inuentis miser abstinet ac timet uti,

plausoris
plosori seges *C*. si plus oris eges *B*. si plausoris eges *Cruquiana*, *Orelliana* 3. si fautoris eges *Bentleii coniectura*. 'si plausoris. *Bland. uetust. habet*, plosoris' *Cruquius*. spectatoris eges *omissa* si *particula scribendum uidetur Meinekio l. l. p. XLII sq.* — 155 sessori *C* — 157 nobilibus *C* — naturis *BC Cruquiana*. maturis *D Bentleius* — 159 humum et gestit *C* — 160 hora *C* — 161 imberbis *BCD*. imberbus *Bentleius*. 'imberbus iuuenis. *sic habet cod. Bland. antiq. quem secutus sum ex auctoritate Sosipat. Carisii lib.* 1. *instit. Gramm.* .....' *Cruquius* — 168 quod permutare *B*. quod mox mutare *CD Cruquiana*

uel quod res omnis timide gelideque ministrat,
dilator, spe longus, iners, auidusque futuri,
difficilis, querulus, laudator temporis acti
se puero, castigator censorque minorum.
multa ferunt anni uenientes commoda secum,
multa recedentes adimunt: ne forte seniles
mandentur iuueni partes pueroque uiriles.
semper in adiunctis aeuoque morabimur aptis.
aut agitur res in scaenis aut acta refertur.
segnius inritant animos demissa per aurem
quam quae sunt oculis subiecta fidelibus et quae
ipse sibi tradit spectator. non tamen intus
digna geri promes in scaenam, multaque tolles
ex oculis quae mox narret facundia praesens,
ne pueros coram populo Medea trucidet,
aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,
aut in auem Procne uertatur, Cadmus in anguem.
quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.
neue minor neu sit quinto productior actu
fabula quae posci uolt et spectata reponi.
nec deus intersit, nisi dignus uindice nodus
inciderit: nec quarta loqui persona laboret.
actoris partis chorus officiumque uirile

171 omneis *Cruquiana*. omnes *Orelliana* 3 — 172 delator *C* — longus] lentus *Bentleii coniectura* — auidusque *BCD Cruquiana*. pauidusque *Bentleii coniectura* — 174 censor castigatorque *Cruquiana* — 176 seniles] uiriles *C* — 178 morabitur *BC*. morabimur *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — apti *C* — 180 irritant *Cruquiana*, *Orelliana* 3. inritant *C* — dimissa *B* — 185 ne *BCD Bentleius*. nec *Cruquiana* — 189 sit neu quinto *D* — 190 et spectanda *D*. et exspectanda *C*. et spectata *B Cruquiana* — 193 actoris partes *Orelliana* 3. 'actoris parteis chorus. *omnes quos uidi codices scriptos, habent* actoris parteis' *Cruquius*. auctoris partes *codices haud pauci* — 194 quod *B* — intercidat *B*. intercinat *CD Cruquiana* — 196 'consilietur amice. *sic legitur per* s *litteram, in omnibus scriptis quae secutus sum*'

defendat, neu quid medius intercinat actus
quod non proposito conducat et haereat apte.
ille bonis faueatque et consilietur amice,
et regat iratos, et amet peccare timentis,
ille dapes laudet mensae breuis, ille salubrem
iustitiam legesque et apertis otia portis,
ille tegat conmissa, deosque precetur et oret
ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.
tibia non ut nunc orichalco uincta tubaeque
aemula, sed tenuis simplexque foramine pauco
aspirare et adesse choris erat utilis atque
nondum spissa nimis conplere sedilia flatu:
quo sane populus numerabilis, utpote paruus,
et frugi castusque uerecundusque coibat.
postquam coepit agros extendere uictor et urbis
latior amplecti murus uinoque diurno
placari Genius festis inpune diebus,
accessit numerisque modisque licentia maior.
indoctus quid enim saperet liberque laborum,
rusticus urbano confusus, turpis honesto?
sic priscae motumque et luxuriem addidit arti
tibicen traxitque uagus per pulpita uestem;
sic etiam fidibus uoces creuere seueris,

Cruquius. consilietur *Orelliana* 3 — 197 peccare timentes *BCD.* ʿpeccare timenteis. *codex Busl. habet*, pacare' *Cruquius.* pacare auri tumentes *Bentleius et post cum editores fere omnes* — 202 oricalcho *C* — uincta *BCD.* ʿuincta. *uariant hic cod. scripti. duo Bland. habent cum Diu. et Tons.* iuncta. *Bland. antiq. cum reliquis omnibus legunt*, uincta, *quibus assentior*' *Cruquius.* iuncta paruo *Bentleius* — 203 pauco *C.* paruo *B.* pauco *D.* ʿpauco. *duo Bland. habent*, paruo' *Cruquius* — 204 aspirare *CD Cruquiana.* adspirare *Orelliana* 3 — 206 utpute *B* — 208 urbem *Cruquiana, Bentleius.* urbes *BCD* — 209 laxior *Bentleii coniectura* — implecti *C* — 210 impune *Cruquiana, Orelliana* 3 — 214 ʿsic. *unus cod. Bland. in hoc et sequenti uersu habet pro* sic, hic' *Cruquius*

et tulit eloquium insolitum facundia praeceps,
utiliumque sagax rerum et diuina futuri
sortilegis non discrepuit sententia Delphis.
carmine qui tragico uilem certauit ob hircum,
mox etiam agrestis Satyros nudauit et asper
incolumi grauitate iocum temptauit eo, quod
inlecebris erat et grata nouitate morandus
spectator functusque sacris et potus et exlex.
uerum ita risores, ita commendare dicacis
conueniet Satyros, ita uertere seria ludo,
ne quicumque deus, quicumque adhibebitur heros,
regali conspectus in auro nuper et ostro,
migret in obscuras humili sermone tabernas,
aut, dum uitat humum, nubis et inania captet.
effutire leuis indigna tragoedia uersus,
ut festis matrona moueri iussa diebus,
intererit Satyris paullum pudibunda proteruis.
non ego inornata et dominantia nomina solum
uerbaque, Pisones, Satyrorum scriptor amabo,
nec sic enitar tragico differre colori,
ut nihil intersit Dauusne loquatur et audax
Pythias emuncto lucrata Simone talentum,
an custos famulusque dei Silenus alumni.
ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quiuis
speret idem, sudet multum frustraque laboret

221 agresteis *Cruquiana*. agrestes *Orelliana* 3 — 222 incolomi *C* — temptauit *B* — 223 incelebris *B pr. m.* — 225 dicacis *C*. dicaces *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 226 conueniet *B Cruquiana*. conueniat *CD* — satyros auertere *C* — 227 adhibetur et heros *C* — 230 uitet *B* — nubeis *Cruquiana*. nubes *Orelliana* 3 — 231 leuis *C*. leueis *Cruquiana*. leues *Orelliana* 3 — 234 nomine *C* — 237 et audax *C*. an audax *BD*. Dauusne loquat. et audax Py. *sic legitur in cod. Bland. antiq. et altero, ubi manifeste τὸ* et *erasum est, supraque positum*, an *Cruquius* — 240 qui uis *C*. quisquam *B* — 243 accedet *B* — 247 inmunda *B*. immunda *Cruquiana* — 249 fracti *BC et corr. D*.

ausus idem: tantum series iuncturaque pollet,
tantum de medio sumptis accedit honoris.
siluis deducti caueant, me iudice, Fauni
ne uelut innati triuiis ac paene forenses
aut nimium teneris iuuenentur uersibus umquam,
aut inmunda crepent ignominiosaque dicta:
offenduntur enim quibus est equus et pater et res,
nec, siquid fricti ciceris probat et nucis emptor,
aequis accipiunt animis donantue corona.
syllaba longa breui subiecta uocatur iambus,
pes citus; unde etiam trimetris adcrescere iussit
nomen iambeis, cum senos redderet ictus
primus ad extremum similis sibi: non ita pridem,
tardior ut paullo grauiorque ueniret ad auris,
spondeos stabilis in iura paterna recepit
commodus et patiens, non ut de sede secunda
cederet aut quarta socialiter. hic et in Atti
nobilibus trimetris adparet rarus, et Enni
in scaenam missos cum magno pondere uersus
aut operae celeris nimium curaque carentis
aut ignoratae premit artis crimine turpi.
non quiuis uidet inmodulata poemata iudex,
et data Romanis uenia est indigna poetis.
idcircone uager scribamque licenter? an omnis
uisuros peccata putem mea, tutus et intra

fricti ciceris. *sic in omnibus scriptis, non autem*, fracti' *Cruquius* — 250 donant corona *C* — 251 longa] nana *C* — subiuncta *B* — 255 aureis *Cruquiana.* aures *Orelliana* 3 — 256 spondios *C* — stabilis *C.* stabileis *Cruquiana.* stabiles *Orelliana* 3 — 258 Acci *BD Cruquiana.* actii *'uel* acci' *C.* 'Atti *Meinekius* — 259 *et* 260 et Enni. In scaenam missos *Cruquiana.* et Enni. In scenam missus *Marcilio auctore Bentleius.* (missos *BCD*) — magno cum pondere *Cruquiana.* cum magno pondere *BCD* — 261 celeris nimium *BCD Cruquiana.* nimium celeris *aliquot alii codices* — 264 est *om. C* — 265 an *BCD Cruquiana.* ut *Bentleius* — omnis *BC.* omneis *Cruquiana*

spem ueniae cautus? uitaui denique culpam,
non laudem merui. uos exemplaria Graeca
nocturna uersate manu, uersate diurna.
at uestri proaui Plautinos et numeros et
laudauere sales, nimium patienter utrumque,
ne dicam stulte, mirati, si modo ego et uos
scimus inurbanum lepido seponere dicto,
legitimumque sonum digitis callemus et aure.
ignotum tragicae genus inuenisse Camenae
dicitur et plaustris uexisse poemata Thespis,
quae canerent agerentque peruncti faecibus ora.
post hunc personae pallaeque repertor honestae
Aeschylus et modicis instrauit pulpita tignis
et docuit magnumque loqui nitique cothurno.
successit uetus his comoedia, non sine multa
laude: sed in uitium libertas excidit et uim
dignam lege regi: lex est accepta, chorusque
turpiter obticuit sublato iure nocendi.
nil intemptatum nostri liquere poetae,
nec minimum meruere decus uestigia Graeca
ausi deserere et celebrare domestica facta,
uel qui praetextas uel qui docuere togatas.
nec uirtute foret clarisue potentius armis
quam lingua Latium, si non offenderet unum
quemque poetarum limae labor et mora. uos, o
Pompilius sanguis, carmen reprehendite quod non

270 at uestri *BCD.* at nostri *Cruquiana.* 'at uestri proaui. *sic habent scripta quae legi omnia, non etiam* nostri, *ut est in uulgatis olim*' *Cruquius* — 272 miratis modo *C* — 273 se pondere *C* — 277 qui *Bentleii coniectura* — ora] atris *C* — 279 Aescinus *B* — 282 in^{et} uim *D* — 283 *hunc uersum om. C* — 285 intemptatum *BCD.* intentatum *Cruquiana* — 288 togatis *C* — 289 clarisque *C* — 292 reprehendite *BD Cruquiana.* reprendite *C* — 294 p̄sectum (*i. e.* praesectum) *C Bentleius.* perfectum *BD.* 'praesectum. *sic legunt duo cod. Bland. unus cum antiq.*' *Cruquius* — deciens *C.* decies *Cruquiana, Orelliana* 3 — 297

multa dies et multa litura coercuit atque
praesectum deciens non castigauit ad unguem.
ingenium misera quia fortunatius arte
credit et excludit sanos Helicone poetas
Democritus, bona pars non unguis ponere curat,
non barbam, secreta petit loca, balnea uitat.
nanciscetur enim pretium nomenque poetae,
si tribus Anticyris caput insanabile numquam
tonsori Licino conmiserit. o ego laeuus,
qui purgor bilem sub uerni temporis horam.
non alius faceret meliora poemata: uerum
nil tanti est. ergo fungar uice cotis, acutum
reddere quae ferrum ualet, exsors ipsa secandi;
munus et officium, nil scribens ipse, docebo,
unde parentur opes, quid alat formetque poetam,
quid deceat, quid non, quo uirtus, quo ferat error.
scribendi recte sapere est et principium et fons.
rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae;
uerbaque prouisam rem non inuita sequentur.
qui didicit patriae quid debeat et quid amicis,
quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes,
quod sit conscripti, quod iudicis officium, quae
partes in bellum missi ducis, ille profecto
reddere personae scit conuenientia cuique.
respicere exemplar uitae morumque iubebo
doctum imitatorem et uiuas hinc ducere uoces.

unguis *BC*. ungueis *Cruquiana*. ungues *Orelliana* 3 — 298 barbas *C* — 302 purgor bilem *Cruquiana*, *Orelliana* 3. ʿpurgor bili. *hanc lectionem reposui ex tribus Commentariis scriptis Bland. in quibus expresse legitur*, purgor bilem: *aliter*, purgor bilibus, τὸ bilibus *uertendo*, bili' *Cruquius* — 304 tantis tergo *ex scriptura* tantist *C* — 305 exsortita secandi *C* — 309 sapere recte *B* — est principium *C* — 311 sequuntur *C* — 312 cui didicit *C* — 313 quos ita more *C* — 314 quod ... quod *CD Cruquiana*. quid ... quid *B* — 316 persona *C* — 318 uiuas *BCD*. ʿueras *Lambinus*. uiuas *Bentleius*. ʿuiuas *legitur in omnibus scriptis, non*

interdum speciosa locis morataque recte
fabula nullius ueneris, sine pondere et arte,
ualdius oblectat populum meliusque moratur
quam uersus inopes rerum nugaeque canorae.
Grais ingenium, Grais dedit ore rotundo
Musa loqui, praeter laudem nullius auaris.
Romani pueri longis rationibus assem
discunt in partis centum diducere. 'dicat
filius Albini, si de quincunce remota est
uncia, quid superat? poteris dixisse.' 'triens.' 'eu.
rem poteris seruare tuam. redit uncia, quid fit?'
'semis.' an, haec animos aerugo et cura peculi
cum semel imbuerit, speramus carmina fingi
posse linenda cedro et leui seruanda cupresso?
aut prodesse uolunt, aut delectare poetae,
aut simul et iocunda et idonea dicere uitae.
QVIDQVID praecipies, esto breuis, ut cito dicta
percipiant animi dociles teneantque fideles.
OMNE superuacuum pleno de pectore manat.
ficta uoluptatis causa sint proxima ueris,
ne quodcumque uolet poscat sibi fabula credi,

ueras' *Cruquius* — 319 locis *CD.* iocis *B.* speciosa locis. *sic* 4. *Bland. sed Busl.* speciosa iocis memorataque recte. *reliqui*, speciosa iocis' *Cruquius* — 322 regum *C* — 323 Grais ... Grais *D.* Graiis ... Graiis *BC Cruquiana.* (*Cfr. C. Lachmannum ad Lucret. p.* 152) — 326 dicas *Bentleii coniectura* — 327 Albini *B Cruquiana.* Albani *CD* — 328 superat *BCD Cruquiana.* superet *Bentleius* — poteras *BC Cruquiana.* poterat *D Bentleius.* properat *Schneidewin Philol. III p.* 539. poteris *Horkelius Anal. Hor. p.* 138 *sq.* — 'eu. *sic Busl. et Bland.* 4. *non* hem *uel* heus' *Cruquius.* eu *Orelliana* 3 — 329 reddit uncia quid est *C* — 330 an *C.* ad *D.* ad *B.* 'an haec aerugo. *sic Bland. uetust. cum duobus aliis, in quibus* n *littera erasa, et* t *posita*' *Cruquius* — 331 speramus *CD Cruquiana.* speremus *B* — 336 animi *Orelliana* 3. 'percipiant animi dociles. *Blandin. unus habet*, percipiant animo dociles' *Cruquius* — 337 *hunc uersum uncis inclu-*

neu pransae Lamiae uiuum puerum extrahat aluo.
centuriae seniorum agitant expertia frugis,
celsi praetereunt austera poemata Ramnes:
OMNE tulit punctum qui miscuit utile dulci,
lectorem delectando pariterque monendo.
hic meret aera liber Sosiis, hic et mare transit
et longum noto scriptori prorogat aeuum.
sunt delicta tamen quibus ignouisse uelimus:
nam neque chorda sonum reddit quem uolt manus et mens,
poscentique grauem persaepe remittit acutum,
nec semper feriet quodcumque minabitur arcus.
uerum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
offendar maculis, quas aut incuria fudit,
aut humana parum cauit natura. quid ergo est?
ut scriptor si peccat idem librarius usque,
quamuis est monitus, uenia caret, ut citharoedus
ridetur, chorda qui semper oberrat eadem,
sic mihi, qui multum cessat, fit Choerilus ille,
quem bis terue bonum cum risu miror; et idem
indignor quandoque bonus dormitat Homerus.

sit Bentleius — 339 nec *C Cruquiana.* ne *B D Bentleius* — uolet *D Cruquiana.* uelit *C.* uelis *B* — 342 Ramnes *B C Bentleius.* Rhamnes *D Cruquiana* — 345 Sosiis *Cruquiana*, *Orelliana* 3. 'liber Sosis. *sic* 4. *Bland. per Syncopen*, *pro* Sosiis' *Cruquius* — 348 et mens *om. C* — 349 remittit *Cruquiana*, *Orelliana* 3. 'persaepe remutit acutum. *sic scriptum est in uno Bland. Tonsa. Siluioque codicibus*, *quam ut genuinam dictionem reposui*' *Cruquius* — 350 'quodcumque minabitur. *Tons. lib. habet*, quocunque' *Cruquius.* quodcunque *Orelliana* 3 — 353 ergost *C.* ergo *Cruquiana.* 'quid ergo est. *sic est in omnibus scriptis. iccirco τὸ* est, *omittere nolui*' *Cruquius.* ergo est *Orelliana* 3 — 354 et *D* — 355 et citharoedus *B C D Cruquiana.* ut citharoedus *alii codices*, *Bentleius* — 356 oberret *B D.* oberrat *C Cruquiana* — 357 sic multum mihi qui *C* — Choerilos *Bentleius* — 358 quem bis] quemuis *C* — terque *B D Cruquiana.* terue *C*

uerum operi longo fas est obrepere somnum.
ut pictura poesis: erit quae, si propius stes,
te capiat magis, et quaedam, si longius abstes;
haec amat obscurum, uolet haec sub luce uideri,
iudicis argutum quae non formidat acumen;
haec placuit semel, haec deciens repetita placebit.
o maior iuuenum, quamuis et uoce paterna
fingeris ad rectum et per te sapis, hoc tibi dictum
tolle memor, certis medium et tolerabile rebus
recte concedi: consultus iuris et actor
causarum mediocris abest uirtute diserti
Messallae, nec scit quantum Cascellius Aulus,
sed tamen in pretio est: MEDIOCRIBVS esse poetis
non homines, non di, non concessere columnae.
ut gratas inter mensas symphonia discors
et crassum unguentum et Sardo cum melle papauer
offendunt, poterat duci quia cena sine istis,
sic animis natum inuentumque poema iuuandis,
si paullum summo decessit, uergit ad imum.
ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
indoctusque pilae discive trochive quiescit,
ne spissae risum tollant inpune coronae:

360 opere in longo *BC.* operi longo *D.* ‘uerum operi longo. *sic scripta omnia. non damno tamen uulgarem lectionem*’ *Cruquius* — 362 capiat *Orelliana* 3. ‘te capiat. *sic Bland. codices*’ *Cruquius.* capiet *alii* — aptes *C* — 365 deciens *C.* decies *Cruquiana, Orelliana* 3 — 369 auctor *C* — 370 deserti *C* — 371 nescit *BC.* nec scit *Orelliana* 3. ‘nec scit. *sic Bland. antiq. cum alio, sed reliqui cum aliis duobus Bland. habent*, nescit’ *Cruquius* — Castellius *C.* Cassellius *Cruquiana.* Cascellius *Orelliana* 3 — ausus *C* — 374 gratis *C* — 376 duci *om. C* — 377 animus *C* — 378 a summo *Cruquiana.* summo *Orelliana* 3. ‘summo decessit. *sic Bland.*’ *Cruquius* — decessit *BCD.* discessit *Cruquiana* — pergit *C* — 381 impune *Cruquiana, Orelliana* 3 — 385 faciesque *BD.* faciesue *C.* ‘dices faciesue. *sic scripta omnia, non etiam*

qui nescit uersus, tamen audet fingere. quidni?
liber et ingenuus, praesertim census equestrem
summam nummorum, uitioque remotus ab omni.
TV nihil inuita dices faciesue Minerua:
id tibi iudicium est, ea mens. siquid tamen olim
scripseris, in Maeci descendat iudicis auris
et patris et nostras, nonumque prematur in annum,
membranis intus positis: delere licebit
quod non edideris; NESCIT uox missa reuerti.
siluestris homines sacer interpresque deorum
caedibus et uictu foedo deterruit Orpheus,
dictus ob hoc lenire tigris rabidosque leones.
dictus et Amphion, Thebanae conditor urbis,
saxa mouere sono testudinis et prece blanda
ducere quo uellet. fuit haec sapientia quondam,
publica priuatis secernere, sacra profanis,
concubitu prohibere uago, dare iura maritis,
oppida moliri, leges incidere ligno.
sic honor et nomen diuinis uatibus atque
carminibus uenit. post hos insignis Homerus
Tyrtaeusque mares animos in Martia bella
uersibus exacuit: dictae per carmina sortes,
et uitae monstrata uia est, et gratia regum

faciesque, *ut uulgata quaedam' Cruquius* — 386 iudicium est, ea *BD Cruquiana, Bentleius.* iudiciumst, ea *C.* iudicium esto, ea *Meinekius e Feae coniectura* — 387 Maeti *C.* Meti *D.* Mecii *B.* Meci *Cruquiana.* Maeci *Bentleius* — auris *C.* aureis *Cruquiana.* aures *Orelliana* 3 — 388 *et* 389 in annum. Membranis intra positis delere *Cruquiana* — 391 siluestris *C.* siluestreis *Cruquiana* — 393 linire *C* — tigris *C.* tigreis *Cruquiana* — rapidosque *B.* rabidosque *CD.* 'rabidosque leon. *sic habent omnes lib. scripti non* rapidos *ut uulgati' Cruquius* — 394 urbis *C.* arcis *BD Cruquiana, Bentleius.* 'conditor urbis. *sic habent omnia scripta, a quibus dissentire nolui, tametsi non improbem lectionem uulgatam' Cruquius* — 397 saxa *C* — 403 sortis *C*

Pieriis temptata modis, ludusque repertus,
et longorum operum finis; ne forte pudori
sit tibi Musa lyrae sollers et cantor Apollo.
natura fieret laudabile carmen an arte,
quaesitum est. ego nec studium sine diuite uena,
nec rude quid possit uideo ingenium: alterius sic
altera poscit opem res et coniurat amice.
QVI studet optatam cursu contingere metam,
multa tulit fecitque puer, sudauit et alsit,
abstinuit Venere et uino; qui Pythia cantat
tibicen, didicit prius extimuitque magistrum.
nec satis est dixisse 'ego mira poemata pango:
occupet extremum scabies: mihi turpe relinqui est,
et quod non didici sane nescire fateri.'
ut praeco, ad mercis turbam qui cogit emendas,
adsentatores iubet ad lucrum ire poeta
diues agris, diues positis in fenore nummis.
si uero est, unctum qui recte ponere possit,
et spondere leui pro paupere, et eripere atris
litibus inplicitum; mirabor, si sciet inter
noscere mendacem uerumque beatus amicum.
tu seu donaris seu quid donare uoles cui,
nolito ad uersus tibi factos ducere plenum

405 temptata *BC.* tentata *Cruquiana. Orelliana* 3 — 407 lyra *Iahnius, Meinekius et editio Weidmanniana* — soleas *C* — 409 quaesitū stego (*i. e.* quaesitumst ego) *C* — 410 prosit *BCD Cruquiana.* possit *Bentleius* — 416 nunc *BD Cruquiana.* non *C.* nec *Bentleius* — 417 est *om. C* — 419 ut *BD Cruquiana.* et *C* — merceis *Cruquiana.* merces *Orelliana* 3 — 420 ad lucrum iubet *CD* — 421 agri *C.* agris *BD Cruquiana* — 422 iunctum *C* — iussit *C* — 423 atris *BCD Cruquiana.* artis *Bentleii coniectura firmata postea a Pottierii codice* 12 — 424 implicitum *Cruquiana, Orelliana* 3 — sciat *C* — 424 *et* 425 *hos uersus inuerso ordine exhibet C* — 426 cui *Orelliana* 3. 'qui *ex ipsius Horatii scriptura* quoi *C' Orellius.* 'uoles cui. *Bland. antiq. habet,* quoi *antiquo more' Cruquius* — 428 pulcre *Cruquiana* —

laetitiae: clamabit enim 'pulchre, bene, recte,'
pallescet super his, etiam stillabit amicis
ex oculis rorem, saliet, tundet pede terram.
ut qui conducti plorant in funere, dicunt
et faciunt prope plura dolentibus ex animo, sic
derisor uero plus laudatore mouetur.
reges dicuntur multis urguere culullis
et torquere mero quem perspexisse laborant,
an sit amicitia dignus: si carmina condes,
numquam te fallant animi sub uolpe latentes:
Quintilio siquid recitares, 'corrige sodes
hoc' aiebat 'et hoc.' melius te posse negares
bis terque expertum frustra, delere iubebat
et male tornatos incudi reddere uersus.
si defendere delictum quam uertere malles,
nullum ultra uerbum aut operam insumebat inanem,
quin sine riuali teque et tua solus amares.
uir bonus et prudens uersus reprehendet inertis,
culpabit duros, incomptis adlinet atrum
transuerso calamo signum, ambitiosa recidet
ornamenta, parum claris lucem dare coget,
arguet ambigue dictum, mutanda notabit,
fiet Aristarchus: non dicet 'cur ego amicum

429 pallescet; super his etiam *distinguit Bentleius* — et iam *B* — 434 dicuntur cur surgere cui. illis multi *C* — urgere *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 435 laborant *D corr.* laborent *BC et D pr. m.*, *Cruquiana* — 437 fallant *B Cruquiana.* fallent *CD* — latentis *C* — 438 Quinctilio *Cruquiana.* Quintilio *Orelliana* 3 — 439 agebat *C* — 440 iubebat '*finis poeticae*' *C*, '*a quo absunt reliqua; continuo autem sequitur Sat.* 1, 1' *Orellius* — 441 ter natos *Bentleii coniectura* — 443 sumebat *Cruquiana.* insumebat *Orelliana* 3 — 445 reprehendet *Cruquiana*, *Orelliana* 3. reprehendaet *B* — inerteis *Cruquiana.* inertes *Orelliana* 3 — 446 incomtis allinet *Cruquiana.* incomptis adlinet *Orelliana* 3 — 447 transuerso *BD Cruquiana*, *Bentleius.* trauerso *Orelliana* 3 — 448 coget dare lucem *B* — 450 nec *BD Cruquiana.* non

offendam in nugis?' haec nugae seria ducent
in mala derisum semel exceptumque sinistre.
ut mala quem scabies aut morbus regius urguet
aut fanaticus error et iracunda Diana,
uesanum tetigisse timent fugiuntque poetam
qui sapiunt: agitant pueri incautique sequuntur.
hic dum sublimis uersus ructatur et errat,
si ueluti merulis intentus decidit auceps
in puteum foueamue, licet 'succurrite' longum
clamet 'io ciues,' non sit qui tollere curet.
si curet quis opem ferre et demittere funem,
'qui scis an prudens huc se proiecerit atque
seruari nolit?' dicam, Siculique poetae
narrabo interitum. deus inmortalis haberi
dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
insiluit. sit ius liceatque perire poetis.
INVITVM qui seruat, idem facit occidenti.
nec semel hoc fecit, nec si retractus erit iam,
fiet homo et ponet famosae mortis amorem.
nec satis adparet cur uersus factitet; utrum
minxerit in patrios cineres, an triste bidental
mouerit incestus: certe furit, ac uelut ursus,
obiectos caueae ualuit si frangere clathros,
indoctum doctumque fugat recitator acerbus;
quem uero arripuit, tenet occiditque legendo,
non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo.

Bentleius e codicibus — 451 hae *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 453 urget *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 457 sublimes *B.* sublimis *Orelliana* 3. 'hic dum sublimis. *sic legitur in scriptis nostris omnibus, non etiam* sublimeis *ut est in uulgatis*' *Cruquius* — 458 sic *B* — auspex *B* — 461 si quis curet *Cruquiana.* si curet quis *Orelliana* 3 — dimittere *BD.* demittere *Cruquiana* — 462 deiecerit *B Cruquiana.* proiecerit *D Orelliana* 3 — 463 que *om. B* — 464 immortalis *Cruquiana*, *Orelliana* 3 — 470 ne *B* — 471 an *B Cruquiana.* aut *D* — 474 indoctum doctum fugat *B.* indoctum doctumque fugat *Cruquiana*, *Orelliana* 3

Lipsiae, typis B. G. Teubneri.

30
ratius Flaccus /
er Library
005318170
2044 085 200 608